[illegible]

5. April 1850.

[illegible]

Ruhnkenius, David

ELOGIUM TIBERII HEMSTERHUSII,

AUCTORE

DAVIDE RUHNKENIO.

ACCEDUNT DUAE RICHARDI BENTLEJI EPISTOLAE AD HEMSTERHUSIUM.

VITA DAVIDIS RUHNKENII,

AUCTORE

DANIELE WYTTENBACHIO.

CUM PRAEFATIONE ET ANNOTATIONE

EDIDIT

JOANNES THEODORUS BERGMAN.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
Academiae Typographos.
AMSTELODAMI,
APUD P. DEN HENGST ET FILIUM.
MDCCCXXIV.

V I R I S

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORIBUS.

ADAMO FRANCISCO JULIO AMANDO COMITI VAN DER DUYN VAN MAASDAM,

ORDINIS EQUESTRIS LEONIS BELGICI, CLASSIS PRIMAE MAGNA CRUCE INSIGNITAE, DECURIONI TURMALI; REGII STATUS SENATORI; HOLLANDIAE MERIDIONALIS GUBERNATORI; ETC. ETC. ETC.

HENRICO BARONI COLLOT D'ESCURY VAN HEYNENOORD,

ORDINIS LEONIS BELGICI EQUITI, ORDINIBUS GENERALIBUS ADSCRIPTO, ETC. ETC. ETC.

FRANCISCO GODARDO BARONI VAN LYNDEN VAN HEMMEN,

ORDINIS EQUESTRIS LEONIS BELGICI DECURIONI TURMALI, ORDINIBUS GENERALIBUS ADSCRIPTO, ETC. ETC. ETC.

BENJAMINI PETRO VAN WESELE SCHOLTEN,

ORDINIS LEONIS BELGICI EQUITI; SUPREMAE CURIAE, QUAE HAGAE COMITUM EST, SENATORI; ETC. ETC. ETC.

JOANNI GYSBERTO DE MEY VAN STREEFKERK,

ORDINIS LEONIS BELGICI EQUITI, ORDINIBUS STATUUM HOLLANDIAE ADSCRIPTO, CIVITATIS LUGDUNO-BATAVAE CONSULI, ETC. ETC. ETC.

UT ET

VIRO DOCTISSIMO, SPECTATISSIMO,

FREDERICO GUILIELMO SMALLENBURG,

MATHES. MAGISTRO ET PHILOS. NAT. DOCTORI, ILLUSTRI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS.

S. P. D.

JOANNES THEODORUS BERGMAN.

Nolite, quaeso, putare, Viri Illustrissimi, cum primum hunc ad Vos missum librum acceperitis, eum me esse, qui dignam tantis tam praeclaris Nominibus Vestris hanc meam operam existimem. Sed quum palmarias scriptiones, in quibus ejus unice cernitur commendatio, ambas hoc uno volumine conjungere placuisset Luchtmansiis, Academiae Vestrae Typographis; aut nemini, aut Vobis tantum, hoc quidquid est muneris offerendum videbatur. Nisi enim integrae et illibatae immortalium Auctorum suorum, RUHNKENII *et* WYTTENBACHII, *Manibus relinquendae censeantur* HEMSTERHUSII *Laudatio et* RUHNKENII *Vita; non est ad quem jure suo propius pertinere videantur, quam ad Vos, inclytae Musarum Sedis, quam illi luce sua quondam illustrarunt, Curatores laudatissimos, partim generis nobilitate florentes, partim honorum amplitudine splendentes, partim animi, ingenii, doctrinae dotibus praestantes, et*

Clarissimorum Virorum disciplinam referentes. Ego autem, qui et ipse me ATHENARUM BATAVARUM *alumnum et* WYTTENBACHII *discipulum profiteor atque glorior, quo tandem modo grati animi erga almam bonarum Literarum Matrem magis meliusve publice edam testificationem, quam eo Vobis, illius Tutoribus potentissimis, inscribendo Opere, cujus ad vindicandam conservandamque avitam Batavorum laudem in primis spectat ratio atque consilium? Quapropter, Maecenates Nobilissimi, Amplissimi, Eruditissimi, accipite hanc operam meam, quamvis levem et Vestris summorum virorum personis non satis dignam, eâ quâ soletis, indulgentiae ac benivolentiae significatione: meaeque erga Vos observantiae, obsequii, pietatis, certissimum hocce pignus ita, precor, agnoscite, ut me, meaque omnia, Vobis quam maxime cum devotum tum commendatum habeatis.*

Dab. Lugd. Bat. d. XXI. Aug. CIↃIↃCCCXXIV.

AEQUO ET ERUDITO LECTORI

S. D.

JO. THEOD. BERGMAN.

Non dubito fore plerosque, qui mirentur, quamobrem, quae nuperrime conjunctim cum reliquis Ruhnkenii et Wyttenbachii Opusculis repetita fuerunt, *Elogium Hemsterhusii* et *Vita Ruhnkenii*, eaedem nunc, intercedente tam brevi temporis intervallo, iterum prodeant scriptiones, invicem uno volumine comprehensae, ab aliis vero clarissimorum ingeniorum monumentis separatae. Sed hi erunt fere, qui primam eamque praecipuam librorum identidem typis describendorum causam repetere soleant a librariorum, suis sibi privatim commodis consulentium, cupiditate et lucrandi studio: non mali illi quidem homines, sed suarum ipsi rerum rationumque aliquanto fortasse negligentiores, alienarum, si ita vocare liceat, seduli computatores. Quorum voculis et querelis ita optime facillimeque me occursurum fore confido, si in ipso hujus voluminis ingressu paucis exposuero, quid causae Luchtmansios impulerit, ut eo simul comprehenderent duas illas principes, duorum principum virorum, de duobus item principibus viris compositas,

tas, scriptione. Est autem duplex harum causarum genus: partim enim in rerum externarum rationibus positae sunt; partim in ipsarum, de quibus agitur, scriptionum consilio, utilitate, praestantia. De illis primum videamus.

Etenim cum Elogii Hemsterhusiani editio altera a. 1789, imprimisque Vitae Ruhnkenianae ex principe edit. a. 1799. exemplaria, tam legentium multitudine, quam ementium cupiditate, ad unum omnia fere divendita, brevi ad eam paucitatem fuissent redacta, ut eorum in librariorum tabernis aut vix aut ne vix quidem ulla amplius reperirentur, in auctionibus vero librorum immani subinde pretio venderentur; erant multi, iidemque laudabili Literarum juvandarum studio ducti, qui utriusque libelli, ejus autem potissimum quo Vita Ruhnkenii enarratur, novam editionem fieri cuperent, quam sibi quisque humanitatis studiosus facili negotio et parvo sumtu compararet. Jam vero editis ante hos quatuor annos Wyttenbachii Opusculis, in iisque conjunctim repetitâ Vitâ Ruhnkenii, erant haud pauci, qui quererentur, nec sine quadam justae reprehensionis specie, ne hac quidem editione satis eorum rationibus esse consultum, qui, sive aliâ de causâ, sive quod graviores sumtus facere aut non vellent aut non possent, solam sibi separatim a reliquis comparare cuperent Ruhnkenii Vitam. Nec multum adeo diversa res fuit Elogii Hemsterhusiani, praesertim sine palmariis illis Bentleji Epistolis, una cum duobus Opusculorum Ruhnkenii voluminibus, iterum in lucem emissi: de quo item nonnullos partim miran-

tes, partim querentes, partim quid causae fuisset, rogantes audire meminimus.

Quae quum intelligere coepissent Luchtmansii, cumque novae quotidie ad ipsos deferrentur querelae, ut sunt librarii in paucis Literarum amantes et providi, et vero etiam periti, cogitare tandem coeperunt de minori instituenda amborum simul libellorum editione, parvo illa pretio vendibili, nec voluminis mole gravi, omninoque eâ, qua et legentium facilitati, et ementium cupiditati, et ingenuorum adolescentum illorum, qui in scholis sive inferioribus, quae Latinae vulgo dicuntur, sive superioribus, id est Academicis, bonas Literas tractant, quoad ejus fieri posset, omnium usibus et rationibus cautum atque consultum esset. Haec de externis una fuit hujus libri edendi causa, cui insuper altera accedebat haec, de qua nunc nobis dicendum est.

Quam primum de Auctoris sui, immortalis viri, manibus exiisset Vita Ruhnkenii, eam cum Elogio Hemsterhusiano, in Scholarum et Academiarum usus, conjunctim repetierunt vicini nostri Germani, utramque communi nomine inscriptam: *Vitae Duumvirorum* TIB. HEMSTERHUSII *et* DAV. RUHNKENII, *altera ab eodem Ruhnkenio, altera a Dan. Wyttenbachio scripta*, Lipsiae, 1800. Hac editione divendita, novam fecerunt, accedente *Elogio* JO. MEERMANNI *auctore C. Cras*, quam curavit FRID. LINDEMANN, Lipsiae 1822. Et Lindemannus quidem, ut nova quaedam accederet libello commendatio, quum ei et notas quasdam addere, et Wyttenbachii Vitam a Mahnio conscribendam adjungere decrevisset,

 elu-

elusâ de hujus scriptionis editione spe, adjecit ei Meermanni Elogium: de quo consilio, quae nos ipsi diximus in Opusculorum Ruhnkenii Praefatione, T. I. p. xxv. et Cl. Mahnius dixit in sua ad Vitam Wyttenbachii, postea editam, Praefatione, hic repetere nihil attinet. Reliquam vero operam suam omnem in notis addendis consumsit. „Eae, ut ipse ait in Praefatione, partim *Latinitatem* spectant, ubi quosdam, de aliorum maxime sententia, obelos apposuit; partim *locos* veterum scriptorum *imitatione expressos* indicant, quod Wyttenbachius in sua scriptione jam fecerat; partim *rei litterariae notitiam* juvant." In quo postremo genere multum sese adjutum fatetur a Lexici Bibliographici auctore Cl. Eberto.

De hac altera Germana editione quum multa in utramque partem dicere possemus, paucis erimus contenti. Est ea typis, quamvis minutioribus, nitide eleganterque descripta; nec mole laborat sua, nec magno pretio constat; et sic tamen aliquid novitatis habet, cujus vulgo homines studio feruntur, animadversionem inquam Lindemanni, viri ut editis vernaculis carminibus haud ignobile inter poëtas nomen adepti, ita doctis probati nova Prisciani editione; nec vero etiam hominibus nostris ignoti, immo multorum, ex peregrinatione ante hos septem annos in regiones nostras susceptâ, animis et recenti adhuc memoriae inhaerentis. Ceterum, etsi *Germana* nomine editio, utpote in Germaniae oris et a Germano item editore curata; ejus si fidem integritatemque spectes, haud secus quam *germana* habenda videtur, imo vero potius spuria, corrupta, interpolata, omninoque ea

quae

quae neque externorum, quorum usibus destinata est, neque nostrorum hominum desiderio satisfacere queat, neque in universum ullis placere, nisi iis forte qui, ut proverbio fertur, *quid aera distent lupinis* discernere, aut cum possint nolint, aut cum velint non possint. Adeo multa, contra Clar. Auctorum mentem, ac prudentis editoris fidem, in ea sunt pro arbitrio immutata, depravata, praetermissa, neglecta. Quae ne cui temere et cupidius dixisse videamur, age de multis pauca, quibus sententia nostra confirmetur, singularum deinceps aberrationum afferamus specimina. Ac primum quidem, quod in omni scriptoris alicujus sive veteris sive recentioris editione primum ac praecipuum merito censetur, ut contextus ipse, qui dicitur, prodeat integer, purus, castus, ab omni aliena labe immunis, et qualis de ipsius auctoris manibus exiit; ab hac laude tam longe abest editio Lindemanniana, ut contra plurima passim in orthographiae ratione mutata sint ac turbata. Ex. gr. quod Ruhnkenius et Wyttenbachius scribere soliti erant, *adferre*, *adfluere*, *adgredi*, *adgressus*, *adscendere*, *adscribere*, *adsidere*, *adspergere*, *adspicere*, *adspectus*, *adspirare*, *adstare*, *adstringere*, *adstrictus*, *adsuescere*, *adsuetus*, *adquirere*, *artior*, *exsistere*, *exstare*, *octuagesimus*, *quidquid*, *quidquam*, *sylva*, *validudo*, alia, iis omnibus in locis, exceptis tamen paucis quibusdam, fere substituta leguntur apud Lindemannum, *afferre*, *affluere*, *aggredi*, *aggressus*, *ascendere*, *ascribere*, *assidere*, *aspergere*, *aspicere*, *aspectus*, *aspirare*, *astare*, *astringere*, *astrictus*,

assuescere, *assuetus*, *acquirere*, *arctior*, *exstare*, *extare*, *octogesimus*, *quicquid*, *quicquam*, *silva*, *valetudo*, cet. quae quidem omnia, si vereremur ne quis affirmantibus nobis fidem haberet, notatis paginarum numeris tamquam digito monstrare possemus. Jam non quaerimus, utra rectior sit scriptura, de quo magna semper fuit clarissimorum Grammaticorum dissensio: id quaerimus, quid scripserint Ruhnkenius et Wyttenbachius, qui quamcunque tandem secuti fuerint usu et auctoritate sibi probatam scripturam, idoneas certe, cur eam potius sequerentur quam alteram, suas sibi habuerunt rationes, de nonnullis tamen inter se invicem dissentientes. *Quicquid*, *quicquam*, v. c. cum probasset Ruhnkenius, Wyttenbachius, analogiae rationem secutus, *quidquid*, *quidquam* retinuit. Levia haec sunt, nec digna in quibus subtiliter disceptandis, fructu aut nullo aut parvo, consumantur bonae horae, gravioribus negotiis debitae. Nec nos ii sumus, qui de talibus, tamquam pro aris ac focis, decertandum censeamus: hoc tantum dicimus, ac dicimus, consentientibus omnium bene recteque statuentium suffragiis, *in magnorum virorum scriptis nil temere immutandum esse.* Jam deinceps alia videamus, misere depravata, ac talia, quorum cum verbis et literarum ductibus simul una periit loci sensus ac sententia. Ex hoc genere sunt in Elogio Hemsterh. ex edit. altera, cujus paginas et Lindemannus et nos item margini adscripsimus, pag. 26. *redit* pro *rediit*; pag. 52. *laudem retulisset* pro *l. tulisset*: in Vita Ruhnkenii vero, secundum paginas editionis principis eidem margini

ad-

adscriptas, pag. 3. Lindemannus dedit *Ruhnkenii* pro Wyttenbachii *Ruhnkeniano*; pag. 11. *illud* pro *aliud*; pag. 23. *monumentum* pro *monumentorum*; pag. 27. *perspicietur* pro *perspiciatur*; pag. 29. *scientiae* pro *sententiae*; pag. 39. *differendi* pro *disserendi*; pag. 44. *et tantum* pro *ac tantum*; pag. 61. *Hemsterh. et* pro *Hemsterh. ei*; pag. 71. *bonorum* pro *honorem*; pag. 72. *complurimum* pro *complurium*; pag. 75. *domo* pro *domi*; pag. 110. *curio* pro *certo*; pag. 122. *profectiorem* pro *provectiorem*; pag. 132. *quo* pro *quod*; pag. 150. *ipsum* pro *ipsam*; pag. 161. *rudem er* pro *rudem et*; pag. 185. *quam* pro *quem*; pag. 189. *gravissimus* pro *gratissimus*; pag. 192. *meditatarum* pro *ineditarum*; pag. 233. *literarum* pro *literatum*; pag. 244. *disserent* pro *dissererent*. Quae omnia, ut alia mittamus, eaque operarum sive incuriae sive festinationi adscribamus, talia profecto sunt, quae aut omnino correctori cavenda fuissent, aut nisi cauta fuissent, diligenter in corrigendorum catalogum, qui hîc nullus est, referenda. Quorum neutrum factum dolemus. Immo vero, quod longe etiam turpius et minus excusatione dignum, integrae passim ejectae sunt voces et versus, quae vulgo lineae dicuntur. Sic v. c. in Elog. Hemsterh. pag. 24. post *eaedem* praetermissum est *literae:* in Vita Ruhnken. pag. 5. post *vel* desideratur *laudabile*, *vel*; pag. 23. post *materiae* omissa sunt *conformatione censetur*, *veluti statuariae*; pag. 25. post *inde* omissum *suas*; pag 40. post *suspicacem* omissum *et perspicacem*; pag. 223. post *nemo non* desunt verba *adhibuit qui aliquod nomen*; pag. 233. excidit *quid* ante *maxime*; pag. 239.

post *tractandorum* ejecta sunt *et recentiorum item optimorum quidem legendorum.* Verum ne haec quidem editori tribuamus. Esto, manum operarum et correctoris oculos effugerint. Quid tandem de iis dicemus, quae quum de ipsius Wyttenbachii, in sui libri censura, Biblioth. Crit. P. XII. p. 112 sq. admonitione, meliora dare potuisset editor, aliquanto dedit pejora. Sic, missa Wyttenbachii correctione, Vit. Ruhnk. p. 97 vs. ult. retinuit *valebat* pro *valebant;* pag. 108, ex *adsuesceret*, quod Wyttenb. mutari voluerat in *adsuefaceret*, more suo fecit *assuesceret;* pag. 120, pro *Helenae* retinuit *Veneris;* pag. 121. *cujus est illud* pro *qui item;* pag. 123. pro *adstrictiorem — modum*, quod Wyttenb. distincte scribendum monuerat *ad strictiorem — modum*, ille interpolatione corruptum dedit *astrictiorem — ad modum;* pag. 126. pro *Christiano* retinuit *Joanne;* denique pag. 146. neglectâ Wyttenbachii correctione *omisso igitur Antiphonte*, *oratorum — singuli*, ille simpliciter dedit *oratores — singuli*, ne videlicet cum Genitivo plurali poneretur *singuli*, de quo constructionis genere alio loco dicemus. Similiter pag. 277. vitiosum reliquit *Leonardum Guilielmum* pro *Guil. Leon.* et pag. 182. *indole* pro *stirpe*, in Annot. correctum. Quod quidem postremum vitiorum genus eo magis mirandum, quo diligentior harum Wyttenbachii emendationum ratio habita erat ab Editoribus Opusculorum Wyttenbachii: quam editionem novissimis editoribus Germanis, et ipsi adeo Lindemanno haud incognitam fuisse, manifestis indiciis constat.

Verum ne scribendi taedium nos ipsi scribentes suscipiamus, et legendi item taedium lectoribus nostris in-

injiciamus; age eo, unde paullisper digressa est, per spatiosum et mendorum feracem quasi campum divagata, nostra redeat oratio. Ista igitur tot ac tantis tamque foedis maculis infecta editio, Ruhnkeniano illa et Wyttenbachiano nomine plane indigna, nihilominus multorum in dies aere emi, manibus tractari, studiis frequentari; imprudentium scilicet, nec dum suspicantium istam pretii vilitatem, ut fere semper fieri solet, materiae item venundatae arguere vilitatem. Quod cum viderent Luchtmansii, cumque e re sua et literarum esse intelligerent, providere quominus exterorum aberrationibus deciperentur nostrates studiosi juvenes; haec altera illis exstitit causa novae recensionis adornandae. Igitur constituerunt, tam Elogium Hemsterhusii, quam Vitam Ruhnkenii, utramque a reliquis Opusculis separatam, conjunctim hoc uno volumine denuo edere; eique editioni curandae me praeesse voluerunt. Qua in re quomodo versati simus, jam sequitur ut breviter exponamus.

Primum igitur utrumque libellum denuo ita repraesentavimus, prouti ipsis Auctorum celeberrimorum manibus scripto consignati fuerant. Ergo *Elogium Hemsterhusianum*, adjectis *duabus Bentleji Epistolis*, de edit. alterâ a. 1789. *Vitam* vero *Ruhnkenii* de editione principe a. 1799. fideliter diligenterque typis describendam curavimus: nec, praeter pauca, eaque manifesta operarum vitia, quidquam immutavimus, nisi quae ipse Wyttenb. corrigenda indicasset Biblioth. Crit. l. c. Tantummodo in eo a germana Wyttenbachii editione recessimus, quod viri summi Annotationem, ab ipso seorsum ad finem libri positam,

utpote libro demum absoluto conscriptam, nunc contra suis quamque locis textui subjecimus, exemplum in ea re secuti Editorum Opusculorum Wyttenbachii, nec minus legentium commoditati, et vero etiam utilitati, consulere cupientes. Descripto denique et ad finem perducto utrique operi nostram ipsi Annotationem, appendicis loco, adjecimus. In hac nobis item, ut Lindemanno, triplex propositum fuit consilium, partim illud in *Latinitatis* ratione positum; partim in scriptorum, quos passim auctores secutus erat Wyttenbachius, locis nominibusque significandis; partim denique in amplificandâ, ubi operae pretium esse videbatur, *Historiae Literarum* notitia. De altero ac tertio animadversionum genere multis dicere, nil attinet. Nam locorum illud, *imitando* expressorum, notandorum exercitium quis est, qui non aeque doctis gratum, ac tironibus fructuosum existimet; cum praesertim, quo quisque optimus esse et haberi velit ipsorum veterum interpres, eo magis hoc genus studiose consectari cum suo ipsius sensu quodam soleat, tum officii ratione debeat? cumque idem ab ipso Ruhnkenio in Mureto factum videamus, iis quidem locis, quibus inde aut explicationis lux, aut certe animadversionis utilitas aliqua quaereretur. *Res* vero *Literaria*, hac nostra et patrum nostrorum memoria, etiam post editos Ruhnkenii et Wyttenbachii libellos, tanta tamque insignia subinde cepit incrementa, ut eorum diligentem rationem habere, vel ad meliorem complurium locorum intelligentiam prorsus videretur necessarium, vel ad liberalis doctrinae fructum utile, vel ad animi oblectationem, cujus hoc genus in pri-

mis

nis capax esse solet, si quod aliud, jucundum et accommodatum. Primum animadversionum genus, quod in *Latinae linguae* versatur *scientia*, numquam fortasse, aut rarius certe, adhibituri eramus, nisi fuissent qui in Latinitatis purae castaeque judicio plus sibi sapere viderentur, quam aut Ruhnkenius, aut Wyttenbachius; quique adeo limatissima horum principum virorum scripta haud dubitarent obelis suis compungere castigationibusque vexare. Ergo omnes istas Lindemanni aliorumve molestas reprehensiones sumsimus nobis diligentius examinandas et severius dijudicandas: unde natae sunt complures, eaeque subinde longiores annotationes, quae si forte, ut vulgaris fert multorum sententia, Lexicis melius videantur convenire, vel ad alium quemvis scriptorem afferri aeque potuisse, ea tamen plerarumque ratio est, ut aliquam habeant cum Ruhnkenii et Wyttenbachii dictis conjunctionem. Mirari autem satis non possumus, quî factum sit, ut, quotiescunque in interiorem Latinitatis rationem, locorumque obelis notatorum intelligentiam penetraremus, toties fere ubera illa reprehensionum seges, palearum instar, dissiparetur prorsusque, quod proverbio fertur, *in fumum abiret*; partim quod illarum auctores minus perspectam habuissent linguae indolem et consuetudinem; partim quod, quae ceteroquin bene sibi perspecta habuissent, ad hunc illumve Ruhnkenii aut Wyttenbachii locum perperam retulissent; partim etiam quod aetatis nostrae consuetudinem, cui nonnunquam aliquid dandum est, ab usu veterum secernere nescivissent: in quo adeo saepe multumque a multis peccari solet, haud indoctis illis quidem homi-

ni-

nibus, sed judicii nondum satis subacti et exercitati. Neque vero aliquis existimet, eam nos ideo censuram egisse, quod summos viros et Latinitatis scientiâ principes hac nostrâ ope indigere arbitraremur. Immo vero

Non tali auxilio, nec defensoribus istis,

quales nos sumus, opus erat Ruhnkenio et Wyttenbachio, quorum, ut ita dicam, *si Pergama dextrâ defendi possent, etiam solâ defensa fuissent;* quique adeo, si adversus semidoctos terrae filios defendendi fuissent, vel solo suo ipsorum pondere ac praestantia sese facile tutati essent; quin etiam subinde tutati sunt, ut, ne alia afferamus, vel unum Wyttenbachii Catharsium, Philom. L. I., luce clarius ostendit. At vero, nisi ipsi hac defensionis operâ indigebant, eâ nos indigemus, et indigent quicunque bonarum Literarum et veteris elegantiae studiosi sunt. Nobis, inquam, Batavae terrae incolis, quorum in medio summi illi viri doctrinae suae lucem splendere voluerunt, turpe sit et non ferendum, nisi illorum quavis ratione memoria vindicaretur ab ineptis leviusculorum hominum injuriis et cavillationibus. Eosdem illos, si quando ipsos leviter errare deprehendimus, aut, ubi in promptu erat excusatio, excusare studuimus, aut candide et simpliciter monuimus. Tironum enim ut vel maxime interest, magnorum virorum errores notari, quo magis et ipsi ab eorum auctoritate sibi caveant; ita multo etiam magis convenit eosdem viros a falsâ erroris suspicione liberari, ut ne omnis iis tandem denegetur testimonii auctoritas: cavendumque ne, quae nostrae aetatis vulgo inconstantia esse solet, principum

in

in utramque partem virorum vituperare bene facta, secus laudare, reprehendere virtutes, vitia in coelum tollere, eadem latius serperet, ad eosque adeo referretur, quorum in paucis proxime ad veterum praestantiam accedunt scripta, et quamdiu suus humanitati constabit honos, secundum illos, omnis accuratae et elegantis doctrinae norma, omnium intelligentium consensu, merito et habebuntur et celebrabuntur. Habet autem totum hoc Latinitatis animadvertendae genus cum suavitatis haud parum, tum utilitatis multum: ejusque fructus multiplices percepimus ipsi, non tantum legendis Heusingeri, Ruhnkenii, Wyttenbachii aliorumque similium virorum admonitionibus; sed etiam his ipsis animadversionibus nostris, dissimili quamvis consilio, ad illorum exemplum conscribendis: eosdemque, atque etiam uberiores, si porro inde fructus perceperint ii, quorum usibus in primis haec opera nostra destinata est, longe profecto aberit ut ejus nos poeniteat; praesertim cum eam susceperimus non tam reprehendendi studio ducti, quam potius ea spe, fore ut partim summorum virorum memoriam ab ignorationis suspicione et malevolentiae telis vindicaremus; partim, ut veterum elegantiarum amantes intelligerent, quantum requiratur studii et laboris ad perfectam purae bonaeque Latinitatis laudem consequendam, quantumque adhuc absit a summo qui vel longissime ad eam profecerit. Vere enim atque egregie, ut omnia, scripsit Ruhnkenius in Praefat. ad Muretum, Tom. I. sive Opusc. T. II. p. 683: „Non est inter recentio„res, si Latinitas spectetur, *Mureto* scriptor emen-

„ da-

„ datior. Vel sic tamen ei non sentienti quaedam „ minus Latina surrepserunt. Quae ne juvenes, „ quibus hanc Editionem comparavi, tanquam pro- „ be dicta arripiant, feci idem, quod vir in paucis „ Latine doctus, *Lagomarsinus* in *Julii Pogiani* „ Epistolis edendis fecit, ut in talibus locis, quid „ Latinitatis ratio postularet, breviter monerem." In quam bonae Latinitatis laudem quum, in paucis aliis, quasi hereditatis quodam jure, *Mureto* successerint *Ernestus*, *Ruhnkenius*, *Wyttenbachius*, quid quaeso ab aequitate et humanitate alienius excogitari queat, quam talium virorum manes imprudenter, atque adeo impudenter laedere, et, quod in simili re dici solet, *stellis nebulam adspergere candidis*? quid contra magis aequum et consentaneum, quam eorum omni modo et ratione auctoritatem sequi et tueri: aut, si forte in errore deprehendantur, modeste, candide, simpliciter, at simul etiam invito et cum quodam doloris sensu, monere de iis, quae illis sive prudentibus sive imprudentibus minus bene dicta exciderint? Quae modestiae et verecundiae significatio an in istos cadat, necne, novitios reprehensores, aliorum sit judicium. Nos quidem, si ea modestia vocanda sit, magnorum virorum dicta censoriâ virgulâ temere notare, eosdemque ignorantiae, barbarici, soloecismi, et nescio quorumnam tandem errorum impune arguere; quid eo nomine significetur, nos nullo modo intelligere ultro fatemur.

Ceterum de hac nostra Annotandi opera duo adhuc in universum teneantur. Primum, non adeo doctis et eruditis scripsimus, quam tironibus, iisque qui ad-

adhuc doctiores fieri cupiunt. Unde sequitur, passim plura a nobis animadversa esse, quae si non legeremur, haud desideraturi essent Doctissimi et Clarissimi Viri. Et vel sic tamen haud pauca subinde deprehensum iri, de quibus valeat illud

Indocti discant, ament meminisse periti,

si affirmaverimus, haud veremur, ne a vero longius aberrare videamur. Alterum hoc est, quod hanc omnem Annotationis copiam separatim in fine libri posuimus, triplici potissimum de causa: primum, quo majus nobis, interea dum reliqua libri pars typis describeretur, ad eam colligendam, praeparandam et conscribendam otium suppeteret: deinde, ut ne mole sua Ruhnkenii et Wyttenbachii scriptiones obrueret; id quod saepius scriptoribus, doctorum virorum animadversione vel illustratis, vel etiam obscuratis, contingere videmus, et a multis merito improbari, ut contextus, qui dicitur, annotationis tamquam fluctibus innatare ac propemodum immergi videatur: denique spectavimus eos, si qui sint, quos tamen aut nullos aut paucos certe fore speramus, sed si qui sint, qui hac nostra Annotatione *onerari* magis, quam *ornari* librum judicent; ut igitur ii, missa reliqua libri parte, solas integras, atque ab omni alienae contagionis labe intactas, legere possent ipsius Ruhnkenii et Wyttenbachii palmarias scriptiones.

Atque ita sponte pervenimus ad eam Praefationis nostrae partem, qua eramus expositori de harum scriptionum laudibus atque utilitatibus: quam tertiam earum simul uno volumine repetendarum Luchtmansiis

siis causam exstitisse diximus. Etenim quis est qui ignoret, quis qui neget, quidquid in illo genere unquam scriptum sit, eas longo intervallo post se reliquisse; et tamquam Phidiae signis artificis praestantiam, sic Hemsterhusiano Elogio auctoris Ruhnkenii, Ruhnkenianâ Vitâ Wyttenbachii cognitam et spectatam esse divinam ingenii animique magnitudinem? Verum ne temere vagetur disputatio nostra, paucis deinceps videamus de utriusque libelli causis, consilio, indole, praestantia denique et utilitate.

Ac de *causis* quidem si quaeratur, utriusque scriptionis easdem fere, aut similes certe fuisse reperiemus. Habuerat Ruhnkenius praeceptorem Tib. Hemsterhusium, divinum virum, et paterna ab ipso pietate cultum. Hunc semel vitâ functum laudare, hujus celebrare merita, hujus incredibilem, quâ eluxerat, ingenii doctrinaeque vim ostendere, hunc omnibus Literarum cultoribus imitandum proponere, jam dudum secum constitutum propositumque sibi habuerat; quum, ecce, anno post Hemsterhusii obitum altero, qui fuit 1767, ad ipsum deferretur summus Academiae Magistratus. Quo post anni intervallum defuncto quum ipsi proximo mense Februario 1768, more majorum, solenni oratione habendâ, secedendum esset; hanc primam publice dicendi opportunitatem nactus, dixit *de Hemsterhusio*, in eoque *perfectam Critici formam spectandam* exhibuit. Hanc vero Orationem, suadentibus ut eam ederet amicis, quominus semel lecta in oblivionem abiret, prima statim editione, mutato Orationis habitu, in Elogii formam redegit. Haec ipse fatetur in brevi, quam ei prae-

praemisit, Praefatiuncula, et confirmat Wyttenbachii narratio Vit. Ruhnk. p. 141.

Habuerat similiter Wyttenbachius praeceptorem Ruhnkenium, Hemsterhusio in paucis ingenii doctrinaeque ubertate proximum, eumdemque haud minore ab ipso, quam ab Ruhnkenio Hemsterhusius, paternae pietatis affectu cultum. Hujus mortui memoriam conservaturus, praedicaturus laudes, commendaturus exemplum, successor ipsi Amstelodamo Lugdunum commigrans, quo felicius novae cathedrae munus auspicaretur, dixit *de adolescentia Ruhnkenii in exemplum proposita adolescentibus Batavis bonarum Literarum studiosis*. Hanc ille Orationem non, ut erat, ita edidit, sed formam ejus sic immutavit, materiamque adeo auxit, ut non tam vel Oratio, vel Laudatio, vel Elogium videretur, sed Narratio de Vita Ruhnkenii. Quod sibi vitae ipsius conscribendae dudum antea consilium fuisse, ipsi adeo Ruhnkenio, talia minus improbanti, quam potius parum curanti, subinde significaverat. Vid. Vita Ruhnk. p. 189. Ergo non multum diversa Wyttenbachio fuit laudandi Ruhnkenii, quam fuerat Ruhnkenio laudandi Hemsterhusii, causa ac temporum opportunitas.

Haec de causa. Ad utriusque *consilium* quod attinet, Ruhnkenio quidem non id fuit, ut Hemsterhusii vitam narraret, sed ut viri, divinis animi ingeniique bonis cumulati, veram imaginem referret. Sic enim et ipse sentiebat, et sententiam suam Ernesto explicuit, magnorum virorum vitas ita esse enarrandas, non ut in singula, eaque privata negotia, anxie et sedulo inquiratur, sed ut ipsorum quasi animus vul-

tusque, narratione verâ ac dilucidâ, adumbrentur. „Vitae" inquit in Ep. XV. ad Ern. Opusc. T. II. p. 860 „Gesnerianae enarrationem, quaeso, ne differas in aliud tempus. Alii dicent, quam uxorem, „quot liberos habuerit. Tu nobis *effigiem summi* „*ingenii et doctrinae* expressam dabis, quam in„tueantur bonarum literarum studiosi." Fecit Ernestus, conscripsitque eam de Vita Gesneri Narrationem, Ruhnkenio inscriptam, quâ primus in Germania ostendit, quomodo talis scriptionis esset instituenda ratio. Nec longe diversa spectans Ruhnkenius, Hemsterhusii postea non vitam exposuit, immo ne attigit quidem, nisi breviter, et in annotatione, et quasi aliud agens: sed criticam ejus facultatem explicuit, et qua parte gloriam suam in primis fundaverat vir summus, eâ ipsum spectandum exhibuit; id quod ex ipso ejus apparet *Elogio* pag. 9. Consilio non multum quidem dissimili, at dissimili tamen, conscripsit Wyttenbachius Ruhnkenii *Vitam*, id est ejus non *Laudationem*, qua viri virtutes in coelum tolleret, vitia vel silentio praeteriret, vel turpi excusatione tegeret; neque etiam *Elogium*, quo ejus, ut Hemsterhusii fecerat Ruhnkenius, animum ingeniumque per se, et quod vulgo barbare dicunt, *in abstracto* spectaret, nec tam virum ipsum, quam viri praestantiam celebraret: sed *Vitam* conscripsit, id est Narrationem de vita ejus, similem ei, qua de Gesnero egerat Ernestus, at longiorem uberioremque ad ingenii doctrinaeque fructum, ab initio inde, sive a natali Ruhnkenii die, ad extremam usque vitae partem perpetuo quasi filo deductam,

tam; interposita subinde alius generis et argumenti sive narratione sive animadversione, at semper tamen eâ cum Ruhnkenii rebus aliquo certe modo conjunctâ; ac denique adjunctâ animi, ingenii, doctrinaeque per se spectatae explicatione. Aliud ergo fuit Ruhnkenii, aliud Wyttenbachii consilium: alia ergo etiam utriusque scribendi ratio, *alia* scriptionis *indoles*. De hac jam sequitur ut videamus.

Ruhnkenius igitur, cum sibi proposuisset perfectam Critici formam in Hemsterhusio spectare, non tam id sibi voluit, ut de illa perfecti Critici forma Hemsterhusii imaginem duceret, ad eamque adumbraret, quam potius hoc, ut de Hemsterhusii exemplo illam perfecti Critici formam sumeret, nec magis adeo illum ad hanc, quam hanc ad illum fingendo accommodaret. Ergo post breve *exordium*, argumenti rationem commendationemque complexum, pag. 5 ad 9, mox brevem subjicit *Critices descriptionem*, explicationemque duplicis praesidii, quo Criticus instructus esse debet, *ingenio* acerrimo, et *eruditione* prope immensa, pag. 10. Quas duas diversas dotes deinceps in Hemsterhusio spectavit: primum *ingenii* felicitatem, inde a pag. 11 ad 15: deinde *eruditionis* ubertatem, pag. 16—49. ex quarum conjunctione dotium quum sponte efflorescerent *Critica disciplina*, hac quomodo perfectus Criticus utatur, ipsius Hemsterhusii exemplo probavit proximo loco, pag. 50—68. His demum absolutis, *animum* viri, utrique et ingenii et doctrinae facultati vel parem vel superiorem, contemplatus, pag. 69—77, universae orationi epilogi loco subjecit brevissimam illam et simplicissimam,

mam, at in summa illa brevitate et simplicitate gravissimam conclusionis formulam: *Tali ingenio, doctrina, et sapientiâ fuit Hemsterhusius, cet.* Haec summa est totius Elogii, ex ipso argumenti proponendi modo pag. 9. manifesta. Huic de viri vita rebusque non nisi obiter hic illic paucissima interposita leguntur pag. 18, 19, 21 sqq. 60, 67, 70, alibi: missa diligentiore narratione, cujus summa et praecipua capita breviter tantum referuntur in Annot. ad pag. 18.

Alia Wyttenbachii ratio fuit. Is quum vitam scribere sibi propositum haberet, Ruhnkenii res, ab initio inde repetitas, perpetua narratione ad finem usque deduxit: ingenii illam, doctrinae, animique adumbrationem, epilogi loco, extremo libro adjecit. Nec vero quis existimet, *purpurei panni* instar *late splendentis*, sic hanc assutam esse adumbrationem narrationi tenui, humili, jejunae, ad annalium rationem exiliter contextae, omni orationis ornatu tamquam veste detracto. Non is profecto fuit Ruhnkenius, cujus praestantiam tanta caperet scriptionis jejunitas: neque is fuit Wyttenbachius, qui tantam viri praestantiam inornatam dimitteret ac silentio praeteriret. Sed, ut antea Oratione inaugurali habendâ illud egerat, ut *Ruhnkenii adolescentiam* in exemplum proponeret *adolescentibus Batavis* bonarum literarum studiosis: ita nunc ejusdem Vitâ conscribendâ hoc spectavit, ut ejus non *adolescentiam* solum, sed etiam *virilem aetatem*, *senectutem*, *omnemque* omnino *vitam*, quoad quidem ea cum Literarum studiis fuisset conjuncta, in exemplum proponeret non *adolescentibus* tantum, sed perfectae aetatis *viris*; nec popularibus tantum

Ba-

Batavis, sed *omnibus* omnino omnium gentium et ubique terrarum hominibus, qui vitae sibi tabernacula in Literis aut jam dudum collocassent, aut in posterum collocaturi essent; nec denique unam Critici formam in Ruhnkenio spectavit, sed Grammatici quoque, Doctoris Academici, Scriptoris librorum, et in universum ejus, qui quocunque tandem vitae literatae munere rite et laudabiliter fungatur. Ac prouti in *Hemsterhusio* Ruhnkenius *perfectam Critici formam* spectaverat, similiter in *Ruhnkenio* Wyttenbachius *perfecti Literatoris formam* spectandam exhibuit. Sed prouti Ruhnkenius non adeo Hemsterhusii perfecti Critici vitam narraverat, sed ipsius imaginem retulerat: contraria secutus Wyttenbachius, Ruhnkenii perfecti Literatoris non solam adeo effigiem exhibuit, tamquam artificis signum de marmore ductum, sed ejus omnem vitam et vitae munera narravit, ab ineunte aetate ad supremum usque diem. Ac denique, prouti *Hemsterhusii Elogium* est *Elogium perfecti Critici*, sic etiam *Vita Ruhnkenii* non alia existimanda videtur, quam *Vita perfecti Literatoris*. Haec unice vera est, eaque primaria, utriusque scriptionis indoles et ratio.

Ergo, inquiet forsitan aliquis, recte judicavit is apud Mahnium in Vit. Wyttenb. pag. 168, quicunque tandem fuerit, qui *Fabulam Milesiam Latine scriptam a Wyttenbachio sub nomine Vitae Ruhnkenii editam esse* dixit: partim ille quidem vere, partim secus. Vere, quia in Ruhnkenio perfecti Literatoris formam spectavit Wyttenbachius, nec magis Ruhnkenii, quam perfecti Literatoris vitam narravit:

secus, siquidem Ruhnkenii imaginem non magis a perfecti Literatoris forma duxit Wyttenbachius, quam hanc ad illius exemplum informavit; nec tam Ruhnkenii vitam ad vitam perfecti Literatoris, quam potius hanc ad illam accommodavit; nec denique perfecti Literatoris laudes Ruhnkenio falso adscripsit, sed veras Ruhnkenii laudes, sub imagine perfecti Literatoris, vere, candide, et simpliciter retulit. Nam quo minus Wyttenbachii in Vita Ruhnkenii fidem desideremus, multae sunt, eaeque gravissimae, quae prohibeant rationes. Ac primum quidem ipsa argumenti indoles, gravitas, et in vulgus notitia. Quis credat, Wyttenbachium, de vita Ruhnkenii referentem, non *vitam* sed *fabulam* narrasse? Quis credat, eum veris Ruhnkenii laudibus substituisse fictas, propriis alienas, probatis falsas? Quis denique credat, eum ita finxisse, viventibus Ruhnkenii uxore, filiabus, amicis, discipulis, omninoque omnibus, qui viri ingenium fuerant mirati, doctrinam suspexerant, virtutes amaverant? Deinde, non ita imparatus ad scribendum accessit Wyttenbachius, quin antea idoneum sibi collegisset materiae apparatum, tam è sua ipsius observatione, quam ex aliorum, et ipsius in primis Ruhnkenii narratione haustum: a cujus manu nisi plura habuerit, eaque diligentius et copiosius perscripta, illam certe habuit brevissimam vitae notationem, ab ipso memoriae proditam, et ad Hakenium missam, veterem civem et aequalem, de qua agitur in Vita ipsius pag. 177. Sed audiamus Wyttenbachium de sese ipsum referentem, pag. 154: „ Caeterum, inquit, quae ante meum in hanc ter-

„ ram

„ ram adventum fuerunt *Ruhnkenii res*, has cum *ex* „ *ipsius*, tum *ex aliorum*, *sermonibus acceptas* et „ memoria custoditas, retuli: quae postea secutae „ sunt, earum *ipse testis* fui." et pag. 189: „Me- „ mini me Ruhnkenium illo tempore monere, ut vi- „ tae suae argumenta scripto notaret; ut esset, un- „ de eam alii conscriberent, ipso mortuo, eumque „ me futurum profiteri, si quidem me illi supersti- „ tem fecisset fortuna. Ille, voluntatem sibi meam „ non ingratam esse ostendens, promisit se factu- „ rum quod peterem. Interea ille nil horum facere: „ ego subinde instare: denique ille respondere, sa- „ tis me res suas scire, satis etiam sibi esse è scrip- „ tis suis cognosci. Ergo eo magis *operam dedi*, *ut* „ *res ejus cognoscerem*, cum *ex ipso* in primis *per-* „ *cunctans*, tum *alios* etiam *interrogans*. Cujus „ cognitionis auctoritate fretus nunc hanc Viri Vitam „ memoriae prodo." Ne qua autem cuiquam oboria- tur suspicio, eum acceptas ex ore Ruhnkenii alio- rumque sermonibus relationes, suasque ipsius anno- tationes, minus vere memoriae tradidisse et supra rem veritatemque exornasse, impedimento sunt, quae sta- tim ab initio candide prudenterque de consilio ipse suo monuit: „ Ac ne quis, inquit pag. 5, *laudum* „ nomine, quod aliquoties posui, eo inducatur ut „ putet mihi *laudationem* Ruhnkenii esse proposi- „ tam, id est, ejusmodi scriptionem, qua praeci- „ puos vitae ingeniique locos delibem et oratione „ supra rem veritatemque efferam atque exornem. „ Istam orationis facultatem nec ego teneo, nec „ Ruhnkenii vita desiderat: quae, ut nil non habuit

„ vel laudabile vel cum laude conjunctum, nil nisi „ simplex, apertum, et verum, ita ad laudem sim„ plici nudaque narratione contenta est. Et erit „ sane simplex haec scriptionis ratio accommodatior „ cum ad facultatis meae mediocritatem, tum ad „ cognitionis exemplique fructum." Et rursus pag. 259: „ Neque dissimulandum est, in Ruhnkenii „ animo tales, quasi egerminantes, affectiones ac „ proclivitates exstitisse, quae in virtutum numero „ non censeantur. Neque nos eum ut perfectum „ absolutumque hominem informamus, neque ejus „ *Laudationem*, sed *Vitam* scribimus. cet." Postremum, idque longe omnium gravissimum, si illum exceperis, qui lepide ac jocose, magis quam vere et ex animi sententia, *Fabulam Milesiam* dixit Vitam Ruhnkenii, nemo adhuc repertus est, qui ejus ullo idoneo argumento fidem in dubium vocaret, nedum penitus labefactaret. Nam si qui aut fuerunt olim, aut fortasse etiam nunc sunt, qui ejus singulares quosdam locos in scriptis suis publice improbent vel reprehendant; eorum aut satis jam explosae sunt ratiunculae aliorum sive refutatione sive silentio, aut judicii levitatem et inconstantiam parum curamus. Si qua forte hic illic apparere videatur in hominum, rerum, temporumve rationibus repugnantia, hanc quidem ejusmodi esse deprehendimus, ut ad summam Auctoris fidem, praesertim habita ratione consilii, quod in scribendo secutus fuit, nihil ne levissimum quidem desideretur. Reliqua omnia sunt ex eo genere, ut vel aliorum passim testimoniis nitantur et confirmentur, vel nullam alieni testimonii auctorita-

rem desiderent. Cujus rei passim indicia quaedam in Annotationibus nostris attulimus: ac plura insuper afferre poteramus, nisi suam sibi Wyttenbachio fidem, etiam sine nostrà opera, satis constare judicaremus.

Non est ergo *Fabula Milesia*, quam sub nomine Vitae Ruhnkenii scripsit Wyttenbachius. Et tamen sunt, nonnullis certe esse videntur, quae sive cum argumenti consilio et ratione, sive cum Ruhnkenii dictis factisque, sive adeo subinde cum ipsa re et veritate, minus videantur consentire, et repugnantiae quamdam speciem, quamvis levem, at speciem tamen, prae se ferre. Nimirum hic probe tenenda est pervulgata illa sententia, *magnum virum nisi a magno viro rite laudari non posse:* unde fieri, ut si quis magnus vir ab alio item magno viro laudetur, alter de alterius imagine quamdam similitudinem referat, alter de alterius laudibus suas quasdam sibi laudes expetat, vicissimque alter in alterius laudes suas quasdam laudes conferat. Tenendum porro, quod hac ipsa de causa de Hemsterhusii Elogio scripsit Wyttenbachius, Vit. Ruhnk. pag. 28, *in eo Ruhnkenium ita totam illius doctrinam explicuisse, ut simul significaret, quid ipse probaverit ac secutus sit.* Quod ut verissime dictum apparet, quam primum praecipua illius Elogii loca cum praecipuis item de eodem argumento Vitae Ruhnkenii locis comparentur; cujusmodi comparationem passim ipse instituit Wyttenbachius, et nos in annotatione nostra instituere studuimus, nunc autem uno de exercenda Critices disciplina loco ex Elog. Hemst. p. 50 sqq. et ex

Vita Ruhnk. p. 233 sqq. laudando contenti erimus; ita simile quoddam consilium ad Vitae Ruhnkenii meliorem intelligentiam transferri oportet, cujus item Clar. Auctor *ita totam Ruhnkenii doctrinam explicuit, ut quid ipse probaverit ac secutus sit*, passim magis minusve diserte significaret Wyttenbachius. Res longior est, quam ut eam hoc loco sive rationum pondere confirmemus, sive exemplorum copiâ illustremus: sed verum esse, quod dicimus, haud dubitanter affirmamus, posteaquam rem omnem, allatis et comparatis Vitae Ruhnkenii locis, in clarissima luce collocavit in Vita Wyttenbachii, dignus tanto viro discipulus et vitae narrator, G. L. Mahnius: et nos inde, quaecunque ad Vitam Ruhnkenii illustrandam in primis conducere judicabamus, studiose excerpsimus, et ad sua quaeque in Annotatione nostra loca retulimus. Unum ergo hic, exempli gratia, locum attulisse satis fore putamus eum, ubi id agens Wyttenbachius, ut ostendat, qua ratione Graecos Auctores in scholis interpretari soleret Ruhnkenius, suam ipsius fere rationem ad ipsum retulit, hanc pag. 78: *ut disciputi ipsi singulos locos interpretarentur, et à magistro adjuti correctique, ad intelligentiam auctoris, rerum, proprietatis Graecae exercerentur: pauca dictarentur, sed accommodata ad illam intelligentiam, et ad praesentium discipulorum captum, usum, necessitatem: pauciora etiam citarentur.* Hanc enim germanam fuisse Wyttenbachii rationem, mecum norunt omnes qui Graecis ejus scholis vel interfuerunt ipsi, vel saltem ejus Dictata, quae dicuntur, oculis lustrarunt. Hanc autem, utpote sibi probatam rationem, ita ad Ruhnkenium retulit, ut non aliam

aliam huic placuisse, non aliam hunc secutum fuisse, propemodum inde colligas; quum tamen constet Ruhnkenium, non dico doctius dictavisse, de quo nec hujus loci nec nostrum est judicium, sed certe non tam *pauca*, imo potius satis *multa* citasse. Plena sunt ejus in Graecos scriptores dictata locorum ex aliis scriptoribus explicationis causâ allatorum; plena doctissimarum, de singularum vocum dictionumve vi et significatione, animadversionum; plena interpretum et grammaticorum veterum recentiorumque, quorum nomina et auctoritates afferuntur. Aliter solebat Wyttenbachius, non quia aliter non posset, sed quia sic satis esse putaret ad captum discipulorum. Dicas fere hunc novitiis dictasse, illum veteranis. Et tamen uterque rem bene egit, et suo invicem exemplo comprobavit id quod vulgo fertur, *variis modis bene fieri*. Sed haec ut levis est discrepantia, nec digna quae studiose animadvertatur, ita nil magnopere efficit ad minuendam in rebus Ruhnkenii exponendis Wyttenbachii fidem; modo illud probe teneatur, illius in plerisque exemplum secutum Wyttenbachium, suam propriam doctrinae disciplinaeque rationem ad illum referre, et probabiliter potuisse, et necessario debuisse, et vero subinde re ipsa retulisse, ad suamque ipsius imaginem illius praestantiam adumbrasse: unde fieri ut, nisi perspectâ Ruhnkenii magnitudine, intelligi nequeat Wyttenbachii magnitudo; et contra, quo quisque magis Wyttenbachii magnitudinem cognitam perspectamque habeat, eo quisque magis meliusque Ruhnkenii magnitudinem suspicari, ejusque ab illo conscriptam vitam intelli-

ge-

gere posse videatur. Et quemadmodum in Xenophontis Cyropaedia, omnium intelligentium consensu, non omnia ficta sunt, sed quaedam ficta ad Socraticae imaginis similitudinem veris permista; sic in Vita Ruhnkenii pleraque vera esse quidem, sed in his pauca quaedam ad Wyttenbachii sententiam et rationem accommodata. Ac prouti in Cyro illo majore, Persici imperii conditore, *exemplum boni et perfecti regis, ad Socraticae rationis praecepta compositum*, spectari voluit Xenophon; similiter affirmare nullo modo dubitamus, in Elogio Hemsterhusii *perfectam* exhiberi *Critici formam, ad Ruhnkenii mentem ejusque praestantiae modum effictam;* similiterque in Vita Ruhnkenii narrari *vitam perfecti Literatoris, ad Wyttenbachii disciplinam et similitudinem fideliter exactam et conformatam.* In quo nihil esse, quod sive ab ipsa rei verisimilitudine abhorreat, sive cum historiae fide et veritate pugnet; aequos omnes et intelligentes judices facile nobis assensuros esse, haud temere sperare audemus.

De *praestantia* et *utilitate* utriusque scriptionis, saepe multumque a multis disputari audivimus, utra utrius major esset. Qua de re tam anceps, tamque difficile est judicium, ut nobis quidem longe praestare videatur neutrius in gratiam quidquam statuere, quam de alterius laudibus detrahere, quod alterius commendationi addatur. Et habet sane uterque libellus suum sibi praestantiae utilitatisque modum quasi et mensuram, non illam amborum ad se invicem comparatione aestimandam, sed sua cujusque gravitate ponderandam. Aliam quippe vidimus alte-

te-

terius esse rationem, aliam alterius indolem: consilium quidem haud multum adeo diversum, nec dissimilem utriusque causam. Unde fit ut, in magna similitudinis ratione, tam insignem habeat uterque libellus dissimilitudinis non speciem tantum, sed apertam significationem, ut alter cum altero, per omnes et singulas partes, invicem comparari nequeat; atque adeo in alterutro sit, quod in altero sive abesset, sive adesset, nec desiderandum nec ferendum fuisse videatur. Omnis autem haec de laudibus utriusque scriptionis disputatio versatur partim in *materia*, ejusque cum inventione, tum dispositione explicationeque; partim in *forma*, ac tenore cum universae orationis, tum singulorum verborum ac sententiarum. Ac de materia quidem, quis est qui neget dignam eloquentiâ fuisse materiam *Hemsterhusii laudationem*, dignam item *Ruhnkenii vitam?* Quis neget, aptam fuisse et accommodatam eam, quam cum in Hemsterhusii laudatione, tum in vita Ruhnkenii, pro utriusque partim eâdem partim diversâ ratione, invicem partim similem, partim dissimilem esse vidimus, materiae distributionem pertractationemque. Utrique inest vitae rerumque narratio, utrique etiam ingenii animique adumbratio; earum vero in altera scriptione altera priore ac praecipuo loco posita ac ponenda. Ruhnkenius, si Hemsterhusii res omnes, praecipuas certe et cum Literarum laude conjunctas, priore Elogii parte singulas deinceps narrasset, eisque brevem ingenii, animi, morum descriptionem epilogi loco addidisset; profecto *Hemsterhusii* non *laudationem* scripsisset,

sed

sed *vitam*. Wyttenbachius contra, si ingenii illam animique adumbrationem, primo ac praecipuo loco habitam, per omnes libri partes, ab initio ad finem, ita diffusam et frequentem prodidisset, ut causas rerum et eventus, non res ipsas narraret, et has non nisi brevissime et quasi aliud agens attingeret, semper herois sui laudibus praedicandis et celebrandis intentus; profecto *Ruhnkenii* non *vitam* scripsisset, sed *laudationem*. Ergo quae alteri laudem peperit, eadem alteri vituperationis causa exstitisset: et qua in re cernitur alterius invicem scriptionis dos ac praestantia, eadem alteri justam reprehensionis materiam praebuisset. Unde sponte sequitur, utriusque auctorem libelli, eam quam sibi tractandam sumsisset, optime rem egisse, utrumque, pro suo cujusque dissimili consilio, vere *monumentum aere perennius exegisse*. Et sunt tamen, quae in alterâ magis placere videantur, quam in alterâ. Perfecti Critici praestantia quum tam late pateat, ut omnes etiam partes complectatur grammatici, poëtae, oratoris, historici, philosophi; cumque in his omnibus singulari versetur judicii acumine, eruditionis ubertate, animi integritate et candore; sequitur ut, qui omnia ista semel et simul unius libelli admirabili brevitate complectatur, ad eamdem rationem, qua fecit in *Elogio Hemsterhusiano* Ruhnkenius; is brevi tempore et parvo volumine longe plura quasi in unum contracta protulisse censeatur, quam qui easdem Critici et Literatoris dotes, per totam viri vitam passim diffusas et pertinentes, explicet ita, ut fecit in *Vita Ruhnkenii* Wyttenbachius. Contra, qui totam sibi enarrandam sum-

sumsit perfecti Critici et Literatoris vitam, in ejusque variis partibus, varias Critici et grammatici dotes, varia utriusque officia, variam disciplinae rationem, omnia singulatim explicanda et spectanda sibi proposuit; is de singulis longe ampliorem longeque copiosiorem sibi patefactum propositumque videt disputandi campum et materiem, in qua tractanda et exponenda pro lubitu versetur, et nunc liberius vagetur et excurrat, nunc in fines sese suos retro recipiat, et ad propositam argumenti pertractationem redeat; quam qui id unum agat, ut illas tam multas tamque diversas et late patentes naturae doctrinaeque dotes, unius ad dicendum horae, et unius item orationis, angustis sane finibus circumscriptas, in unius hominis exemplum quasi in arctum contrahat et concludat omnes, et tamen de singulis tantum dicat, ut, quod ad summam attinet, nihil omnino desiderari posse videatur. Ita fit ut, si materiae in suas partes distributae quaeratur apta et concinna dispositio, ejusdemque explicatio brevis, succincta, dilucida, numeris suis absoluta, cui nihil desit, quod adesse, nihil item adsit, quod abesse debeat; palmaria artificii laus utique, jure suo, debeatur *Elogio Hemsterhusii:* quippe cui prorsus nihil inest, quod perfectae laudationi inesse non debeat; nihil deëst, quod in ea deësse nequeat; nihil denique desideratur, praeter uberiorem de vita rebusque Hemsterhusii narrationem, quae in talem scriptionem non cadebat. Contra, ubi de ejusdem materiae, in qua perfecta cernitur Critici laus ac praestantia, per omnes vitae partes, munera,

of-

officia, per omnes rerum temporumque vicissitudines, per plures denique diversi ingenii ac doctrinae homines, diffusae et pertinentis, in sua cujusque loca divisione, dispositione, varietate, ubertate, copia et pertractatione quaeritur; palmaria illa artificii laus omnino jure quodam suo debetur *Vitae Ruhnkenii:* cui prorsus nihil deëst, quod a perfecti Literatoris vita abesse nequeat; nihil adest, quod ei adesse non debeat; nihil desideratur eorum, quae ad narrationis copiam, ornatum, varietatem et jucunditatem, requirantur; plurima denique insunt, quae etsi cum vita rebusque Ruhnkenii aliis alia magis minusve conjuncta, omnia tamen tantam habeant ad animi oblectationem simul ac doctrinae fructum vim et efficaciam, ut eorum ne minimum quidem lubenter abesse velis, et, si abesset, pene desideraturus fuisse videare. Nam quid frequentes illas commemorem in aliarum rerum, temporum, locorum, hominumve descriptionem digressiones, omnes illas tamen aliqua certe ratione cum Ruhnkenii negotiis conjunctas: quarum quidem ea vis est, ut quae semper esse solet narrationis perpetuae, tametsi a summi artificis manu profectae, jejunitas quaedam et nescio quae sterilitas, hanc tantopere tegant, minuant, et grata quadam varietate exornent, adeoque legentium animos capiant teneantque, ut illi non *Vitam* sese, sed plane, quam vocant, *Fabulam Milesiam* legere sibi videantur. Quid illam dicam Hemsterhusianae doctrinae disciplinaeque declarationem, pag. 22 sqq.? Quid Ruhnkenii, praestantiam illam et secuti et assecuti, laudabile exemplum, ad alio-

rum

rum omnium studia excitanda et moderanda compositum, p. 29 sqq.? Quid illam, justae censurae similem, de Timaei Ruhnkeniani materia, vi, usu, ac praestantia relationem, p. 49 sqq.? Quid illam, cum omni verae et elegantis doctrinae ratione conjunctam, de censu Auctorum Classicorum disputationem, p. 142 sqq.? Quid festivum illum, planeque ad naturae simplicitatem effictum, Ruhnkenii veterani cum puerulo tirone de Historiae studio sermonem, p. 98 sqq.? Quid similes alios locos, et numero multos, et materia varios, et ornatu insignes, et fructu uberes? Qui omnes ut a Laudatione abesse debebant, sic Vitae narrationi singularem adjungunt accessionem suavitatis, varietatis, utilitatis. Quid aliorum hominum et doctorum virorum elogia dicam, judicia, eorumque invicem et cum Ruhnkenio comparationes, Hemsterhusii (*), Valckenaerii (†), Alber-

(*) Vid. pag. 26 sq. 28. 131 sq. 180 sq. 222. alibi.

(†) Pag, 133—141. Qui classicus omnino locus est de Valckenaerio, atque haud scio an quavis alia Laudatione, quam adhuc desideramus, illustrior, et singularibus ingenii doctrinaeque dotibus, quibus eluxit Vir summus, declarandis aptior et accommodatior. Quid autem desideramus? Laudationem, scilicet, illius Viri, qui etiamsi a nullo laudetur, tamen non minus sit laudabilis. Habemus in *Elogio Hemsterhusii* perfectam Critici ad verum expressam imaginem. Habemus in *Vita Ruhnkenii*, principis in Literis viri initia, progressus, excellentiam, totum denique studiorum et vitae cursum; eumque ita informatum, ut omnibus humanitatis studiosis exemplo esse possit, quod perpetuo ac sine intermissione et sequantur et imitentur. Quid ergo est, quod amplius desideremus de altero Literarum

 pri-

bertii, Ernesti (*), Bentleji, Toupii, Marklandi (†), aliorum? Quid, per universum libri argu-

men-

principe *Valckenaerio?* cum praesertim hunc habeamus locum, quo nihil verius, nihil rectius, nihil denique elegantius, de illo unquam vel scribi, vel praedicari, vel judicari posse videatur; mortuo quidem Wyttenbachio, qui Valckenaerium adhuc viventem, vigentem, ac florentem, viderat, audiverat, cognoverat, penitusque perspectum habuerat; et qui solus adeo, ut *Hemsterhusiani Elogii* praestantiam *Ruhnkenii* item et *Valckenaerii Laudationibus*, si voluisset, conscribendis assecuturus erat; sic solus etiam *Vitae Ruhnkenii*, eadem in dispari laudis ac praestantiae genere ratione conscriptam, *Vitam Valckenaerii* adjungere potuisse censendus est. Quorum neutrum hodie a quoquam aut postulandum, aut exspectandum facile videtur. Quod vero jure ac merito desiderari potest, id meo quidem judicio hoc est: ut de Vita Valckenaerii, praesertim Literata; de Studiorum ejus initiis, progressibus, ratione et via; de Disciplina ejus, juvenumque institutione, cum privatim domi, tum publice in scholis; de Scriptis viri omnibus et singulis, in omni Literarum genere deinceps editis; de Adversariorum, ab eo relictorum, ditissimis thesauris; denique, universe de Animi ejus, ingenii, doctrinaeque facultate; quoad quidem quasi è naufragio dispersas tabulas colligere licebit; exponatur Narratione brevi, succinctâ, perspicuâ, temporum ordini accommodatâ, et simplici orationis genere compositâ, missis omnibus iis, quae ad quemvis alium magnum virum aeque referri possint. Quod qui faciet, is superioris saeculi Historiam Literariam insigni accessione augebit, et Civitati Eruditae, in primis in patria nostra, egregium munus afferet. Id autem ejusmodi est, ut ab unoquoque, etiamsi non sit alter Ruhnkenius aut Wyttenbachius, nec ipsum Valckenaerium vivum cognoverit, modo ceteroquin idoneam doctrinae copiam cum probabili diligentiae laude conjungat, et exspectari et effici posse videatur. Quo magis optamus, ut, nisi per aetatem ingra-

ves-

mentum late diffusa, bonarum Literarum, in his aliisve Europae regionibus, initia, incrementa, interitum, instaurationem, praesentem conditionem et florem? In quibus omnibus ita versatus est Clar. Vitae Ruhnkenianae auctor, ut proxime ad verum accedere videantur, qui *Historiam Literariam aetatis Ruhnkenii* eam vocandam judicent: id quod Mahnio placuisse videmus, ejus in paucis praestantiam vere aestimanti, in Vita Wyttenb. p. 168. Quid, ne plura commemorem, postremam illam libri partem afferam p. 216 sqq. qua eas naturae, doctrinae, animi morumque dotes ac virtutes, quae non ad unum quoddam tempus adstrictae, sed per totam vitae Ruhnkenii actionem fusae late patuerunt, suos quasque in locos digestas, ad ipsius Ruhnkenii in Elogio Hemsterhusiano exemplum, ita legentium cognitioni subjecit Wyttenbachius, ut, quamvis Vitam, non Laudationem scripserit, tamen appareat, eum *Elogium Ruhn-*

vescentem liceat eruditissimo Seni Ev. Wassenberghio, iis quae obiter scripsit in Orat. Euchar. p. 17—19, adhuc adjungere breviorem de Vita Valckenaerii Relationem, quam ipsum parare nonnunquam audivimus; tandem aliquando desiderio satisfiat Societatis Ultrajectinae, *Valckenaerii* jam saepius frustra petentis *Laudationem*. Quam vocem quomodo alii interpretentur, ipsi videant: nos quidem in simplici illa, quam diximus, *Narrationis* notione ac significatione acquiescimus, et hanc sufficere putamus. — Ceterum, cum reliquis Wyttenbachii de Valckenaerio locis conjungatur Viri Memoria Opusc. Wytt. T. I. p. 796. ex Biblioth. Crit. P. IX. p. 74.

(*) Vid. utriusque invicem comparatio pag. 113—119.

(†) Legatur de tribus hisce viris pag. 218—222.

Ruhnkenii, ad Hemsterhusiani Elogii praestantiam proxime accedens, si voluisset, ad omnem posteritatis memoriam propagare potuisse.

Jam satis diximus de utriusque libelli materia et indole, ex quo de amborum praestantia fieret judicium. Superest ut paucis de *forma* videamus. Uterque primâ scriptione Orationis formam habuit, et orationis quidem e genere demonstrativo, cujus in summorum virorum laudibus praedicandis argumentum consumeretur. Sed Ruhnkenius nativam illam libelli sui formam prima statim editione sic immutavit, ut non tam *Oratio*, quam *Elogium* videretur. Quod quamvis non satis Latinum esse sciret *Elogii* vocabulum, temporum consuetudini aliquid dare maluit, quam nomine magis eo quidem Latino *Laudationis*, at minus fortasse ad id, quod sibi in Hemsterhusio laudando proposuerat, declarandum perspicuo, consilii sui rationem obscurare magis quam illustrare. Videlicet eam sibi propositam habuisse videtur scriptionis formam, quae viri quasi imaginem referret cum brevi vitae rerumque praecipuarum significatione conjunctam: id est eam, quae nec nomine discreparet, nec argumenti ratione longe abesset ab illo Laudationum genere, quae non adeo in Veterum usu et auctoritate sunt positae, quam recentiorum populorum, praesertim Gallorum consuetudine frequentatae: quo in genere habemus Elogia Sodalium Academiae Parisiensis, a Fontenellio, Alembertio (*), aliis-

(*) Noti sunt libri: *Fontenelle*, et *d'Alembert*, *Eloges de Académiciens.*

aliisque conscripta, egregie quidem illa et eloquenter, nec parum a rei veritatisque studio commendata: eadem vero si cum Elogio Hemsterhusiano comparentur, ejus adeo obscurantur splendore, ut si nocturna lumina spectes ad solis lucem. Hujus enim tantae sunt laudes cum ingenii doctrinaeque, tum orationis et perspicuitatis, ut omnium intelligentium consensu, deque verissima optimi judicis Wyttenbachii sententia, Vit. Ruhnk. p. 141 sq. „*nil in* „ *omni elegantis doctrinae et Eloquentiae genere* re„ centior aetas *perfectius absolutiusque* viderit. Nam „ quum perfectam Critici formam in Hemsterhusio „ spectandam sibi proposuisset, ita ejus ingenium, „ doctrinam, animum, mores explicuit, ita Criti„ cae vim praestantiamque declaravit, ita nativa illa „ ipsique propria Latinae orationis castitate ac venu„ state rem argumentumque illustravit, ut dubites, „ plusne sit in ea scriptione, suavitatis, leporis, „ pulcritudinis, nitoris, an prudentiae, gravitatis „ dignitatis, majestatis; jucundiorne sit lectu, an „ fructuosior exemplo et institutione." Quo magis miror, nuperum quemdam censorem Ruhnkenianae orationis, nescio quam jejunitatem exilitatemque sibi in eâ deprehendere visum esse, iis etiam locis, ubi ceteroquin oratoris ardorem incitare soleat argumenti gravitas, orationisque habitum extollere internorum sensuum sublimitas; eumdemque istius jejunitatis, quam ipsi vocare placuit, causam repetiisse ab ingenii Ruhnkeniani indole, ad sedatam, ut ait, rerum investigationem, earumque in disciplinae ordinem redactam expositionem, multo magis quam ad Eloquentiae

 vim

vim et artificium, naturâ suâ comparati, in quo adeo Ernesto ipsum cedere debere. Quasi vero, ipse Romanae Eloquentiae parens, Cicero (*) non magis ex Academiae spatiis, quam ex Rhetorum officinis, oratorem sese exstitisse fateatur. Aut quasi Ernestus, eam quâ inter suos princeps exstitit, bene scribendi facultatem et copiam non magnam partem debuisset philosophorum disputationibus, veterum maxime, quorum in primis et amore ferebatur, et studio tenebatur, et peritia excellebat. Aut quasi ex philosophiae cognitione, quam juvenis perceperat Ruhnkenius, non „ eam disserendi consuetudinem duxisset, quae in „ omnibus ejus scriptis commentationibusque appa„ ret, definiendi, distribuendi, argumentandi, et „ rem quamque suo loco ponendi: quibus officiis ne„ glectis, laus perspicuitatis elegantiaeque, et om„ nino bene scribendi facultas exstare nulla potest." Cf. Vit. Ruhnk. pag. 16. Aut denique, quasi non eadem disserendi subtilitas in praecipuis censeatur Elogii Hemsterhusiani laudibus. Immo vero, nos quidem non dubitamus cum Wyttenbachio affirmare, *vere aureolum esse libellum, in quo formando et Musae omnes et Gratiae conspirasse videantur.* Vit. Ruhnk. pag. 142.

Wyttenbachio partim similis, partim dissimilis scribendi ratio fuit. Is item, ut Hemsterhusii Ruhnkenius, sic hujus adolescentis exemplum habitâ Oratione adolescentibus commendaverat. Quod argumentum cum esset parva tantum totius Vitae Ruhn-

(*) In Oratore, Cap. III.

Ruhnkenii pars, illam orationem partim adeo immutare debuit, partim tam insigniter locupletare, partim vitae narrationi ita accommodare, ut ejus omnis fere periret pristina forma, nec nisi tantum ex ea retineretur, quantum satis esset ad Ruhnkenii pueritiam adolescentiamque commendandam. In quo iterum ejusdem censoris, obscuri hominis, mirari soleo judicium, Orationis illam formam de Vitae narratione nondum satis sublatam esse opinantis, ad eamque multo magis quam ad vitae simplicitatem accommodatas existimantis elegantes illas, quae non longe ab initio pag. 8. leguntur, ingenii excitandi similitudines cum populorum conversionibus, ponderum movimento, lancium sublatione. Quasi vero ea esse debeat Vitae conscribendae siccitas et exilitas, quae nihil habeat ab oratoria arte commendationis, nihil ornamenti, nihil denique quod cum Eloquentiae studio junctum sit. Aut quasi non a Plutarcho suo hoc didicerit Wyttenbachius, aliud esse *vitam*, aliud *historiam* scribere, i. e. perpetuam et annalium ratione contextam rerum gestarum seriem: hanc simplici narratione esse contentam, in illa plus desiderari, et licere adeo frequenter uti similium invicem rerum comparatione, et verborum sententiarumque assumere ea lumina, quae ut non nimium ultra mediocritatem assurgant, ita narrationis modum a tenuitatis humilitatisque reprehensione vindicent. Aut quasi non alia item loca aptam comparationis materiam Wyttenbachio praebuerint: qualia sunt quae pag. 25 et passim alibi leguntur. Fatemur quidem, universe aliud *Laudationi*, aliud *Vitae* scriptioni convenire dicendi ge-

 nus,

nus; alterius alterâ majorem esse cum oratoris arte conjunctionem; alteram plerumque in mediocri dicendi genere versari, alteri tenue genus saepe sufficere. At nihil impedire videtur, quominus, pro diversa dicendorum indole et ratione, laudator ille subinde sese ad tenuia demittat, contra autem noster hic narrator a tenuibus ad altiora sese attollat. Adeo ut non videamus, quid ex eo reprehensionis jure petatur, si quis aut laudator narrationis nonnunquam sectetur simplicitatem, aut narrator in illam laudandi provinciam paulo liberius excurrat. Et si sunt in ipso Hemsterhusii Elogio, quae illam narrandi simplicitatem vix superent; quis in Ruhnkenii Vita, illius omnibus laudati viri, talia vituperet, quae quo magis ab illa recedunt, tanto magis ad eximias ac paene divinas summi ingenii laudes praedicandas et celebrandas, vere oratorio quodam modo, comparata et composita videantur. Nec est, quod quis dicat, sic tolli et intermitti eum sedatae orationis, tamquam fluminis, leniter procedentem cursum et perpetuitatem. Nam *Laudationi* quidem *unum* et perpetuum subjectum esse solet argumentum, ab exordio inde ad exitum usque sui fere simile et semper *idem*: *Vitae* contra, tamquam materia in qua narratio versetur, *unius* quidem hominis res subjectae sunt; sed eae partim tam variae suique invicem dissimiles, partim tam multiplices et cum alienis negotiis commixtae, ut prorsus aliter fieri nequeat quin subinde alius aliusve stili et orationis color appareat, pro diversa rerum indole, modo tenuis et simplex, modo altior et ornatior,

non-

a nonnunquam etiam, ut ſit, sublimior et propius ad oratoris impetum accedens. Qua una observatione labefactatae, veluti sponte sua, concidunt omnes istorum querelae, qui cum in Vita Ruhnkenii nescio quas sibi videantur deprehendisse rerum orationisque repugnantias ac dissimilitudines, revera nil aliud agunt, quam ut *naevos in pulcro corpore* quaerant, et nec nostra nec aliorum refutatione digni sunt. Nam, si verum est, quod ab idoneo teste nos aliquando audire meminimus, cum diceret istam Ruhnkenii Vitam ab auctore suo, velut uno et perpetuo stili ductu ac tenore perscriptam, totam ita ut erat, ne verbo quidem leviter immutato, Typographis traditam esse describendam, ac deinceps descriptam; quis non tanto magis omnium admiratione dignam, ac laudandam potius quam vituperandam, existimet eam scriptionem, quae primo statim tempore suum sibi habuit perfectionis modum ac mensuram plene cumulatam, eamque tantam, quantam aut vix aut ne vix quidem unquam assecuturae videantur aliae, tametsi de poëtae admonitione vel *nonum in annum pressae?* Ac si quid forte, hic illic, discriminis ac discrepantiae in diversas libri partes irrepsisse videatur; id nec Wyttenbachius dissimulavit, et causam rei ipse explicuit, repetiitque a rerum suarum vicissitudine, temporumque, quibus eum scripsit, difficultatibus. „Igitur" inquit in Praefat. „ducen-„da ac diversis temporibus repetenda scriptione „item factum est, ut in ejus initiis ac priore „parte acrior impressus sit doloris, utpote recen-„tis, sensus: idemque lenior deinceps in progressu „appareat, et tempore et ratione sensim succedente."

Ad Latinae denique orationis probitatem ac puritatem quod attinet, quam sunt qui in Wyttenbachio minorem quam Ruhnkenio fuisse dictitent: nostrum non est de tantorum tam disertorum virorum Latinitate audacter pronunciare; nec temere assentiri novitiorum censorum ratiunculis, nullo auctoritatis pondere munitis; et quae sit vulgo reprehensionum ex eo genere ad unam fere omnium ratio, quamprimum ad justum censurae modum exactae revocentur, partim supra jam diximus, partim de singulis peculiariter in Annotatione nostra demonstrare studuimus. Quae vero tandem illa sit, quam in omnibus Wyttenbachii scriptis, maxime vero in postremis, et in hac quidem Ruhnkenii Vita ubique locorum, conspici dicunt, nescio quae aut quomodo dicam, sive expositionis amplitudo sive orationis redundantia, sibique placens ac subinde pulcri sensui contraria loquacitas, elocutionis denique, ut ita dicam, uniformitas, cujus adeo contagione ipsorum Wyttenbachii discipulorum infectam esse orationem, profecto intelligere me haud fateor. Immo vero, quo magis in *Hemsterhusiano* illo *Elogio* placet, in summâ orationis exquisitissimae brevitate ac simplicitate, concinna simul et suis numeris absoluta rerum expositio, in qua prorsus nihil diffluat, nihil desideretur amplius; eo magis placet in *Vita Ruhnkenii*, legentiumque et studium excitat, et cupiditatem incendit, et animum allicit, nativa illa narrationis simplicitas, dissimilium rerum varietate et copia passim distincta et exornata, orationisque purae et perspicuae modo aequabilitate, modo gravitate, modo sublimitate, mirabiliter temperata et commendata. Tanto magis multiplices et ex-

qui-

quisitas utriusque scriptionis dotes admirabundus spectare soles, ut utri deferenda sit eruditionis et eloquentiae palma, dubius plane haereas et incertus.

Nil dicimus de mutuae aemulationis studio (*), quo exteri pariter atque nostrates, cum in ephemeridibus tum in aliis scriptis, utrumque et Ruhnkenii et Wyttenbachii opus, tamquam *suis numeris absolutum*, veluti certatim laudarunt. Nil de studiorum, cum in omni Literarum genere tum praesertim in Theologia, tam privatim quam publice, tam apud nostrates quam apud exteros, salutari immutatione et conversione, cui inde a medio saeculo superiore Elogium Hemsterhusii, tum vero multo etiam magis ab ineunte hoc nostro saeculo ansam opportunitatemque praebuit fructuosissimus simul ac dulcissimus Vitae Ruhnkenii libellus; cujus adeo suavitate tantopere jam olim capti sunt, et hodieque etiam capiuntur, et vero in posterum, quamdiu quidem suus humanitati constabit honos ac pretium, futurum est ut capiantur plurimorum animi, ut illum non legant tantum et continuo relegant, sed ediscant potius ac praecipuos locos memoriter inde referant. Haec unica est, eaque plane singularis scribentium laus,

(*) Ad *Vitam Ruhnkenii* quod attinet, cf. Vita Wyttenb. p. 167. *Elogii Hemsterhusiani*, prima statim editione a. 1768 in lucem emissi, summam et argumentum honorifice retulit Klotzius Act. Lit. Vol. V. P. IV. p. 426 sqq. Cf. porro, quae de eo antea scripsimus, in Praefat. ad Ruhnken. Opusc. p. XXIII sqq. Exteri quanti utrumque opus fecerint, vel ipsae illae *Vitae Duumvirorum*, altera jam editione quamvis negligentius repetitae, satis superque declarant.

laus, ut ex eorum manibus non nisi talia exeant, quae vel *decies repetita placeant*. Haec in utramque pariter scriptionem, suo quodam et proprio jure, adeo convenit, ut utra utri praeferenda sit quum suspensus haereas, utriusque vicissim pariter tenearis, ipsius veluti sapientiae copiose loquentis, hortatione ac voce, longe illâ mellis dulcedinem superante. Haec in utriusque vere aureoli libelli Auctorem tam praeclara cadit et cumulata laus, ut non alter altero magis, sed uterque pariter vere consecutus censeatur Horatianum illud:

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Haec habuimus, quae de Ruhnkeniano Hemsterhusii Elogio, et Wyttenbachiana Ruhnkenii Vita, pro instituti nostri ratione, modeste et candide disputaremus: non quo nostrum esse arbitraremur, de immortalibus tantorum ingeniorum monumentis temere judicium et sententiam ferre: sed ut intelligerent cum bonarum Literarum amantes, tum vero omnes omnino qui hunc librum lecturi sunt, non esse de vulgarium scriptionum genere ambas, quae illo continentur, scriptiones; verum eas, quae ad scientiae salubritatem, ad judicii subtilitatem, ad eloquentiae copiam et facultatem, ad rectam studiorum viam et rationem valeant plurimum. Quos fructus ut inde quam laetissimos uberrimosque capiant, et porro in dies magis magisque percipiant nostrates studiosi juvenes, tam ipsorum quam humanitatis causa, etiam atque etiam optamus ac speramus.

ARGUMENTUM.

ELOGIUM
TIBERII HEMSTERHUSII,

AUCTORE

DAVIDE RUHNKENIO.

Editio secunda castigatior,

Cui duae *Richardi Bentleji* Epistolae ad *Hemsterhusium* accedunt.

MDCCLXXXIX.

E L O G I U M
TIBERII HEMSTERHUSII.

P R A E F A T I O.

Cum mihi magistratum academicum deponenti publice dicendum esset, perfectam Critici formam in Tiberio Hemsterhusio spectandam *exhibui. Quod orationis argumentum omnibus tam jucundum accidit, ut me nunquam meminerim attentius audiri. Erant etiam, qui hanc orationem quam primum edi cuperent, ut, quam voluptatem illa audienda ceperant, eandem illa legenda iterum capere possent. Quorum voluntati me facilem praebui. Sed quoniam hujusmodi orationes, semel lectae, fere abjici solent, et in oblivionem abire, meae cavendum putavi forma ejus sic immutanda, ut non tam oratio, quam elogium esse videretur.* Elogium *hac significatione non satis Latinum esse scio Sed temporum nostrorum consuetudini aliquid dandum fuit.*

* * * * * *

Nulla facile ars ac disciplina plus vel invidiae, vel infamiae suscepit, quam quae a primario, quod in judicando cernitur, munere Critica vocatur. Haec aliquando incidit in ingenia furiosa, quae nullo ratio-

tionis tanquam freno coërcerentur, aliquando in je-
6 juna et angusta, quae non caperent tantae rei vim
et auctoritatem. Duplex igitur, pro ingeniorum dis-
similitudine, inita est Critices exercendae ratio. Il-
li firma, nec ullo modo commovenda, temere con-
vellebant, et certa incertis conjecturis vexabant: hi
nihil aliud, nisi materiam e libris manu scriptis com-
portabant, in rebus ipsis et sensibus scriptorum ex-
plicandis muti, in verbis et formulis ad grammati-
cam normam exigendis loquaces et rixosi. Utrique
cum sibi Criticorum nomen arrogassent, et, facili
plebe literaria, tenuissent, hominum vitia, ut fieri
solet, ad ipsam artem traducta sunt, et Critica, mo-
do temeritatis et audaciae mater, modo nugatoria
syllabarum auceps, dici haberique coepit. Quam in-
vidiam, non mirandum est, diutius in Critica, quam
7 in ulla alia disciplina, cui per similem iniquitatem
labes adspersa esset, haesisse. Etenim caeterae artes,
magnam partem populares, et communi intelligentiae
patentes, facile inveniunt, qui, caussa cognita, ca-
lumniam depellant. Critica, plures difficultate et re-
rum discendarum copia et varietate deterrens, quam
delectatione aliqua alliciens ad se et invitans, paucos
omni tempore discipulos nacta est, paucos habuit
patronos, qui caussam suam cognoscerent, innocen-
tiam tuerentur, dignitatem et gloriam vindicarent.

Cogitanti vero mihi, quae tandem optima esset ra-
tio tam praeclari studii commendandi, et injuria, qua
premitur, liberandi, nulla commodior et efficacior
occurrit, quam quae perfecti et omnibus numeris
8 absoluti Critici imaginem, ad vivum expressam, ob
oculos ponat. Sic enim spero, futurum, ut, qui-
cunque in hoc exemplar inspexerit, quam artem in
con-

contemtum vocare ausus sit, in ea liberalis doctrinae omnis fastigium esse fateatur.

Verum, ne cui videar Criticum, qualis nec fuerit unquam, nec esse possit, fingere, exemplar ejus ducam ab eorum aliquo, quibus omnes omnia summa in hac facultate tribuerunt. Nec ille longe quaerendus. Adhuc animis, vel dicam, oculis nostris inhaeret TIBERIUS HEMSTERHUSIUS. Vix dum lacrimae, quas in ejus funere profudimus, exaruerunt.

Hic talis ac tantus vir in illis, quorum vix singuli singulis seculis in generis humani exemplum nascantur, praecipuum locum tenet. Quo magis, ut 9
mediocri ingenio homines facile patimur cum libris suis occidere, sic Hemsterhusii memoria conservanda modis omnibus, et aeternitati aequanda est. Quanquam vero ad laudem ejus magnificentius, et ad communem utilitatem uberius futurum esset, si divina cum animi, et ingenii, tum doctrinae, et sapientiae bona, quibus cumulatus fuit, singulatim explicarentur, nobis tamen, quod omnia persequi infinitum est, ex ea maxime parte, qua gloriam suam inprimis fundavit, hoc est, ex Critices scientia, spectandus videtur.

Critica veterum scriptorum libros, tanquam materiam, quam tractet, et in qua versetur, sibi subjectos habet: nec angustis certorum scriptorum terminis septa tenetur, sed per Poëtas, Oratores, Gram- 10
maticos, Historicos, Philosophos longe lateque vagatur, ubique judicium et censuram exercens. Quam provinciam tametsi proprio quodam jure tenet, tamen, si quando in graviorum disciplinarum auxilium vocata sit, non dubitat illos fines transire. Sane ex

quo tempore Erasmus et Beza eam in Theologiam,
Cujacius, aliique in Jurisprudentiam, saluberrimo in-
stituto adsciverunt, ferme tam frequens est in his
disciplinis, quam in regno suo. Censendi vero judi-
candique munere sic fungitur, ut vera a falsis et sup-
posititiis discernat, fraudes suis vestigiis odoretur et
demonstret, obscuris sive rebus sive verbis lumen af-
fundat, depravata corrigat, laudet recta, reprehen-
dat vitiosa Has Critici partes, tam difficiles, tam
11 graves, qui recte sustinere et tueri velit, duplici
praesidio instructus ornatusque esse debet, ingenio
acerrimo, et eruditione prope immensa.

Ingenium in omnium artium, etiam leviorum, stu-
diis valet plurimum. Sed ut aliud aptius est Mathe-
si, aliud Poëticae, aliud aliis artibus, sic Critica
quoque sibi deposcit proprium et peculiare. Ejus
autem vis omnis ex duabus animi facultatibus ori-
tur, ex imaginum ante perceptarum celeri instauratio-
ne, et ex promta ac parata judicandi subtilitate. Fin-
ge, Criticum, qualem deformamus, impedito et cor-
rupto scriptoris loco remedium quaerere, et diligen-
ter attende, quibus mentis actionibus ad id, quod
quaerit, perveniat. Altera animi facultas varias ima-
12 gines ante haustas, quae ad talem locum expediendum
accommodatae videantur, ei celeriter et in tempore
offert: altera, quid res postulet, atque adeo, quid
ex pluribus simulacris animo simul obversantibus
deligendum sit, eadem celeritate videt ac decernit.
Ergo critica vis maxime judicatur mentis celeritate,
quam Graeci ἀγχίνοιαν et εὐστοχίαν, Latini *sagacita-
tem*, *sollertiam*, *ingenii felicitatem* vocant. Haec
autem sagacitas non in hominis potestate est, non
studio, labore, exercitatione comparatur, sed rarum
et

et singulare munus est unius naturae fautricis; liceteque adeo, quod Democritus de Poëta dixit, ad Criticum transferre: *Criticus non fit, sed nascitur.* Tali ingenio praediti cum perraro exoriantur, non mirum sit, magnam excellentium Criticorum et nunc esse, et semper fuisse paucitatem. Quod vero dixi- 13
mus, ingenium hac in re plus valere, quam artem ac disciplinam, hoc argumento intelligi potest. Multi, iique praeclarissimi viri, cum studiorum genere, ad quod ab ipsa natura deducerentur, relicto, se ad Criticam contulissent, eruditione sibi, quod natura negarat, parare conati sunt, ingeniique vicarium, artificium quoddam assumserunt. Quorum conatus, noli quaerere, quam infeliciter cesserit. Quanta eruditionis, de Graecis fontibus ductae, copia fuerit in Jo. Meursio et Ez. Spanhemio, nemo ignorat, nisi qui ipsam antiquitatem Graecam ignoret. At illi ipsi, cum vim facere naturae, et Criticam exercere instituunt, quam sunt dissimiles sui! Duo praestantissimi viri, N. Heinsius et P. Burmannus, omne studium suum in Poëtis Latinis expoliendis consumse- 14
runt, pari uterque eruditione, sed dispari acute sentiendi et feliciter divinandi facultate. Alter igitur Poëtarum Latinorum sospitator dictus est, alter non potuit in tantae gloriae societatem venire.

Haec vero Critici materies indolesque in Hemsterhusio tanta fuit, ut natura, quid in tali ingenio fingendo posset, in eo potissimum experta esse videatur. Omnes in illo talem oculorum aciem, qualis lyncibus et aquilis tribui solet, mirabantur. Sed profecto mentis acies multo miranda magis. Nihil tam abditum erat, tam nihil retrusum, quod ejus acumen falleret. Nihil tam depositum ac prope conclamatum,

cui non vitam et salutem redderet. Nihil tam artificiose simulatum, quin fraudem facile sentiret, et in-
15 diciis suis teneret. Talis tam felicis Critices illustre documentum dedit in Xenophonte Ephesio. Hic scriptor, aetate demum nostra, mendose et negligenter editus in Italia, nativa sua venustate Hemsterhusium invitarat, ut non solum quae quid vitii traxissent, emendaret, sed plurium etiam verborum lacunas de conjectura suppleret. Post Dorvillius V. Cl. eundem scriptorem iterum ad Codicem MS. exigi jussit. Quid quaeris? Nullus unquam vates Hemsterhusio repertus est verior. Nam vetus codex lectiones et lacunarum supplementa sic, ut ille divinando restituerat, plerisque locis repraesentabat.

Etsi vero permagnum Critico praesidium est in mentis vi et sollertia, nemo tamen omnia in eo posita
16 putet. Comparandum est alterum instrumentum, eruditio; quae ut parum aut nihil sine ingenio, sic sine eruditione ne perspicacissimum quidem ingenium quicquam effecerit. Recte Crates Mallotes, quem haec ipsa ars nobilitavit, apud Sextum Empiricum, in Critico requirit omnis liberalis doctrinae, quam Graeci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant, scientiam. Si igitur ad Criticam adspirare velis, de Cratetis praecepto, ante Grammaticam, non vulgarem istam, sed altiorem, percipias, habites in Poëtis et Oratoribus, peragres latissimum historiae campum, mente complectaris universam philosophiam, et his omnibus adjungas Mathesin, maxime partes illas, quae mentem exacuunt ad verum cernendum. Ex tanta tot artium ac disciplinarum ubertate Critica demum efflorescit et
17 redundat: tali instructu ornatuque eam oportet esse comitatam.

Equi-

Equidem vereor, ne hac rerum discendarum multitudine commemoranda restinguam potius juventutis studia, quam incendam. Sed quid faciam? Non aliis ad pulcerrimam artem aditus patet, nec aliis gradibus Hemsterhusius ad id, quod in illa summum est, escendit.

Juvat igitur, non modo quam praestans et inusitata ejus eruditio fuerit, sed etiam qua via et ratione ad illam pervenerit, explicare. Quod dum facimus, pars vitae Hemsterhusianae, ut ad cognoscendum jucundissimae, sic ad imitandum utilissimae, breviter attingenda erit.

Puerulus (*) literarum initia cum ab idoneis ma- 18
gistris percepit, tum a patre, Francisco Hemsterhusio, qui salutarem artem, quam profitebatur, cum politioribus literis conjunxerat, et peregrinandi studio ductus, omnem fere Europam lustrarat. Vis ingenii sic ante annos in Hemsterhusio nostro eluxit, ut multi, quibus carus erat, timerent, ne non vitalis puer esset, aut ingenium tam praecox ad frugem perveniret. Quam sollicitudinem vanam fuisse, eventus docuit. Nam eundem mentis vigorem integrum et illibatum pertulit ad extremam usque senectutem,
hoc est, ad aetatis annum octuagesimum secundum, 19
qui vitae ultimus fuit. Una memoria, quanquam raro, lababat, ubi proprium hominis nomen subito edendum esset.

De-

(*) Natus est Groningae 1. Febr. 1685. Ab a. 1704. Philosophiae et Matheseos Professor Amstelodami: ab a. 1717. Linguae Graecae, post etiam Historiae Patriae Professor Franequerae: ab a. 1740. ejusdem Linguae et Historiae Professor Leidae. Obiit 7. April. 1766.

Decimum quartum annum agens, qua aetate pleri-
que in tirociniis haerent, jam versabatur inter cives
Academiae Groninganae, et praestantissimos quosque
bonarum artium magistros audiebat.

Socrates apud Platonem omnia praeclara de Isocra-
te adolescente auguratur, quod natura philosophia
quaedam inesset in ejus mente. Simillimam Isocrati-
cae indolem Joannes Bernoullius, Mathematicorum
longe princeps, in Hemsterhusio adolescentulo, si-
mul atque eum in disciplinam receperat, sagacissime
20 perspexit. Iccirco nihil antiquius habuit, quam ut
philosophiae semina, quae in ejus mente laterent,
proliceret, et recta cultura firmaret Nec Hemster-
husius Bernoullii augurium fefellit. Nam tanta cele-
ritate altiorem Geometriam percepit, et in intimos
philosophiae recessus penetravit, ut magister fatere-
tur, se, quem cum eo compararet, inter discipulos
habere neminem. Atque haud scio, an multum fal-
lamur, si altos illos et magnificos de rebus divinis
humanisque sensus, qui postea se omnibus Hemster-
husii dictis factisque protulerunt, magnam partem a
Bernoulliana disciplina repetamus. Ipse quidem, Ber-
noullium divino munere sibi praeceptorem obtigisse,
cum gaudio, quod vultu et oculis proderetur, fateri
solebat.

21 Ita cum aliquot annos exegisset in Academia pa-
tria, Leidam venit, invitatus praecipue fama Jacobi
Perizonii, qui cum ceteras humanitatis partes egre-
gie, tum veterem historiam elegantius, quam quis-
quam ante eum, tradebat. Leidae tum casu quodam
disjecti erant publicae Bibliothecae Codices MSS.
Horum in ordinem redigendorum cura ab Academiae
Curatoribus demandatur Hemsterhusio. Quod Cura-

torum de tantulo adolescente judicium tam felix omen
in posterum tempus faciebat, ut nemo unus dubita-
ret, quin is aliquando Jacobo Gronovio in Graeca-
rum literarum Professione successurus esset. Ve-
rum, vacante illa provincia, res secus cecidit, non
Curatorum voluntate alienata, sed artibus eorum,
qui, ne luminibus suis obstrueretur, metuebant.
Data est Professio Havercampo, si minus Academiae,
at ipsorum rationibus accommodato. Sed haec late- 22
re, melius est, quam cum auctorum ignominia et
dedecore in lucem proferri. Leidae cum Hemster-
husius studiorum spatia decurrebat, vix dum exple-
to decimo nono aetatis anno, Amstelodamum, ut ju-
ventuti studiosae viam ad Mathesin et Philosophiam
praeiret, honorifice invitatur. Quis est, qui talem
provinciam nactus, non totam studiorum rationem
commutasset? non humaniores literas, veluti crepun-
dia, abjecisset? Talis stultitia in alios, ab angustis
doctrinae compendiis profectos, cadere poterat, in
Hemsterhusium non poterat, qui praeclare sciret,
quo societatis vinculo hae disciplinae inter se devin-
ciantur. Ac reperit Amstelodami, quorum consue-
tudine elegantiorum literarum studium non mediocri-
ter aleret. Ornabat tum illam urbem ingeniosus Poë- 23
ta, et disertus Poëtarum Latinorum interpres, Janus
Broukhusius. In eadem tum aliquot annos degebant
Stephanus Berglerus et Ludolphus Kusterus, ille ve-
teris philosophiae scientia, hic critica facultate, uter-
que Graecis literis tam excellens, ut ambiguum pos-
teris reliquerint, uter utri ea laude praestaret. Quo-
rum amicitiam Hemsterhusius appetebat cupidissime,
tenebatque eo constantius, quo magis ingenium ta-
lium virorum sermonibus ad omnis elegantiae sensum

acuebatur. Hac tam felici velut contagione Brouk-
husius in eum transfudit Propertii, Kusterus Aristo-
phanis amorem, salutarem deinceps utrique Poëtae fu-
turum. Sed jam ante intervenerat, quod Hemster-
husium cum Graecis Musis artius conjungeret. De-
24 stituerat vir doctus Julii Pollucis editionem, quae
Amstelodami parabatur. Quaeritur, qui destitutas
partes excipiat. Itur ad Hemsterhusium. Is, Grae-
vii auctoritate impulsus, operis curam suscipit, et
commentatione, juvenili illa quidem, veruntamen ju-
venis Hemsterhusii, eruditissimorum hominum ocu-
los animosque in se convertit. Ipse auctor (quis
enim tali aetate se ipsum contemnat?) de hoc opere
satis bene sentiebat. Brevi post a Richardo Bentle-
jo, Britanniae Aristarcho, literas accipit, quibus qui-
dem opera Polluci navata eximie laudabatur. At eae-
dem literae (*) Bentlejanas emendationes in Comi-
corum loca, quibus Pollux a se dictis fidem et auc-
25 toritatem conciliasset, complectebantur. In quibus
locis restituendis Hemsterhusius quoque consumserat
studii plurimum, pulcre intelligens, summam rei in
illis verti. Enimvero, lectis animadversionibus Bent-
lejanis, videt, inanem operam suam fuisse, alterum
omnia divinitus expediisse. Quo tum animo Hem-
sterhusium fuisse putas? Ita conturbatus est, ita
sibimet ipse displicuit, ut Graecas literas in perpe-
tuum repudiare statueret. Nec, per mensem unum
et item alterum, ausus est scriptorem Graecum at-
tingere. Hoc si alteri evenisset, quam astute id dis-
simulasset, quam cautionem et diligentiam, ne in
vul-

(*) Has literas, ab Hemsterhusii filio nobiscum commu-
nicatas, huic novae Editioni subjecimus.

vulgus emanaret, adhibuisset? At ille, ô callidum
hominem! id narrare discipulis, et crebris sermoni-
bus usurpare solebat. Nescio, quid alii sentiant.
Mihi nunquam major, quam cum haec de se ingenue
fatebatur, visus est Hemsterhusius. Nam acer ani- 26
mi morsus indicat, quos quam altos et veram gloriam
expetentes spiritus pectore gesserit, erroris confes-
sio, quantam maximarum rerum fiduciam haberet.
Eleganter et vere Celsus de simili Hippocratis con-
fessione ait: *Levia ingenia, quia nihil habent, nihil
sibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilomi-
nus habituro, convenit simplex veri erroris confessio.*

Mox tamen Hemsterhusius, cum dolori successis-
set cogitatio, quam inique se adolescentem cum Cri-
tico veterano, eodemque omnium principe comparas-
set, et secum in gratiam rediit, et cum literis Grae-
cis. At Bentlejanae admonitionis haec vis fuit, ut
apud animum constitueret, non ante se in hunc prae-
cipitem locum committere, quam artium omnium 27
copiam mente et cogitatione comprehendisset, et,
quoniam in hoc maxime reprehendebatur, Comicorum
versus non ante tentare, quam varia metrorum ge-
nera, Comicis usitata, penitus percepisset. Nec
alium, nisi illum ipsum monitorem suum, sibi imi-
tandum sumsit. Hunc enim mirabatur unum, hunc
in oculis ferebat, hunc omnibus memoriae nostrae
Criticis anteponebat, ne dissimulans quidem offensio-
nem, si quis talis viri magnitudinem, quam conse-
qui nulla ratione posset, per invidiam allatraret.

Inito igitur eruditionis locupletandae consilio, ve-
teres, inde ab ingeniorum fonte, Homero, scripto-
res nunquam remisso studio legit: legit? immo vero 28
excerpsit, et in horrea sua congessit, ut, quicquid
vel

vel ad utriusque linguae rationem, vel ad historiam, vel ad ritus et mores gentium, vel ad priscam sapientiam pertineret, id paratum esset, ac, si res postularet, inde continuo depromeretur.

Quam vero consuetudinem ipse in legendo tenuerat, ut a veterrimo quoque scriptore gradum faceret ad eum, qui proximus esset aetate, eandem aliis etiam atque etiam commendabat. Nam primum, ut alias opportunitates omittam (*), si hac via progrediaris, non verborum tantum, sed etiam significatio-
29 num, singulis verbis et formulis attributarum, tanquam tempora certius constituas: cujus rei diligens observatio in linguis omnibus valet plurimum. Deinde satis constat, nihil vel bene cogitatum esse, vel bene dictum ab antiquioribus illis, quorum libros velut recte cogitandi scribendique legem et normam probamus, quod non sit variis modis imitata posteriorum sollertia. Cujus imitationis venustatem nec sentias, nec intelligas, nisi fontem, e quo profecta sit, cognoris. Thucydidis, ut hoc utar, reconditas exquisitasque sententias Hemsterhusius ita tritas notatasque habebat, ut, quid Polybius, quid Dionysius Halicarnassensis, quid Plutarchus, quid alii inde ad imitationem traxissent, e vestigio indicaret. Ex quo instituto quot quam praeclarae difficiliorum locorum et interpretationes natae sint, et
30 emendationes, vel me tacente, intelligitur.

At qui tandem sunt illi scriptores, quos vir summus futuro Critico maxime necessarios, quos legendos, quos ediscendos putabat? Quasi vero, dicet aliquis, nesciamus, Criticos in Poëtis, Oratoribus, Gram-

(*) Vide quae diximus Praef. ad Timaei Lex. Platon.

Grammaticis et Historicis vitae velut tabernaculum collocare.

Hic locus me admonet, ut justum meum, vel Hemsterhusii potius, dolorem et querelam effundam. Veteres hoc humanitatis studium sapientissimo consilio tam late patere voluerunt, ut et mathematicas artes, et philosophiam omnem complecteretur. Veterum auctoritatem secuti sunt viri immortales, qui seculis decimo quinto et decimo sexto, pulsa barbarie, pri- 31
stinam bonis literis dignitatem restituerunt. Verum brevi post exorti sunt literatores, qui, finibus illis latioribus per summam ignaviam contrahendis, sibi servarent Grammaticos, Oratores, Poëtas, Historicos, valere juberent Mathematicos et Philosophos. Sic humanitatis disciplina, rebus magnam partem ex ea sublatis, prope tota facta est disciplina verborum. Ex eo tempore philosophi ejusmodi literatores cum arte sua contemserunt: literatores de humaniorum literarum contemtione ad ravim usque declamarunt, ne illud quidem intelligentes, sua culpa literarum dignitatem concidisse. Hos si ad majorum instituta revocare conemur, forsitan operam perdamus. Sed profecto, si rectis consiliis locum dare velint, una superest ratio, qua et literas et semet ipsos a con- 32
temtu vindicare queant. Revellant terminos humanitatis, quos ignavia constituit, recipiant in artium chorum, quas inde ejecerunt, et Hemsterhusii exemplo, literarum studium cum Mathesi et Philosophia conjungant.

Geometria animum a sensibus ad ea, quae mente contuemur, intelligenda traducit, acuitque in vero judicando. Et quisquam dubitabit, quin, qui hac disciplina ingenium subegerit, etiam in literis nostris,

stris, acutius cernat iis, qui nunquam attigerint pulverem eruditum? Hemsterhusio quid Geometria profuerit, sciunt, qui vel scripta ejus cognorint, vel sermones. Quicquid ex ore exibat, quicquid literis mandabatur, etiam in critico genere, facile prodebat
33 ingenium adsuetum geometricae subtilitati. Nihil sumebat temere, sed a certo cognitis et perspicuis via et ratione progrediebatur ad ea, quae inde necessaria consecutione efficerentur.

Sed alia quoque Mathesis pars est, quam Critico dedecori sit ignorare. Haec est Astronomia, praesertim antiqua, sine cujus scientia nec Graeci, nec Latini Poëtae, qui inde multa carminibus suis ornamenta petierunt, plane perfecteque intelligi possunt. Quo majus studium vir eximius ad eam cognoscendam attulit, nec, quamvis mitis et moderatus aliorum censor, sibi temperare poterat, quin suaviter rideret recentiores Poëtarum interpretes, qui, ubi quid ex hac doctrina explicandum sit, vel turpiter haereant, vel in joculares errores labantur.

34 Philosophiae studium eo flagrantius erat, quo magis ab ipsa natura ad illam impellebatur. Per ejus vero partes omnes sic vagatus est, ut modo versaretur in sancto Pythagorae recessu, modo in Academia Platonis, modo in Aristotelis Lyceo, modo in Zenonis porticu, modo in hortis Epicuri, ubique cum admiratione quadam deprehendens permulta, quae aetatis nostrae vanitas audet ut recens inventa jactare. Plerique veteris philosophiae studiosi vel partem ejus delibant, vel in locis amoenioribus, maxime in eo de moribus commorantur. At Hemsterhusius ingenii sui magnitudini consentaneum judicabat, etiam partem omnium difficillimam, quae Metaphysicam complec-

plectitur, pervestigare. Nihil facile abstrusius reperias Platonis Parmenide, quo dialogo doctrina *de Ideis* explicatur. Ab ejus lectione vir magnus semel, ite- 35
rum, tertium idem abierat, qui venerat. Verum non prius conquievit, quam quarta lectione instituenda abditos philosophi sensus eruisset, ipsa difficultate non hebetante, ut fieri solet, sed acuente studium intelligendi. Nec satis habebat veteres cognosse, sed cum Platone Leibnitium, cum Aristotele Lockium, cum aliis alios conjungebat, ut, qui sermones cum illo de veteri philosophia contulisset, nihil nisi veteres, qui de recentiore, nihil nisi recentiores, legisse putaret. Ceterum in Metaphysica quae vera certaque sint, et in quibus firme consistere possis, apud veteres se reperisse omnia dicebat. Novarum opinionum subtilitatem ut facile agnoscebat, sic earum levitatem et inconstantiam vel hoc argumento demonstrabat, quod, quotiescunque novus 36
Metaphysicus existat, toties prior loco, quem tenuit, pellatur.

In variis autem veterum philosophorum familiis, earumque decretis cognoscendis, vehementer dolebat sortem historiae Philosophicae, quae, tametsi Criticis uberrimam ingenii exercendi materiam praebeat, tamen ad nullam dum criticam severitatem exacta sit, involantibus fere in illam, quasi in vacuam et caducam possessionem, compilatoribus, qui nec ingenio valeant, et literarum adeo rudes sint, ut e vitiosis antiquorum philosophorum versionibus sapere, et inde summam cujusque disciplinae conficere cogantur.

Quanquam ne gentium quidem historia, cujus usus 37
latius patet, meliore ipsi conditione esse videbatur.
Haec

Haec quantum obscuritatis vel a vetustate, vel a scri-
ptorum dissensione, vel ab aliis caussis traxerit, quam
corrupta sit per partium studium, fraudem, super-
stitionem, et sciunt omnes, et fatentur. Veruntamen
quotus quisque Criticorum in hunc patentissi-
mum campum excurrit? quotus quisque adhibet Cri-
ticam, quasi veri obrussam? Signum ad hanc rem
capessendam sustulerat Josephus Scaliger in Opere *de
Emendatione Temporum*, et altero *Eusebiano*, utro-
que aeterno, sed laudato magis, quam lecto. At
perpaucos, qui per ejus vestigia ad eandem laudem
contenderent, inventos scimus. Quo magis Hemster-
husius et ipse historiam critica ratione tractabat, et
38 disciplinae suae alumnos ad eandem rationem ample-
ctendam incendebat, exemplum, ad quod studium di-
rigerent, iis proponens severissimum reliquorum
historicorum censorem, Polybium, cujus tanta admi-
ratione captus erat, ut, si fieri posset, unum ejus
librum deperditum plaustris homiliarum SS. Patrum
redimere vellet.

Antiquitatis eruditae, hoc est, Graecae et Roma-
nae, studium non solum ad veterum scriptorum hi-
storiaeque intelligentiam referebat, sed etiam eo, ut
ingenium, contuendis antiquae artis miraculis, acueret
ad sensum elegantiae et venustatis, quae talibus ope-
ribus inesset. Nec quicquam vel cupidius, vel in-
telligentius spectabat, quam veteres gemmas, nu-
mos, vasa, anaglypha, statuas: cujus rei facultatem
39 ipsi dabat soceri, Jacobi Wildii museum, non pau-
cas ejus generis reliquias servans. Hanc animo in-
sidentem pulcri et recti speciem ubi ad recentiorum
artificum opera transtulisset, non temere reperiebatur,
qui cum de pictura et statuaria nostrae aetatis, tum

de

de architectura, aliisque ejusmodi artibus elegantius judicaret. Ac saepe mirabatur, oculos vulgo per pudendam negligentiam ad nullam rem erudiri, cum aliae corporis partes, quae minus sint praestabiles, et minus oblectationis animo praebeant, studiose excolantur, aures ad concentus musicos recte sentiendos, manus et pedes ad concinnum et liberalem motum edendum. Auctor igitur erat discipulis suis, ut
lineari picturae, in qua artium, quas diximus, fun- 40
damenta sunt, mature operam darent.

Satis diximus de infinita rerum copia et varietate, quam mente complexus est Hemsterhusius. Verum ad rerum intelligentiam nullus aditus patet, nisi per exquisitissimam scientiam linguarum, Graecae praesertim et Latinae. Hic quid me attinet dicere, eum longa et accurata meditatione consecutum esse, ut Graecae linguae nativam indolem, proprietatem, et arcana omnia teneret? Notior res est et testatior, quam ut pluribus verbis explicanda esse videatur. Itaque complector brevi, et, non exaggerandae rei caussa, sed simpliciter et vere hoc dico. Hemsterhusium Graecarum scientia literarum omnino omnes, qui inde a renatis literis excellenter in iis versati sint, ipsum etiam Isaacum Casaubonum, cui doctorum hominum consensus primas deferre solet, longo post se intervallo reliquisse.

Quod si magna ingenia non nisi novarum rerum 41
inventione metiamur, talem quoque sui mensuram vir summus, in hoc ipso linguarum studio, praebuit, invenienda verissima Originum Graecarum ratione, singulari linguae Graecae, adde et Latinae, praesidio et ornamento. Hujus analogiae tanquam filo ductus, simplicissimas verborum formas, quae

binis tribusve literis constarent, et una cum iis natas significationes indagavit, formas omnes et flexiones ad certam rationem revocavit, ex primariis notionibus secundarias, et consequentes elicuit, earumque non solum cognationem, sed etiam migrationes ostendit, commentitias anomalias, quibus Grammatici omnia perturbassent, explosit, denique tenebras linguae per tot secula offusas ita discussit, ut, qua
42 lingua nulla est neque verbis, neque formis, copiosior, eadem jam nulla reperiatur ad discendum facilior. Sed hujus rei subtiliorem et exemplis confirmandam explicationem non capit popularis scriptio. Gratulemur potius aetatis nostrae felicitati, quae, quod majores nostri optarunt magis, quam sperarunt, id non tantum in Graecis, verum etiam in Orientalibus, uno tempore et inchoatum et consummatum vidit. Etenim quod analogiae lumen Hemsterhusius linguae Graecae, id eodem tempore Orientalibus intulit Hemsterhusii civis, aequalis, condiscipulus, collega, amicus, unicus literarum, quas profitebatur, vindex, Albertus Schultensius.

Hic forsitan dicat aliquis eorum, qui nolunt eundem hominem pluribus rebus excellere: sit sane ita:
43 habuerit Hemsterhusius Graecarum literarum scientia parem neminem. At Latinarum certe regnum penes alios est. Ego vero non dubitem contendere, eum Latine doctissimos non solum aequasse, sed, quod adjumenta quaedam haberet, nec cognita illis, nec usurpata, superasse. Recte vir magnus statuebat, Latinam linguam Graecae sic aptam et nexam esse, ut, qui alteram ab altera distrahat ac divellat, animi et corporis discidium inducere videatur. Quod cum sibi idoneis rationibus persuasisset, eandem La-

ti-

tinae, quam Graecae, operam dedit, atque adeo, quoniam ejus proprium erat, nihil mediocriter scire, talem Latinae, qualem Graecae, facultatem consecutus est. Dicam, quod sentio, et, ut arbitror, dicam vere. Latinae linguae origines nemo mortalium ante Hemsterhusium recte cognovit. Viderant Varro 44
et alii Romani, multa ex lingua Graeca in suam venisse. Aliquanto plura, quorum origo veteres fefellisset, ex eadem lingua repetierunt Scaliger et Salmasius. Sed adhuc dubia lux erat. Enimvero, inventa Hemsterhusii ingenio Graecae linguae analogia, simul etiam Latinae ratio diluxit, patuitque clarissime, quod pauci magis suspicati erant, quam intellexerant, totam fere Latinam linguam ab Aeolica fluxisse. Restat, fateor, pars quaedam, quae invecta aliunde videatur. Verum aut fallor, aut exorietur aliquando vir doctus et ingeniosus, qui, Hemsterhusiana analogia adjutus, eam quoque partem ad Graecam originem revocet, planissimeque demonstret, omnem Latinam linguam pulcrae matris Graecae pulcram filiam esse.

Sed mittamus origines. Quantum Hemsterhusio 45
praesidii esse debuit in Graecae linguae scientia ad Latinos scriptores rectius intelligendos? Constat inter omnes, scriptores, quos diximus, maxime Poëtas, Graecam formam singulis prope verbis expressisse, et innumerabiles lepores veneresque ex Graecis fontibus nunc apertius, nunc occultius derivasse. Nec M. A. Muretus dicere dubitavit, *eos, qui Graeci sermonis expertes sint, ne Latine quidem scripta penitus percipere posse.* Jam si cogitatione tibi fingendus sit harum elegantiarum interpres, an doctiorem Hemsterhusio reperias? Ipse vir summus sese

in Latinis intelligendis sic a Graecis adjuvari sentie-
bat, ut interdum negaret, Poëtas eos, qui se totos
ad Graecorum imitationem contulissent, nominatim
46 Propertium et Horatium, Graece imperitis valde pla-
cere posse. Adeo multa, quae venustissima et ex-
quisitissima sint, eorum sensum intelligentiamque fal-
lere. Omnibus igitur modis bene a majoribus con-
stitutam rationem, qua utriusque linguae studium con-
jungeretur, tuebatur, ab eaque non semel descitum
esse vehementer dolebat. Sub ipsa Academiae incu-
nabula Leidae bonas literas docuit Justus Lipsius,
perfectus literis Latinis, Graecarum mediocriter pe-
ritus. Is dicere ausus est, Graecas literas homini
erudito decoras esse, necessarias non item. Quod
stultissimum dictum Isaaco etiam Casaubono (*),
quo non fuit lenioris naturae Criticus, vehementer
47 bilem movit. Sed bonum factum, quod tam per-
niciosa literis opinio nullas radices egit. Mox enim
tamquam coelo missus Josephus Scaliger, cui Bata-
vi prope omnem rectum ingenii cultum, quem ex
eo tempore ceperint, si grati esse velint, acceptum
referre debent, Scaliger igitur cum ceteras ingenuas
artes, tum Graecas literas, earumque cum Latinis
conjunctionem, in his regionibus fundavit. Scalige-
rana disciplina per Grotios, Heinsios, Gronovios,
Graevios, et alios usque ad patrum nostrorum me-
moriam propagata est. Tum rursus plerique literato-
res, Graecis vel neglectis, vel leviter delibatis, in
unis scriptoribus Latinis habitare coeperunt. Altero
igitur Scaligero opus erat, qui Musas Graecas fu-
gam

(*) Vide Casauboni Epistol. 291. et 294. et Lipsii Epist. 356. in Syllog. Burm. T. I. p. 376.

gam parantes sisteret, atque iterum cum Latinis ar-
tissimo foedere consociaret. Is fuit Hemsterhusius, 48
quo bonarum literarum tutelam suscipiente, brevi tan-
ta rerum commutatio facta est, ut Athenae in Bata-
viam commigrasse viderentur, nec tamen quicquam
de summo Latinarum literarum studio remitteretur.

Sed Latine quam doctus fuerit Hemsterhusius, etiam scribendi genus declarat, purum, emendatum, luminibus frequens, bene vinctum, inprimisque proprietatis studio et verborum delectu commendandum. Una orationi facilitas deest, non comparanda illa, nisi saepe multumque scribendo: cujus rei facultatem raro dabat Graecarum literarum Professio. In juvene, velut in laetis herbis, se profundebat luxuries quaedam, quam postea ratio et anni depaverunt.

Hactenus virum egregium vidimus Graeciae Latii- 49
que monumenta ita tractantem, ut nunquam illa de
manibus deponeret. Quo studio quantas eruditionis
opes sibi compararit, supervacuum sit dicere. Eas
cum primum in animadversionibus ad Lucianum pro-
tulisset, homines eruditos in stuporem et admiratio-
nem rapuit, expressitque omnibus confessionem hanc,
ut dicerent, nihil simile ullam aetatem in hoc genere
vidisse: magnam quidem copiam in Salmasii libris es-
se; sed ibi temere sacco fundi, hic omnia cum acer-
bo delectu, prope in Mathematicorum modum, ex-
plicari.

Atque his cum ingenii, tum eruditionis funda-
mentis, tam firmis, tam alte positis, tandem Hem-
sterhusius verae et legitimae Critices velut aedificium
superstruxit. Sed critica disciplina quomodo usus 50
sit, non alienum fuerit, eruditae juventuti, quae
ejus vestigia persequi studeat, paucis exponere.

Cum scriptori sive Graeco, sive Latino crisin suam
impertire constituisset, primum justam cum eo fami-
liaritatem contrahebat, hoc est, cum res ipsas, tum
verba, similibus locis inter se comparatis, quanta
maxima fieri poterat diligentia, cognoscebat, recte
judicans, sui quemque scriptorem optimum interpre-
tem esse, et, qui non saepius totum scriptorem uno
tenore legisset, eum in emendando explicandoque
turpissime labi. Tali notitia contracta, omnia ad cer-
tam rerum, sermonisque normam exigebat, difficilis,
suspicax, semper verens, ne quid sibi fallaciae vel
51 a librario, vel ab interpolatore strueretur. Tamet-
si quis poterat fallere illum sensum et natura saga-
cissimum, et multo literarum rerumque usu callidis-
mum? Tenebrio nobili scriptori foetum suum sub-
jecerat? Statim fraudem certis vestigiis tenebat.
Versificator magnorum Poëtarum versibus furtim in-
terposuerat suos? Spurios obelo configebat. Libra-
rius lectionem corruperat, vel sciolus corruptam fu-
carat? In promtu erant omnes veri indagandi viae.

Sed, quamvis summam ingenii fiduciam habere po-
tuisset, tamen Codicum MSS. fide inprimis niteba-
tur, et, quod hujus disciplinae expertibus mirum
videatur, ex eorum vel contaminatissima scriptura
pulcerrimas lectiones eliciebat. Nosse modos per-
52 mutandorum in libris priscis verborum, utile puta-
bat: posse enim tardiora ingenia talibus adminiculis
sublevari: sed nimiam in his diligentiam contemne-
bat, docens hoc etiam argumento, parum inde uti-
litatis redire, quod, ut quisque plurimum operae in
librariorum aberrationibus notandis posuisset, iisque
margines librorum opplevisset, ita nullam magnopere
Critices laudem tulisset. Vero Critico vim ipsius
sen-

sententiae, et sermonis proprietatem bene perspectam, facile id, quod res postulet, suppeditare. Hic etiam locum habere illud Asinii Pollionis: *Male eveniat verbis, nisi rem sequantur:* vel illud Horatii, ex Asiniano expressum:

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Sed duos inprimis scopulos, multorum naufragiis 53
infames, et ipse fugiebat, et alios, ut fugerent,
monebat, temeritatem et superstitionem. Furorem
judicabat, quod non intelligas, statim urere et se-
care; amentiam, aegri capitis somnia in contextum
invehere, abolita veterum librorum scriptura. Nam,
si hoc modo grassari liceret, brevi futurum, ut ca-
lamitas, quam Gothi et Vandali bonis libris impor-
tassent, prae hac levis et tolerabilis videatur. Ic-
circo in locis desperatis, ubi nulla ratio esset diffi-
cultatis expediendae, medicinam ab integrioribus li-
bris exspectandam, et omnino nihil in contextu, nisi
vetustarum membranarum auctoritate, movendum cen-
sebat, ne Bentlejo quidem veniam dans licentiae,
quam sibi sumsit in Manilio recensendo.

At vero, qui nullum audaciae locum daret, non 54
minus repudiabat anilem religionem, quae se impe-
ritis modestiae nomine commendare audet, et sem-
per vulgatae, quamvis futilis et absurdae, lectionis
patrocinium profitetur. Sed quae, malum! est le-
ctio, quam tantopere jactant, vulgata? Num ex ve-
tustis et spectatae fidei libris profecta? Num certis
emendandi legibus constituta? Minime. Illa est (*),
quam in suo quisque libro reperit: quae, ut aliquan-
do veteres et bonos Codices auctores habeat, sae-
pius

(*) Vide Cl. Ernestum Praef. ad Tacitum.

pius tamen e libris vitiosis et interpolatis, immo ex Editorum conjecturis, fluxit. Adeo, quid defendant, non intelligunt homines inepti.

55 Sunt alii, faciliores illi quidem in lectionibus, quae e membranis ducantur, admittendis, sed iidem in Criticorum emendationibus probandis difficiles et duri. Qui cum, periculo facto, senserint, se non esse eos, qui in critica ratione excellere possint, in eam partem deferuntur, ut omnium locorum, qui ingenio tententur, se vindices ferant. Ac temerarios quidem confidentium ingeniorum impetus refutari, veterumque scriptorum monimenta sarta tecta conservari, quis, qui bonos literas amet non vehementer gaudeat? Verum in hoc tam salutari instituto frequentius obtrectatio, quam aequitas et veri studium, versatur. Nec obscurae sunt talis iniquitatis caussae. Nam, ut sumus homines, quanto praestabilior et
56 magis expetenda ingenii laus est, tanto impensius ei invidemus. Illi igitur, cum facile sentiant, sese, si laus omnis ingenii felicitati tribuatur, jacere, et vix honestos esse posse, statim se parant ad Criticorum inventa ratiunculis quibusdam convellenda, moliuntur, sudant, misere se torquent, ut loco depravato potius qualemcunque sensum affingant, quam felix in vero reperiendo ingenium laudent. Ex qua obloquendi libidine, incredibile dictu est, quot quam durae et contortae vitiosorum locorum interpretationes manarint; si interpretationes dicendae sunt, quae scriptorem nescio quas ineptias dicere cogant. Tales vindicias, tantum aberat, ut Hemsterhusius probaret, ut illis doctam aliorum audaciam praeferret. Sed longe
57 optimum et tutissimum censebat, medium sequi, quod tum a temeritate, tum a superstitione esset sejunctum.

Et-

Etsi vero vir magnus, usu sensuque edoctus, prae-
clare sciebat, Icaris non esse aptandas alas, hoc est,
juvenes non temere ad Criticam adducendos esse, ta-
men sagacioris indolis adolescentes mature hujus ar-
tis veluti gustu quodam imbuebat. Quorum vires,
ut erat acer et perspicax ingeniorum existimator, an-
te sic explorabat, primum, ut eos juberet cogitate
meditateque legere illustrem aliquem veteris scripto-
ris locum, v. c. Livianam praefationem, vix imi-
tanda arte conscriptam et post, quid in tali loco
maxime animum pepulisset, quid maxime placuisset,
sibi referre. Tum, ubi linguae scientiam et pulcri
sensum sibi probassent, in scriptore, ad talis aeta- 58
tis captum accommodato, locum demonstrabat, qui
vitium haberet nemini animadversum, idque investi-
gare jubebat. Reperta corruptela, quam reperire
interdum difficilius est, quam corruptis mederi, prae-
sertim ubi mendosa scriptura tolerabilem, nec a re
abhorrentem sensum efficiat; sed reperta corruptela,
lene et blandum ab ingenio remedium postulabat. In
quo ut eos, qui nullum dum Critices usum haberent,
sublevaret, ipse interdum vias quasdam, quae ferre
ad verum inveniendum possent, indicabat. Si rem
acu tetigisses, candide plaudebat sollertiae tuae, et
acerrimum laudis stimulum adhibebat: sin minus,
suam ipse emendationem promebat, ut quaerendi et
conjectandi finis fieret. Hac ratione usurpanda vir
summus non solum discipulis suis facultatem dabat 59
Critices cognoscendae, sed eosdem etiam consuefa-
ciebat in legendo judicii severitatem adhibere, et sem-
per animum, quid intelligat, quid minus, interroga-
re. Et miramur, ex ejus disciplina plures acutiores-
que Criticos, quam e cujusquam ante illum, prod-

iisse? Nolim singulos ambitiose commemorare. Facile, qui sint, velut propria quadam nota, intelligendi et judicandi subtilitate cognoscuntur. Unum tamen silentio praeterire non possum, germanum inprimis Hemsterhusii discipulum, L. C. Valckenarium. Hic enim, quam a magistro accepit disciplinam, ante Franequerae, nunc Leidae, ita tuetur et propagat ingeniis feliciter formandis, ut, Hemsterhusio de vita sublato, nunquam defuturi sint, qui
60 literas Hemsterhusiana ratione colant. Hic utriusque linguae analogiam, quam vir immortalis impertiit quidem discipulis, sed literis mandare neglexit, ita quasi per manus tradit aliis, ut, etiam si nemo illam literis prodat, tamen ad seram posteritatem perventura videatur.

Quemadmodum vero aliis disciplina, sic aliis profuit salubri consilio suppeditando. Libenter et ingenue fateri solebat vir summus, P. Wesselingius, hunc sibi studiorum recte instituendorum auctorem fuisse. Is Hemsterhusio collega datus, non prius Franequeram, quam in intimam ejus amicitiam venit: quae ex illo tempore tam sancte et constanter culta est, vix ut aliud par amicorum conjunctius vixerit. Erat jam tum in Wesselingio magna et incredibili stu-
61 dio parta doctrinae copia, sed aversus a critica ratione animus. Verum cum Hemsterhusius ei crebris sermonibus demonstrasset, nullam eruditionem, quamvis variam et copiosam, esse veram et accuratam sine critica disciplina posse, totam studiorum rationem commutavit, et post illa ipsa arte, quam ante oderat, nomen suum immortalitati commendavit.

Paullo ante de ea Critices parte, quae in depravatis corrigendis versatur, quantum satis est, disputa-

vi-

vimus. Sed ejusdem etiam artis est, veterum scri-
ptorum obscuros sensus aperire: in quo, praeter
vim judicandi, maxime cernitur illa nullis circum-
scripta terminis eruditio. In hac autem interpretandi
ratione, quanquam alio modo, non minus vulgo,
quam in illa emendandi, peccatur. Saepe et Hemster- 62
husii et aliorum querelas audivimus, cum dicerent,
scriptorem, quem quis interpretum enarrandum sus-
cepisset, onerari iis, quae ad quemvis alium scri-
ptorem scribi possent, explicari, quae nemo sibi ex-
plicari velit, in difficilioribus destitui lectores, res et
sententias negligi, nihil nisi loquendi formulas enar-
rari, et ne illarum quidem notiones ad normam, quam
perfectus Criticus, J. F. Gronovius dedisset, distin-
cte et enucleate tradi, sed temere misceri et confundi.
Hemsterhusius vero ipsum scriptoris argumentum am-
plexus, obscuriorum locorum tenebras modo ex his-
toria et antiquitatis memoria, modo ex temporum ra-
tione, modo ex interiore philosophia, modo ex aliis
artibus dispellebat: fontes, unde quidque haustum
esset, locos aliorum auctorum, quos scriptor, quem 63
tractaret, vel imitando expressisset, vel in transitu
respexisset, demonstrabat: exquisitior verbi aut for-
mulae vis si enarranda esset, non ille diversarum sig-
nificationum, ut ita dicam, confinia confundebat, sed
tenuissima et aliorum sensum fugientia discrimina tam
perspicue accurateque definiebat, ut in his etiam geo-
metricam elegantiam facile cognosceres.

Animadversiones, quas scripsit, habent beatam quandam et felicem rerum ubertatem. Nec tamen quicquam in illis alieni est, vel longius arcessiti. Omnia et apte et suo loco dicuntur; ut mirari subeat, tam longas animadversiones scribi potuisse. Sed

ta-

talis copia facilis erat ei, qui omnes interiores Grae-
ciae Latiique recessus teneret. Ne multa: habent ejus
64 commentarii in Aristophanem, Lucianum, Xenophon-
tem Ephesium, Hesychium, Thomam Atticistam,
alios, verissimam bene interpretandi disciplinam, qua
non extat exemplum perfectius. Quo vehementius et
justius dolemus, Coam Venerem, Lucianum dico,
ab eo non esse absolutam, omninoque pauciora, quam
exspectare par erat, ex tam perenni et inexhausto
doctrinae fonte ad communem utilitatem permanasse.

Hujus rei quae caussae fuerint, cum saepenumero
quaeri soleat, videor mihi reperisse has duas. Pri-
mum vir summus tanto legendi meditandique studio
tenebatur, vix ut inde avelli posset, et ad ea, quae
per nimis multa, ut nobis quidem videtur, adversa-
65 riorum volumina sparserat, digerenda traduci. Ne
ipse quidem diffitebatur, se ad labores, praesertim jus-
sos, quibus sibi liquida illa meditandi voluptas eripe-
retur, paulo esse tardiorem. Deinde cum nihil, nisi
quod omnibus numeris expletum esset, a se exire vel-
let, majorem posteritatis, quam aetatis suae, ducens
rationem, lapsus est, ut fere solent excellentissimi
quique artifices, in quandam calumniam sui, ut, quan-
tumcunque adhibuisset curae et studii, tamen nihil
satis putaret. Ita, quod Plinius de Protogene, picto-
re, dicit, *in summa artis intentione minor erat ferti-
litas*. Huc accedebat, quod, quamcunque rem tra-
ctandam sumsisset, eam ita excutere, et cum pulviscu-
lo exhaurire studeret, ut, qui posthac idem agere in-
66 stitueret, omnem sibi materiam praereptam fateretur.
Quibus de caussis memoriae suae, fidissimo cetero-
quin omnium, quae semel legisset, audivissetve, cu-
stodi, irasci solebat, si vel leve quiddam, quod eo-
dem

dem pertineret, sibi post editum librum suppeditaret.

Fuerunt, quibus in Luciano ornando nimis cunctatus videretur: a quibus petimus et quaesumus, ut ejus cunctationem comparent cum alterius, qui post ad eundem scriptorem edendum accedere ausus est, festinatione. Reperient profecto, illum cunctando rem restituisse, hunc festinando perdidisse.

Ille autem tot vigiliarum et tot annorum fructus
si minus publice apparuit, non tamen iccirco vel exi- 67
guus esse, vel periisse existimandus est. Nam vix
ullus sive Graecus sive Latinus scriptor est, in cujus
margine non tales emendationes, quales a principe
Criticorum proficisci par erat, notarit. Pleni sunt
castigationum, ut paucorum recensione defungar,
Aristophanes, Oratores Attici, Theocritus, Apollonius Rhodius, Harpocration: pleni ex poëtis Latinis, Propertius, Manilius, Valerius Flaccus. Hinc
igitur praesidia, hinc ornamenta editionibus a se curandis petant Critices studiosi. Neque verendum est,
ne talis thesaurus in dominos literarum rudes incidat,
aut dissipatus pereat. Adhuc illum integrum servat
Franciscus Hemsterhusius, unus ex tribus filiis superstes, paterni ingenii, animi, et oris imago, qui
philosophiam et mathematicas artes cum antiquitatis 68
eruditae scientia ita conjunxit, ut, qua laude magis
excellat, difficile sit existimare. Sed idem inusitata liberalitate totum illum thesaurum Bibliothecae publicae Leidensi, post fata sua, donare constituit, jam nunc fidem suam per me omnibus ita astringens, ut haec publica voluntatis declaratio testamenti vim habere possit. Sic facere decebat filium, qui nobis patrem cum aliis virtutibus, tum animi magnitudine reddit.

Satis multa de Hemsterhusii ingenio et doctrina di-

xi-

ximus. Nunc animum contemplemur, utrique facul-
tati vel parem, vel superiorem. Nec alienum est,
69 qui Critici nostri animus et mores fuerint, quaerere,
praesertim cum de Criticorum moribus ea invetera-
verit opinio, ut nullum eruditorum genus ferocius,
truculentius, magisque contentiosum habeatur. Equi-
dem negare non possum, tales et olim fuisse, et for-
tasse etiam nunc esse. Addo etiam, ridiculas istorum
pugnas de verbis et parvi momenti rebus Criticam
non leviter infamasse. Veruntamen quis tam iniquus
judex est, ut hominum vitium ad artis contemtionem
trahat? Nisi vero Jurisprudentia contemnenda est,
quod inter Jurisconsultos rabulae, aut Medicina,
quod inter Medicos circulatores reperiuntur. Nolim
hujus opinionis levitatem, cum pari conjunctam ini-
quitate, pluribus verbis refellere. Sunt Hemsterhu-
sii mores optima Criticorum apologia. Cujus enim
70 famam et existimationem ille unquam scriptis suis lae-
sit? Cujus dissensionem, in tanto doctrinae fasti-
gio, non facile ac leniter tulit? Ne tum quidem,
cum res et locus postularent, superbiam maximis me-
ritis quaesitam sumsit. Quid? tantum abfuit, ut alio-
rum errores exagitaret, ut stultos etiam patientius fer-
ret, quam necesse videretur. Erat Theologus, qui
saepe in circulis, ipso praesente, Pindaros, Sopho-
cles et Demosthenes, quos nunquam legerat, loque-
retur, eosque velut in lance positos modo tolleret
judicio suo, modo deprimeret, omninoque, ut in
Latinorum proverbio est, spectante Roscio, gestum
in scena ageret. Cum Joannes Albertus, et ceteri,
qui aderant, intentis in Hemsterhusium oculis ex-
71 spectarent, ut hominis vanitatem et impudentiam com-
primeret, ille ne verbum quidem. Cur enim, dice-
bat,

bat, hunc minus patiar ingenio suo frui, quam alios,
coram me et Schultensio, in pari inscitia, de pulpitis
jactantes Graecarum et Orientalium scientiam literarum?

Sed non est, quod magnopere miremur aut alio-
rum intolerabilem fastum et superbiam, aut hujus
amabilem humanitatem. Illi enim ex his studiis nul-
lum, nisi eruditionis, fructum petunt: cujus vis quae
potest esse in animum et mores? Hic non unam
eruditionem, sed inprimis vitae et morum elegantiam,
omninoque veram sapientiam inde sibi hauriendam du-
cebat. Ac morum quidem venustas non solum per
ejus libros fusa est, sed etiam in sermonibus, omni- 72
busque vitae actionibus ita lucebat, ut non tam sibi
et Musis vixisse, quam inter fortunatos beatosque
homines aetatem egisse videretur. Sermo familiaris
etsi tam accuratus et eruditus erat, ut meditatum di-
ceres, tamen nihil habebat affectationis molestae. Im-
mo haec gravitas temperabatur incredibili humanitatis
festivitatisque condimento. Nam et ipse naturae vi
abundabat sale atque urbanitate, et praeterea omnem
leporem et facetiarum florem ex antiquis et novis
scriptoribus libarat. Itaque vix alium ex eruditorum
ordine vidimus, cujus consuetudo a principibus etiam
viris impensius expeteretur. Non habet patria proce-
res illustriores, prudentiores, et bonis artibus ad
omnem humanitatem magis excultos, quam fratres, 73
Guilielmum et Carolum Bentinckios. Atqui illi fate-
ri et prae se ferre non dubitant, se nunquam, nisi
meliores aliqua parte et doctiores, ab Hemsterhusio
discessisse. Ac nescio, majorine gloriae sit Hem-
sterhusio, Bentinckiis placuisse, an Bentinckiis,
Hemsterhusii virtutes intellexisse.

Animus ejus erat, qualem esse oportebat tot sa-

pi-

pientum praeceptis conformatum, unius verae et solidae virtutis admirator, contemtor rerum fluxarum et humilium. Roboris quantum in eo fuerit, hoc documento cognoscere licet. Venerant ad eum Franequeram nobilissimi e primaria gente Wassenaria hos-
74 pites, biduum hilare sumturi. Cum omnes accubuissent, animis ad laetitiam remissis, ecce, literis fit certior, filium summae spei, Jacobum, qui sibi decus ex militia navali petebat, procul a Patria morte immatura periisse. Quid ille? Vultu nihil mutato seponit literas, simulat hilaritatem, acerbissimumque dolorem per biduum pectore premit, quod jucunditatem, cui se hospites dederant, muliebri et nihil profutura ejulatione contaminari nolebat. Tali constantia germanus ille Socraticae disciplinae alumnus, Xenophon, nuntiata inter sacrificandum filii Grylli morte, luctum distulit, dum solemne sacrificium peregisset.

Ostentationem et inanem pompam oderat cum in reliqua vita, tum in docendo: ut exteri, qui ad ejus
75 lectiones venissent, vix crederent, hunc esse illum Hemsterhusium, de quo tot ac tanta praedicari audivissent. Famae et magnae de se opinionis prope negligens erat, minime omnium curans plausum vulgi, cui propterea paene ignotus vixit. At quo minus gloriam venabatur, eo magis ad eum sponte veniebat. Quis enim nescit, omnes omnium gentium eruditos una voce, una sententia regnum in literis ad ipsum detulisse?

Prudentia, dubito, an unquam major et praestantior fuerit in ullo homine erudito. Credebat Epicharmo, nervos et artus prudentiae esse, non temere credere, tenebatque, si quis alius, artem difficillimam tacendi suo tempore, et loquendi. In consilio capiendo

do cautus, consideratus, et, si quaeris, lentus: 76
quippe omnes in utramque partem rationes videbat,
et magno judicio ponderabat: sed idem, ubi semel
quid decrevisset, constans et firmus. Alienus a su-
spicionibus: sed idem latebrarum, quae in animis
hominum sint, sagacissimus explorator.

Sed prudentia, quae vitam privatam attingit, si in
eo summa et singularis fuit, forsitan minus mirum
videatur. Unde vero ille, qui nullam reipublicae
partem attigisset, tantam hauserat rerum civilium
scientiam? Nempe cum eam non experiundo sibi com-
parare posset, usus et experientiae vicariam adscivit
philosophiam, inprimisque omnis priscae et recentio-
ris aetatis historiam. Ex qua virtute Academia Ba- 77
tava uberrimum fructum tulit. Nactus enim amplis-
simum theatrum, in quo civilis illa prudentia spe-
ctaretur, foederatorum Belgarum historiam nova et inu-
sitata ratione tradere coepit. Indagabat veras caus-
sas, ex quibus res gestae penderent, remotis simula-
tionum involucris, quibus tegerentur; consilia prin-
cipum et populorum cur bene, cur secus cecidissent,
explicabat; quid expetendum, quid fugiendum esset,
demonstrabat; efficiebatque adeo, ut disciplina sua
prudentiae civilis magistra et esset et haberetur. Inpri-
mis heroum Batavorum ingenia et mores tanto artificio
pingebat, ut non literarum Professorem, sed Poly-
bium aut Tacitum cathedrae impositum dixisses.

Tali ingenio, doctrina et sapientia fuit Hemster-
husius, cujus similem Criticum nos haud vidimus;
posteri ut videant, bonarum literarum caussa vehe-
menter optamus.

RICHARDI BENTLEII
EPISTOLAE DUAE
AD
TI. HEMSTERHUSIUM.

ERUDITISSIMO VIRO,

TIB. HEMSTERHUISIO

S. P. D.

RICHARDUS BENTLEIUS.

Dum mane occupatus eram in scribendis meis ad Horatium annotationibus, et in recensendis foliis, quae jam tum a typographo acceperam; venerunt ad me gratissimae tuae literae, per Sikium Londino huc missae; in quibus et eruditio tua singularis elucet cum summa humanitate conjuncta, et egregius erga me amor et voluntas. Quamobrem, ne longiore mora exspectationem tuam morarer, deposito statim Venusino nostro, Pollucem arripui; et quae de singulis locis mihi sub *κρίσιν* et conjecturam veniunt, jam hoc ipso die ad te *αὐτοσχεδιάζω*. Locus primus est IX. 57. *ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ μνᾶν ἐδύνατο* etc. Nihil hoc falsius dici potest; neque vacat nunc quaerere, quomodo rem expediant Salmasius, Gronovius, aliique quos memoras. Certam tibi emendationem praestabo, *σταθμὸς* pro *χρυσοῦς*, ut ex toto loco clare ipse videbis: *ὁ δὲ* ΣΤΑΘΜΟΣ *στατὴρ μνᾶν ἠδύνατο. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱσταμένοις, τὴν μνᾶν τῆς ῥοπῆς στατῆρα ὀνομάζουσι. καὶ ὅταν εἴπωσι* Πενταστάτηρον, *πεντάμνουν δοκοῦσι λέγειν, ὡς ἐν τῇ* Ἱπποκράτους Παρακαταθήκῃ·

Ὅταν

Ὅταν γὰρ, οἶμαι, λευκὸς ἄνθρωπος, παχὺς, Ἀργὸς, λάβῃ δίκελλαν, εἰδὼς τρυφᾷν, Πενταστάτηρον, γίγνεται τὸ πνεῦμ᾽ ἄνω· ἔστι δὲ καὶ ΝΟΜΙΣΜΑ στατὴρ, ὡς ὅταν εἴπῃ Ἀριστοφάνης etc Ex ultimis verbis *νόμισμα στατὴρ* luce ipsa clarius est, supra non actum esse de Statere *Nummo*, sed *Pondere:* neque locum ibi habere *χρυσοῦς* (quod de solo *nummo* dicitur) sed corrigendum *σταθμός*. Nempe notissimum est, Nummos et pecuniarum summas nomina sua olim a Ponderibus accepisse: inde idem vocabulum et in Ponderibus et in Nummis eundem locum habuit: Postea nummorum singulorum pondere mutato et diminuto, nominibus tamen (a pondere ductis) adhuc servatis, immane quantum discrepabat, de ponderibus, an de nummis loqueretur qui vocabula illa usurparet. Haec comperta sunt, neque exemplis est opus. Ergo opponuntur hic et Σταθμὸς et *νόμισμα*; ut paullo ante: Ἦν δὲ καὶ μνᾶ σταθμοῦ τε καὶ νομίσματος ὄνομα; et saepe alibi tam apud Hunc, quam apud Alios. Στατὴρ, igitur, cum de Pondere dicitur, *valebat*, ait, *μνᾶν minam*; hoc est, aequiponderabat minae: id probat, quia *ἐν τοῖς ἱσταμένοις τὴν μνᾶν τῆς ῥοπῆς στατῆρα ὀνομάζουσιν*, hoc est, quia *mina* ponderis ipso nomine *Stater* a ponderantibus vocaretur. Quippe si idem *nomen* habeat, habeat utique eundem *valorem*, ut barbare dicam. Tum aliud profert argumentum ex Ἱπποκράτους poëtae fabula, qui voce *πενταστάτηρον* (de pondere) pro *πεντάμνουν* usus est; ergo stater idem ac Mina Sed pro Ἱπποκράτους corrige vel Κράτου (ut alibi Pollux, ubi hunc ipsum locum citat, vel, ut ibi Codex Vossianus, cujus lectiones variantes habeo, Σωσικράτους) vel propius ad 83
vulgatam hic lectionem Ἐπικράτους, qui passim Athe-

naeo, aliisque laudatur. Sequitur ipse locus ad Jambos a nobis supra redactus; sed versu secundo pro *εἰδὼς*, lege *εἰωθὼς τρυφᾷν*· sententia est, Si quis ex plebe illa urbana, albus et Soli insuetus, pinguis, piger, luxuriae deditus, vel levissimum ligonem vix quinque librarum pondere sustulit, statim *anhelus* fit et ilia ducit, ΑΝΩ *γίγνεται*, ut Horatius noster: SVBLIMI *fugies mollis anhelitu*, quod Vir magnus, Julius Scaliger se ex toto Galeno negavit capere posse. Verba jam, opinor, satis illustravimus: rem ipsam, nempe Staterem *ἐπὶ σταθμοῦ* valere Minam, jam confirmatum dabimus. Pollux lib. IV. 173. *Σταθμῶν ὀνόματα.* ΣΤΑΤΗΡΑ, ait, *οἱ τῆς Κωμῳδίας ποιηταὶ τὴν* ΛΙΤΡΑΝ *λέγουσι. τὴν μὲν γὰρ λίτραν εἰρήκασιν οἱ Σικελοὶ κωμῳδοί. δίκελλαν δὲ πενταστάτηρον Σωσικράτης ἐν Παρακαταθήκῃ, τὴν πεντάλιτρον* Sic lego ex Codice Vossiano, et est idem locus qui supra ex *Hippocrate* adductus est. Sententia est, ΛΙΤΡΑΝ, *Libram*, Siculorum pondus, Poëtae Comici Athenienses ΣΤΑΤΗΡΑ nominant; et ligonem *πεντάλιτρον* Sosicrates dixit *πενταστάτηρον.* Vides hic secundum Pollucem staterem (de pondere dictum) valere libram, *λίτραν*; in altero loco valere minam, *μνᾶν.* Rectisme: quippe in Ponderibus *λίτρα* Siculorum idem valebat, quod *μνᾶ* Atticorum. Hoc certissimum est; quia utrumque tam *mina*, quam *libra* ducebat olim pondus centum Drachmarum sive Denariorum: ut alia argumenta et exempla taceam. Tu, Vir doctissime, si Anglice scis, de *λίτρα* et ceteris nummis ponderi-
84 busque Siculorum, multa nova reperies in Dissertatione nostra de Epistolis Phalaridis. Jam ad proximum, de quo consulis, locum accedo, qui sic habet IX. 70. *Ἐν τοῖς Ἀριστοφῶντος Διδύμοις ἢ Οὐλαύρῳ*, vel,

vel, ut MSS. Διδύμαις ἢ Πυρκύλῳ. quorum utrumque mendosum esse satis constat; quid reponendum sit, cum nusquam alibi citetur haec fabula, certo scire nefas est. Poteris, Πυλαρῷ, *Janitore;* poteris Πυραύνῳ sive Πυρδάλῳ, hoc est, χυτρόποδι, *Batillo;* poteris Πυθαύλῃ, *Pythaula.* Sed hoc hariolari est; primum tamen magis arridet. Tertius locus est IX. 93. *Φησὶ γοῦν ἐν τοῖς Ἀποφθέγμασιν ὁ Καλλισθένης ὑπὸ Εὐβούλου τοῦ Ἀταρνείτου τὸν ποιητὴν Περσῖνον ἀμελούμενον, εἰς Μιτυλήνην ἀπελθόντα, θαυμάζοντα γράψαι, διότι τὰς Φωκαΐδας ἔχων Ἦλθεν ἥδιον ἐν Μιτυλήνῃ μᾶλλον ἢ ἐν Ἀτάρνει καταλλάττει*, qui levi manu sanari potest. lege, *Φωκαΐδας, ἃς ἔχων Ἦλθεν, ἥδιον — ἐν Ἀταρνεῖ.* Et sententia est, Callisthenes narrat Persinum, ab Eubulo spretum, Mitylenam abiisse; atque ibi mirabundum scripsisse, Quod libentius permutaret (sive in victum impenderet) Phocaeenses quos secum attulit nummos, Mitylenae, quam Atarneo; hoc est, se magis ex animi sententia vivere hic, quam illic. Recte *Φωκαΐδας* ex MSS. non *Φωκαΐτας.* Hesych. *Φωκαΐς. ὄνομα ἔθνους, καὶ τὸ κάκιστον χρυσίον.* lege vero *Ἀταρνεῖ*; nam nomen urbis *Ἀταρνεύς.* De Persino nihil comperi. Sequitur Cratini locus a Salmasio tentatus IX. 99. *Πανδιονίδα πόλεως βασιλέως, τῆς ἐριβώλακος οἶσθ' ἣν λέγομεν, καὶ κύνα καὶ πόλιν, ἣν παίζουσιν.* Numeros hic Anapaestos video, quo certissimo filo ex tenebris his expedire me posse videor: lego itaque et ad versus redigo: *Πανδιονίδα, πόλεως βασιλεῦ, Τῆς ἐρικώλακος, οἶσθ' ἣν λέγομεν; Καὶ κύνα καὶ πόλιν, ἣν παίζουσιν.* Quorum haec sententia est: 85
O Pandionide (forte Pandione) rex civitatis parasitis refertae: Scis quam civitatem dicimus? Non utique Athenas, sed quam latrunculis ludunt, *κύνα καὶ πόλιν.*

λιν. Hoc a Cratino πέπαικται, ait Pollux. Ergo pro ἐριβώλακος (ex vulgata et MSto Salmasii qui habet ἐρικόλακος) lego ἐρικώλακος, et propter versum et parodia ab ἐριβώλακος, quod non *urbi*, sed *regioni* convenit. Ἐρικώλακος itaque πέπαικεν hic Cratinus, ut Aristophanes, ὀλᾶς, Θέωλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει, et alia multa. Deinde, ut offensam vitet, jocose se non de Athenis urbe, sed de ludo verba facere, κύνα καὶ πόλιν, quae explicabit tibi ipse Pollux IX. 98. καὶ τὸ μὲν πλίνθιον (sic lege, non πλινθίαν) καλεῖται πόλις, τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη, κύων. Proximus locus Eupolidis est X 10. Αὐτὰ δὲ τὰ σκεύη καλοῖτ' ἂν ἐπιπλάγιον ἢ κουφὴ κτῆσις, τὰ ἐπιπολῆς ὄντα τῶν κτημάτων. Ὁ γοῦν Εὔπολις ἐν τοῖς Κόλαξι προειπὼν — ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ' οἰκίαν, ἐπήγαγε παραπλήσιον· τεσσυγέγραπται τοῖς τὰ ἔπιπλα. Pro istis ἐπιπλάγιον ἢ, tu, Vir doctissime, refingis, ἔπιπλα ἤγουν ἡ κούφη κτῆσις. satis commode, quoad sensum. Sed vestigia literarum vide, et sic potius scribes, ἔπιπλα, οἱονεὶ κουφὴ κτῆσις. Hoc certissimum: deinde tentas; Τέως οὖν γέγραπταί σοι τὰ ἔπιπλα. Prope hoc ad literas, sed nullum inest metrum. Lego et distinguo, ut senarius sit Jambicus, Παραπλήσιόν τε σοι γέγραπται τἄπιπλα. Sententia est, Cum Eupolis prius dixisset, ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ' οἰκίαν, mox subjunxit (ἐπήγαγε) addidit, *Et similiter descripta*, numerata, tibi sunt τἄπιπλα, *vasa mobilia.* Τἄπιπλα pro τὰ ἔπιπλα primam syllabam producit, ut τἀμὰ, τἄδικα, etc. Venio ad locum X. 18. ubi verba Alexidis, Ποῖ
86 δέ μ' ἄγεις; διὰ τῶν κύκλων et sic MS. Vossianus. mox Diphili ῥῆσις ex excerptis tuis, Καὶ προσέτι τοίνυν ἐσχάραν καὶ νῦν κάδον, στρώματα, συνὸν ἀσκόθηρα, θύλακον, ὡς ποῦ στρατιώτην ἄν τις· ἀλλὰ καὶ κύκλον ἐκ

τῆς

τῆς ἀγορᾶς ὀρθὸν βαδίζειν ὑπολάβοι· τοσοῦτος ἐσθ' ὁ ῥῶπος, ὅσον σὺ περιφερής. Quos Jambos esse recte calluisti, et sic emendas, *καινὸν — συνόντα τ' ἀσκοπήρα, — στρατιώτης — ὑπολάβοις, περ.φέρεις.* Recte hoc postremum: totum vero locum, vide, an sic potius rescripseris: *Καὶ προσέτι τοίνυν ἐσχάραν, κενὸν καδον, Στρώματα, σίγυνον, ἀσκόπηραν, θύλακον. Ὡς που στρατιώτην ἄν τις, ἀλλὰ καὶ κύκλον Ἐκ τῆς ἀγορᾶς ὀρθὸν βαδίζειν ὑπολάβοι· Τοσοῦτος ἐσθ' ὁ ῥῶπος, ὃν σὺ περιφέρεις.* Servulum, credo, aliquem alloquitur quis, variis utensilibus humeros oneratum. Tot res, inquit, cervice gestas, ut Militem te esse existimet quivis (Scis milites olim omnia arma et utenſilia sua suis humeris in agmine portasse) vel potius *κύκλον* et totam turbam *ῥωποπωλῶν* ex foro domum redire: Tanta vasorum vis est, quam tu portas. *Κενὸν κάδον*, ne, si vino plenum esset, impar esset servulus tot rebus gestandis. *αι* autem et *ε* passim inter se mutari, nullus dubito, quin probe scias. *Σίγυνον*, quod et metro et sententiae aptum; *hastam ferream:* inde sequitur, quod *στρατιώτην* esse suspicetur quis. *ὃν σὺ* pro *ὅσον σὺ* clara correctio est. *Κύκλος* vel *κύκλοι* erat locus in Foro, ubi *σκεύη* utensilia venibant: *Credat itaque* aliquis ipsum *κύκλον* cum omnibus suis vasis ex foro ambulare: adeo onustus es omni genere vasorum. Atque hactenus, ut expedite, ita, ni fallor, feliciter res processit. Quae vero postea quaeris, sunt ejusmodi, ut nullus sit conjecturae locus: adeo curta, 87 mutila et mendosa sunt. X. 76. *scapham*, inquit, Aristophanes vocat, in quam invomunt, ut *καὶ ἡμισκαφῆς δ' ἐν στι ἐν ποδολονίων ἐμοῦμεν.* quod sic ipse tentas, *Καὶ ἡμῖν σκαφή 'στ' ὡς ἂν ἐν τῇ ποτὸν οἶνον ἐμοῦμεν.* Nihil video, nisi Tetrametri versus vestigia,

Καὶ μὴν σκαφή 'στ' υ-υ---υ- ἐμοῦμεν, quale illud,
"Ἄνδρες φίλοι, καὶ δημόται, καὶ τοῦ πονεῖν ἐρασταί.
Nolim autem, ut conjecturae tuae fidas; neque enim metrum ullum, nec Graecam orationem servat. Cetera piget describere: neque enim nunc otium est; si vellem nervos intendere, et extundere aliquid. Tu igitur haec, qualiacumque sunt, aequi bonique consule, et raptim bene vale.

CLARISSIMO VIRO,

TIBERIO HEMSTERHUSIO

S. P. D.

RICHARDUS BENTLEIUS.

Jam septimana, credo, effluxit, ex quo literas tuas optatissimas per adolescentem Danum accepi, in quibus serio videris laborare, ut a negligentiae te crimine purges, quod epistolio a me olim accepto tam sero demum rescripseris. Nae tu parum adhuc me nosti, si aut id me credis succensuisse; aut adeo irasci facilem, ut tam operosa excusatione tibi opus fuerit. Non enim tam grande pretium emendatiunculis meis statuere soleo; ut singularem aliquam gratiam inde sperem, aut exigam. Facile enim et quasi sponte mihi solent subnasci: et iniquum plane est, quod minimo mihi labore constet, id postulare magnae gratiae mihi apponi. Tu tamen haud contentus exquisitissimis verbis grates mihi persolvere etiam elegantissimo Lucianei libelli munere demereri me voluisti.

Quin,

Quin, ut magis magisque in tuo aere sim, variantes Flacci lectiones ex codice scripto polliceris, accurata tua opera describendas. Enimvero ob tam prolixam 89
tuam humanitatem, non dici potest, quam devinctum tibi me ac obstrictum habeas. Scias autem, amice praestantissime, me ejusdem Franekeriani libri lectiones e bibliotheca Franciana emtas a Praesule Eliensi dudum habuisse: quas tamen indiligenter et perfunctorie descriptas esse satis mihi compertum est. Tu, sat scio, longe plures et fideliores inde depromeres: neque tamen, cum meliores aliquot Codices aliunde sim nactus, operae pretium fuerit te isto labore et taedio cruciari. Si ipsius Codicis (quod Anchersenius non desperare jussit) vel biduum tantummodo mihi copia fieri posset; crediderim equidem nonnihil fructus ad editionem nostram inde perventurum. Ego enim vel ex ipsis lituris multa expiscari possem, quae alius cujusvis Animadversionum mearum inscii et oculos et mentem fugere est necesse. Tu, quod commodo tamen tuo fiat, experieris, an ex claustris Bibliothecae codex ille huc evolare poterit.

Ceterum ob nitidam illam et magnificam Pollucis editionem (cujus exemplar continuo ut prodiit mihi comparavi) quas tibi gratias satis dignas referemus? Deus bone, quae industria, quae eruditio, quod judicium, quod acumen, quae fides ubique elucet? Unum tibi defuisse doleo (quod a vera amicitia profectum aequis auribus accipies) majorem rei Metricae peritiam. Cum enim cetera in Polluce fere omnia non ita magno labore expediri et restitui possint ex aliis Lexicis; in fragmentis vero Poëtarum, quae subinde adducuntur, recte refingendis is demum arduus sit labor et periculosus: haec qui sine rei metricae doctri- 90

na ausit attingere, perinde est, ac si in Labyrinthum se conjecerit, sine fili praesidio exitum tentaturus. Certe qui syllabarum omnium quantitatem et omnigenorum versuum mensuram in numerato habet, ei πόριμα erunt multa et facilia, quae aliis hac scientia destitutis prorsus sunt ἄπορα. Quare obsecro te, vir eximie, et magnopere hortor, ut et hanc eruditionis partem ceteris, quas cumulate adeo possides, velis adjungere; grande, mihi crede, operae pretium et mirificam quandam voluptatem inde laturus. Animos autem tibi addat, documentoque sit celeberrimus noster Kusterus; qui ubi primum in Britanniam appulit Editioni Suidae manum admoturus, Prosodiae vero ultra Hexametros et Elegiacos fere imperitus, me auctore et suasore, sedulam huic doctrinae operam navavit. Quid autem ille eximium sive in Suida, quem emendatissimum dedit, sive in Aristophane, quem nunc in manibus habet, perficere potuisset? Nihil certe in ejusmodi fragmentis absque hac ope proferre, immo ne de aliorum quidem conjecturis judicare et cognoscere licet. Quamobrem, etsi paullum otii nactus dieculam hanc tibi impendere statui, et integrum Pollucis librum decimum percurrere, quem tu jure omnium difficillimum esse questus es; haud tamen mirer, si quae ego pro certissimis habeo, tibi, ut nunc est, incerta, dubia, falsa videantur. Ea tamen postea, ubi in Metrica arte versatior fueris, τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ clariora tibi visum iri, haud vanus vates praenuntio. X. 11. Ridicule Kuhnius, in Prosodia plane
91 hospes, et Jungermanno longe inferior; Καὶ — σκεύη οἰκητήρια. Senarius ille sic legi et distingui debuit, Καὶ ναὶ μὰ Δί', ἄλλα σκευάρι' οἰκητήρια. Sect. 12. Menandri locum sic lege,

ἔσ'

—— ὅσ' ἐστὶ μαλακὰ, συλλαβὼν,
Ἐκ τῆς πόλεως τὸ σύνολον ἐκπήδα Φίλος.

Necessarius est hic jambus Φίλος ex MSS. non stare potest spondaeus θᾶττον. *Vasa tua colligens, amice, exili ex urbe.* In Diphili loco, male factum, quod ἐκ δόμου in textu posueris pro vulgato ἐκδράμει, Sic totum refinge:

—— εἶτα μαλακὸν, ὦ δύστην', ἔχεις
Σκευάριον, ἐκπωμάτιον, ἀργυρίδιον.
Οὐκ ἐκδραμεῖ λαβὼν τόδε, καὶ δώσεις ἐμοὶ
Παρακαταθήκην;

Ἐκδραμεῖ Atticum pro ἐκδραμῇ ab ἐκδραμοῦμαι. Cetera jam facilia. Sect. 17. Aristophanis locus sic ponendus:

—— καὶ τὸν ἱμάντα μου
Ἔχουσι καὶ τἀνάφορον ——

Illud Alexidis ibidem, Ποῖ δέ με ἄγεις διὰ τῶν κύκλων, sic rescribe — A. Πῇ δή μ' ἄγεις; B. διὰ τῶν κύκλων. Dialogus est, *Qua me ducis? per cyclos.* Recte Vulgati πῇ *qua*, non ποῖ *quo*. Sequentem autem Diphili locum credo me antea tentasse, ut conjicio ex tua Epistola. Meae enim exemplar non servavi, neque nunc, quid scripserim, memini. Locus autem sic constituendus videtur:

Καὶ προσέτι τοίνυν ἐσχάραν, κλίνην, κάδον, 92
Στρώματα, σίγυνον, ἀσκόπηραν, θύλακον.
Ὥς που στρατιώτην ἄν τις, ἀλλὰ καὶ κύκλον
Ἐκ τῆς ἀγυιᾶς ὀρθὰ βαδίζειν ὑπολάβοι.
Τοιοῦτος ἐσθ' ὁ ῥῶπος, ὃν σὺ περιφέρεις.

Κλίνην tu recte pro καὶ νῦν· Epitheton enim hic locum non habet. Pro συνὸν sine dubio repone σίγυνον· in-

inde *militi* eum comparat. Quodsi et antea σίγυνον in Epistola emendaverim, illud indicio erit, veram esse conjecturam, quae bis ex intervallo in mentem venenerit. Porro Sect. 21. locus *Antiphanis* (sic enim recte MSS. et plura hujus et Diphili fragmenta apud Athenaeum extant, quae ex hujusmodi γλώτταις et affectatis vocabulis quaerunt risum; nulla Aristophanis, qui odio habebat illa φορτικὰ) ad Senarios redigendus est, si Kuhnium audimus. Dii boni! ne vestigium quidem senarii est in tribus illis, quos concinnavit; ut plane nauseam mihi moveant. Tu vero tetrametros Trochaicos sic refinge et colloca:

A. Ἂν κελεύῃ με σταθμοῦχος. B. ὁ σταθμοῦχος δ᾽ ἔστι τίς;
Ἀποπνίξεις σὺ δή με καινὴν πρός με διάλεκτον λαλῶν.
A. Εἰ ᾽πιτάττοι μοι στέγαρχος.

Binae, ut vides, sunt personae; quarum prior novo vocabulo utitur σταθμούχῳ pro οἰκοδεσπότῃ· quod altera se negat intelligere. Prior vero ineptire pergit; et quasi σαφέστερόν τι dicturus, aliud verbum adhibet aeque ignotum. Nam ἂν κελεύῃ με σταθμοῦ-
93 χος, et (ex nostra Emendatione) εἰ ἐπιτάττοι μοι στέγαρχος, idem significant. Sect. 33. Locus Aristophanis, τί μ᾽ ὦ πόνηρ᾽ ἐξορίζεις ὥσπερ κλιντήριον, mendosus est sine dubio. Sed corrigendi viam certam non possum inire; quia τὸ μέτρον hic non agnosco. Sect. 35 legerim, ex Scirone Satyrico:

Σχεδὸν χαμεύνῃ σύμμετρος Κορινθίας
Παιδὸς, κνεφάλου δ᾽ οὐχ ὑπερτενεῖς πόδα.

σύμμετρος εἶ τῇ χαμεύνῃ· *non procerior es lectulo Corinthiae cujusvis ancillae.* Sed haec aptius conveniunt Procrustae (scis historiam) quam Scironi: adeo ut forte in eadem fabula de utroque poenas sumserit

The-

Theseus. Sect. 39. Aristophanis ἐν δὲ Δαναΐσι, Τῶν χειρῶ. ἔ:γα μν.ῦ. ἐστι. Nulla hic sententia, nullum metrum. Nimirum sunt verba Pollucis, (non Comici) et sic corrigenda: Ἐν δὲ Δαναΐσιν τῶν χηνῶν πτερὰ μνοῦς ἐστι. *In Danaisin* μνοῦς *anserum plumam significat.* Atque hoc verum est. Ibid. apage illud Hyperidis ὑπὲρ νικᾶς; quod temere in textum recepisti ex insulsa conjectura Kuhnii. Quis dubitet post ὑπὲρ sequi viri nomen; ut in reliquis Hyperidis terque quaterque apud Harpocrationem. Ergo Μικάλου pro μίκας· οὐ enim a sequente ὀνομάζειν facile absorberi potuit. Sect 41. Ὤνητο etc. Placet vulgatum ὠνητιῶν; et sic constitue,

> Ὠνητιῶν τὸ δέρμα τοῦ θηρὸς —
> ῥάψας ὅλον
>
> Σάξαι κνεφάλῳ.

Jam in illo Chionidae Sect. 42, Πολλὰς δ' ἐγὼ δ' ἀκούω κατά σε νεανίας, quod in metri legem gravissime peccat, beasti quod corrupta illa Falkenburgiani 94
codicis ἐγὼ δακοὺ et ἀτέχνους non invidisti nobis: Ecce enim ex illis ruderibus veram tibi lectionem praesto:

> Πολλοὺς ἐγᾦδα, κοὐ κατά σε, νεανίας
> Φρουροῦντας ἀλύχνους, κἀν σάμακι κοιμωμένους.

Novi, inquit, *multos adolescentes, atque eos non tuae sortis*. vel, *non tui similes, excubantes sine lucerna, et super arundinem dormientes.* Ἄλυχνος eodem sensu Euripidi dictum apud nostrum VII. 178.

> Κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλυχνος, ὥσπερ θὴρ, μόνος.

Sect. 46. in illo Antiphanis pro ἐν χαλκοῖς, vel, ut Aldi editio, οὐ χαλκοῖς supra extat in IV. 183. εὐλαμπρῶς. Et sane cum πάνυ adverbium hic convenit: lege

— κα-

—— *κατεσκευασμένος*
Λαμπρότατον ἰατρεῖον εὐχαλκῶς πάνυ,
Λευτηρίοισιν, ἐξαλίπτροις, κυλικίσιν
Σικύαισιν, ὑποθέτοισιν —

Sect. 55. Strattidis versus sic in ordinem redigendi sunt; non ut Kuhnius dedit absurdissime; ut confidentiam quidem hominis mirer, qui id ausus sit profiteri, quod nec hilum intelligebat,

—— *πρόσθ' ἄγε*
Τὸν πῶλον ἀτρέμα, περιλαβὼν τὸν ἀγωγέα
Βραχύτερον. οὐχ ὁρᾷς, ὅτ' ἄβολος ἐσθ' ἔτι;

95 *Πρόσθε ἄγε, produc equum placide; ἔτι* quoque necessarium et sententiae et versui, ab *ἐστι* absorptum est. Sect. 58. Locum Philyllii, in quo sollemniter delirat Kuhnius, sic restitue: *Καὶ πινακίδα δ' ἂν εὕροις ἐν ταῖς Φιλυλλίου Πόλεσι,* λέγει γέ τοι Δωρίζων,

Ἐκ τᾶς πινακίδος ἀμπερέως, ὅτι κἂν λέγοι
Τὰ γράμματ', ἑρμήνευε.

Πινακίδα, inquit, *invenias in Philyllii* Πόλεσιν· *dicit autem Dorice, Interpretare tu clare ex tabula, quid literae significent.* Vides, opinor, Dorismum *ἐκ τᾶς* et *ἀμπερέως* (*σαφῶς*, idem quod *διαμπερέως*, vide Hesych.) Nimirum persona hic inducitur vernacula lingua utens Dorica; unde *Πόλεις* credo nomen dramati inditum; quod variarum urbium cives sua quisque dialecto ibi loquebantur. Sect. 62. Antiphanis locus est; ubi *ξυνακόλουθος* a versu repudiatur. Eleganter et vere Salmasius *Ἀξυνακόλουθος, ξηρὸς, αὐτολήκυθος* i. e. *incomitatus.* quod omnino in textum recipiendum erat. Poteris etiam sic refingere,

Ξυνηκολούθεις ξηρὸς, αὐτολήκυθος.

Sed

Sed alterum illud sententiae videtur aptius. Sect. 63. Optime dedit locum Eupolidis Jungermannus, ex necessitate metri,

> Ὅστις πύελον ἥκεις ἔχων καὶ χαλκίον,
> Ὥσπερ λεχὼ στρατιῶτις ἐξ Ἰωνίας.

Clara sententia, *Qui urnam et ahenum portas; tan-* 96
quam puerpera Ionica, castra sequens. Nempe in Ionia, ubi disciplina militaris non admodum vigebat, mos erat, ut uxores comitarentur suos maritos militantes: ubi si quae forte peperisset, vasa circumferebat balneatoria. At bonus vir, Kuhnius στρατιώτης hic in senario ponit: quod perinde est, ac si sic in Virgilio legendum contenderet, *Tityre in patulae recumbens sub tegmine fagi.* Vides, opinor, ὦ φίλη κεφαλή, quantivis esse pretii leges metricas rite callere. Sect. 64. Locus Aeschyli, Λίνα δὲ πίσσα, καὶ ὠμολίνου μακροὶ τόνοι. Sine dubio senarius erat, sed λίνα stare hic non potest, cum posteriorem corripiat; at λινᾶ a λινοῦς optime: tum autem requiretur substantivum plurale. Lege igitur, si libet,

> Λινᾶ δὲ γεῖσσα, κὠμολίνου μακροὶ τόνοι.

Hesychius in Γεῖσα, ἔνιοι δὲ, inquit, τὰς ὤας τοῦ ἐνδύματος γεῖσσα λέγουσιν· ita ibi legendum, non γείσας. *Lineae*, inquit, *fimbriae*, *et crudi lini teniae.* Sed, cum Editio Aldina habeat λινάδες πίσσα, et Codd. MSS. λίνα δὲ σπίσσα; merito illud sigma haud temere irrepsisse videatur. Verius igitur, credo, reponas,

> Λινᾶ δὲ σπεῖρα, κὠμολίνου μακροὶ τόνοι.

Sect. 65. Antiphanis locus, καὶ τὸ χερνίβιον πρῶτον ἡ πομπὴ σαφής, ut senarium clare se ostendit, fuisse, ita et sic esse corrigendum, Τὸ χερνιβεῖον, non χερνίβιον. Lego equidem totum ex Falkenb. Τὸ χερνι- 97

βεῖον

βεῖον πρῶτον ἐκ πομπῆς ἄφες, vel ἀφείς. Sed, excepto χερνιβεῖον, nihil hic certum. Jam vero sect. 71. in Epicharmi senario ferri non potest δηλοίμην; requiritur vi metri vel δηλοῖ μὲν, vel δηλοῖμεν, vel fortasse,

Οὔτ' ἐν κάδῳ δὴ λῶμεν, οὔτ' ἐν ἀμφορεῖ.

λῶμεν, *volumus*, ut λῇς, *vis*, λῶντι, *volunt*, Δωρικῶς. Sect. 73. sic constitue locum Antiphanis:

— ἀσκοπυτίνην τινὰ
Δίψους ἀρωγόν —

Sect. 74. Aristophanes ἐν δὲ τῷ Γήρᾳ, Ἐφ' ὑδρίαν δανείζειν πεντέχουν ἢ μείζονα. Atqui senarius haud recte procedit: quod ut fiat, lege minima mutatione,

Ἐν δὲ τῷ Γήρᾳ ἔφη,

Ὑδρίαν δανείζειν πεντέχουν ἢ μείζονα.

plane, ut infra sect. 76. Κρατῖνος ἐν Ὥραις, Ἐφ' ἡμῶν, pro ἐν Ὥραις ἔφη, Μῶν etc. Ceterum corruptior est Polyzeli locus sect. 76. sed metri vestigiis insistens sic veram lectionem eruo:

— λεκανίῳ γ' ἄρα
Πρῶτον μὲν ἀπονίψεις, ἔπειτ' ἐνεξεμεῖς,
Ἐνεκπλυνεῖς, ἐναποπατήσεις, Φανία.

Primum, ait, *in* λεκανίῳ *lavabis adhuc puro: postea ad spurciora eo abuteris.* Vide autem, ut una cum metro sententia quoque belle procedat. Quis neget,
98 ἔπειτα necessarium esse post πρῶτον? quis in ἐναποβάσεις, quod nihil est, non agnoscit τὸ ἐναποπατήσεις? Denique pro Κυανία nomine inaudito, ecce tibi de machina trisyllabon Φανίας, Persona apud Menandrum et alios comicos notissima. Ceterum nota illud, ἐνεξεμεῖς, quod futurum notat Ἀττικῶς, ut plu-

ra

ra alia tibi sine dubio non incognita. At sequitur deploratus plane locus Aristophanis, Καὶ ἡμισκάφης δ' ὡς ἔν τι εἰποδιλονιων ἐμοῦμεν· ex quibus depravatissimis, tu nobis, amice, horribilem versum effinxisti, plane ἄμετρον et ἄμουσον. At dehinc, si me audis, et artem metricam assequeris, id saltem disces, quod quantivis est pretii, tacere potius, quam nihil dicere. Ego vero ex prima facie catalecticum tetrametrum hic agnosco: ut proinde aut talis versus hinc excudendus sit, aut omnis opera ludatur. Vis ergo, ut hariolari incipiam? age, aut veram lectionem tibi dabo, aut saltem Aristophane non indignam; lege igitur,

Κἀμῖν σκάφην δὸς, ὥστε μὴ 'ς ποδάνιπτρον ἐξεμῶμεν,

Et nobis scapham da, ne evomamus in aquam qua pedes abluendi sunt.

Possit et sic, Κἀμῖν σκάφης δεῖ, μήποτ' ἐς etc.

Sed hoc, ut dixi, est hariolari: nam et animadverto te aliter paullo in Editione, aliter in Epistola ad me scripta, codicis verba exhibere. Si ipsa Excerpta Falkenburgiana viderem, certius fortasse aliquid extunderem. Sect. 78. in Dioclis senario nescivit bonus Kuhnius ποδανίπτηρ secundam syllabam corripere. lege autem,

Ὑδρία τις, ἢ χαλκοῦς ποδανίπτηρ, ἢ λέβης. 99

Quin et Jungermannus (etsi altero, ut dixi, longe melior) sect. 79. in Pherecratis loco senarium inchoat ab Εἰσέκρουσεν; plane contra artem. Tu vero Tetrametrum puta, et sic constitue,

Λαβοῦσα μὲν τῆς χοίνικος, τὸν πύνδακ' εἰσέκρουσεν.

Sect. 82. in Cratini loco, nollem caecum ducem se-

secutus esses Kuhnium, in κἄτ' ἄλφιτα. Quam otiosum enim ibi τὸ εἶτα? quam necessarius articulus τὰ ἄλφιτα, ut ὁ βοῦς, ἡ μαγίς? Ergo sanissima est vetus lectio:

Ὁ βοῦς ἐκεῖνος, χ' ἡ μαγὶς, καὶ τἄλφιτα.

Porro Phrynichi locus sect. 86. Κἂν ὀξυβάφῳ etc. est Anapaesticus Aristophaneus; sed deficit uno pede anapaesto:

Κἂν ὀξυβάφῳ χρίεσθαι — τρεῖς χοίνικας ἢ δύ' ἀλεύρων.

neque vero sine Codice suppleri debet ex conjectura. lege insuper paullo ante, ἐν Ὄρνισιν Ἀριστοφάνους, non νης; ut hic ἐν ταῖς Φρυνίχου Μούσαις. Eodem versus genere habetur Metagenis locus sect. 88. sic collocandus:

—— ὡς ἂν

Πολλαῖσι παροψίσι καὶ καιναῖς εὐωχήσω τὸ θέατρον.

ut et alter iste ex Aristophanis Tagenistis,

100 Τὸ δ' ἔτνους ἐν ταῖς κυλίχναις τουτὶ θερμὸν, καὶ τοῦτο παφλάζον.

Metrum ipsum efflagitat ἔτνους et τοῦτο, non ἔτνος et τουτὶ quod ultimam producit. Eleganter vero ἔτνους casu genitivo. ἔτνους τουτὶ καὶ τοῦτο. *Pultis pars calida, pars bulliens.* Sect. 90. in Cratetis loco, nollem te a scriptura Codicis discessisse,

Ὁ κάνης δὲ τῆς κοίτης ὑπερέχειν μοι δοκεῖ.

Nam τὰ κανίσκια δὲ etc. quod tu dedisti, peccat in leges metri. Totus locus sic videtur legendus: Ἐπὶ δὲ τούτοις καὶ κανᾶ καὶ κάνητα καὶ κανίσκια. Καὶ κάνης μὲν Κράτης ἐν Ἥρωσιν εἶπεν, Ὁ κάνης δὲ τῆς κοίτης ὑπερέχειν μοι δοκεῖ (ubi κάνης videtur esse *storea*, *teges*) κάνητος vero Aristoph. Acharn. κανισκίῳ in Gery-

rytade. vel forte *κανίσκια* rejiciendum, et *κανίτια* recipiendum ex VI. 86. Sect. 91. Eupolidis versus Trochaicus est, sic describendus:

Ἀλλὰ τὰς κοίτας γ' ἔχουσι πλουσίως σεσαγμένας.

Sed Pherecratis locum tangere non ausim, adeo deformis est; si modo recte illum ex MS. exscripsisti. *Ἀλλὰ καὶ κοίτας τὰς ἐν ἐμοὶ ἀπεβάνθ' ἃ μέλλομεν ἀριστήσειν.* Sed ex fine tamen subodoror esse Aristophaneum σπουδαῖζοντα. Tentemus igitur ad illud metrum redigere, *Ἀλλ' ἐν κοίταις ἔνι γ', οὔτ' ἀπέβαλες, ἃ μέλλομεν ἀριστήσειν.* *Sed in arcis insunt, non spernenda quidem, quae eramus pransuri.* Ἔνι id est ἔνεστι· ἃ ἐμέλλομεν contracte ἃ 'μ. ut syllaba fiat longa, quam versus exigit. Sect. 93. Nicocharis verba duos
senarios efficere pronunciat Kuhnius, qui ex numero 101
syllabarum, non quantitate, senarios metiri videtur: melius paullo Jungermannus. Tu sic lege:

Σόφαις τε (vel *Σιφαῖσι κτλ.*) *παλάμαις τεκτόνων εἰργασμένον*

Καὶ πολλ' ἐν αὐτῷ λεπτ' ἔχων καδίσκια, Κυμινοδόκον —

vel etiam *τέκτονος ἀπειργασμένον.* Sect. 94. in Anaxippi loco apage illud *στάθητι*, quod versus respuit. lege, *Τὴν μυστίλην λαβὼν παράστηθ' ἐνθάδε.* et ibidem Aristophanis locum sic dederat Pollux,

Φέρε τοὺς ὀβελίσκους ἵν' ἀναπήξω τὰς κίχλας.

Varia lectio *ἀναπήξω*, *ἀναπείρω*· atque haec melior. Sect. 98. in Teleclidis loco emendatio tua *σίζοντα* melius se tutabitur, si sic legeris:

Τὰ δὲ τηγάνῳ σίζοντα σοι μολύνεται.

quod sine dubio verum. Quot enim *τήγανα* una ἔσιζον? adde quod *τήγανον* non potest *μολύνεσθαι*, cor-

rumpi, dum σίζει; sed postquam destitit σίζειν humore consumto, tum corrumpitur, nisi ocius de foco tollitur. Denique ὄψα ἐν τηγάνῳ σίζουσιν, οὐκ αὐτὸ τὸ τήγανον. Aristophanes quidem loco a te laudato τάγηνον τευθίδων σίζον dixit συνεκδοχικῶς· sed simpliciter τάγηνον σίζον sine illo τευθίδων vix opinor dixisset. Sect. 101. locus Pherecratis sic locandus et corrigendus,

102 —— πῶς ἂν οὖν κομίσειέ μοι
Τις θυμαλώπων ὧδε μεστὴν ἐσχάραν;

Sect. 102. Menandri locum sic scribe:

—— ἡγεῖται μ' ὅλως
'Επικόπανόν τι ——

Me quidem plane mensam coquinariam quandam existimat.

(adeo me verberibus concidit) Sect. 103. Solonis jambum dolet mihi a te jugulatum esse, cum tuo πευσίδ. Quid nonne ex illis οἱ μὲν satis constat, nullum vas anteivisse: οἱ μὲν enim semper inchoat: sed ipse versus illud tuum furcilla expellit. Scribendum, aut σπεύδουσι δ', aut διδοῦσι δ', aut simile quid trisyllabon. Sect. 105. locus Cratini, 'Επέδωκεν βαλάνων ἄβακα τῶν ἐκ Φιττέως. ubi Kuhnius corrigit Πιτθέως, scil. ex domo Pitthei. Frustra; quasi Pittheus Thesei avunculus in vivis esset aetate Cratini; Ceterum quis non videt locum quendam, ubi βάλανοι nascuntur, non hominem designari. Equidem sic legerim,

'Επέδωκε βαλάνων ἄβακα τῶν ἐκ Φελλέως.

Φελλεὺς locus Atticę notissimus, de quo vide Stephanum Byzantium, Suidam, alios. Aristophanes in Nubibus, Ὅταν μὲν οὖν τὰς αἶγας ἐκ τοῦ Φελλέως. et in

in Acharn. Τὴν Στρυμοδώρου Θρᾶτταν ἐκ τοῦ Φελλέως. Vide ibi σχολ. Sect. 107. in loco Eubuli, pro Σικελικὰ, quod ἄμετρον est, lege,

Καὶ πνικτὰ Σικελὰ πατανίων σκευάσματα. 103

et ibidem Antiphanis, tam hic, quam apud Athenaeum, lege,

—— πουλύπους τετμημένος; non πολύπους.

Sect. 110. locus Sophoclis mendosus est; qui hinc et ex VII. 109. sic corrigendus:

—— συνέλεγον τὰ ξύλ᾽, ὡς ἐκκαυμάτων
Μή μοι μεταξὺ προσδεεῖς εἶεν ——

ligna, ait, *collegerunt; ne interea carerent fomite ad ignem servandum.* Sect. 111. Euripidis versus Trochaicus est; nisi quod οἴσειν e loco suo ejectum sit: lege, Τοὺς ὄνους τοὺς λαρκαγωγοὺς ἐξ ὄρους οἴσειν ξύλα etc. vel forte, ut sententia continuetur, λαρκαγωγοὺς, οἴσειν ἐξ ὄρους ξύλα etc.

Sect. 116. Aristophanis locus sic distinguendus,

Καὶ διαττίλβονθ᾽ ὁρῶμεν
Ὥσπερ ἐν καινῷ λυχνούχῳ
Πάντα τῆς ἐξωμίδος.

plura hujus generis extant apud Aristophanem.

Sect. 124. Theopompi locus sic locandus,

—— —— χλαῖναν δέ σοι
Λαβὼν παχεῖαν ἐπιβαλῶ Λακωνικήν.

Ibid. locus Sapphus egregius, frustra a magnis viris tentatus; quem nisi Prosodiae ductu nemo recte expediverit: Ἐλθόντ᾽ ἐξ ὀράνω πορφυρέαν ἔχοντα προϊέμενον χλάμυν. Ego vero, quatuor primis vocabulis vix perlectis, statim odoratus sum, carmen esse Al- 104
caicum, quale hoc Horatii;

Nullam | Vare sacra | vite prius | severis | arborem:

et illud Alcaei,

Μηδὲν | ἄλλο φυτεύ | σῃς πρότερον | δένδρεον | ἀμπέλω.

et aliquot Sapphus, ut quod extat apud Athenaeum p. 564. ubi ὄσσοις male pro ὄσσε,

Στᾶθι | κἄντι φίλος | καὶ τὰν ἐπ' ὄσσ' | ἀμπέτα | σου χάριν,

et apud Stobaeum, Κατθα | νοῖσα δὲ κεῖσ' | οὐδεπόκα | μναμοσύ | να σέθεν, et quae ibi sequuntur. Ergo certus conjecturae sic extemplo hunc locum refingebam:

Ἐλθόντ' | ἐξ ὀρανῶ | πορφυρέαν | πεῤῥέμε | νον χλάμυν.

Venientem de caelo, purpurea chlamyde amictum.

Nam pro προιέμενον quod et versus et sententia refugit, repono πεῤῥέμενον Aeolice pro περιείμενον· sic apud Hesychium, Πεῤῥεθήκατο, περιεθήκατο, et alia alibi plura. Quis vero tam caecus, ut jam non videat τὸ ἔχοντα ex margine fluxisse, interpretamentum scil. τοῦ πεῤῥέμενον.

Verba Diphili sect. 137. sic ordinanda sunt:

A. ——— ὁ δὲ κανδύταλις
Οὗτος τί δύναται, καὶ τί ἐστιν; B. ὥσπερ ἂν
Εἴποις ἀορτάς ——

Duae personae, quarum altera quaerit, quid significet κανδύταλις; altera explicat per ἀορτάς. Multa similia hujus Diphili extant apud Athenaeum: videtur fuisse φορτικὸς in verborum exoticorum affectatione. Sect. 139. Posidippi locum ita digere:

—— σκήνας, ὄχους,
Ῥίσκους, ἀορτάς, τάχα δὲ, λαμπῆνας, ὄνους.

nam τάχανα nihil est; neque melius quid nunc succurrit.

Sect. 141. Nicochares in Cretensibus: καὶ ἔπειας

καὶ

καὶ ὀπήτιον εἴρηται ἐν Νικοχάρους Κρησὶ, τοῖς τρυπάνοις ἀντίπαλον ὥσπερ Ἀρχιλόχειον. Ita tu, mi amice, locum depravatum ulterius contaminasti: *Ὥσπερ* enim dedisti pro *ὥτερ* Seberi: atqui illud mendum erat typothetarum; voluit enim Seberus quod et Aldus et MSti habent *ὅπερ*. Deinde pro *Ἀρχιλόχειον*, Codices *ἀγχίλιον*. Ex hoc monstro, re metrica et ingenio fretus, sic tibi senarium restituo verum et genuinum,

Τοῖς τρυπάνοις ἀντίπαλον ὄπεας χίλιον.

Quippe in hoc versu aut *ὀπήτιον* aut *ὄπεας* inesse debere res ipsa clamitat: atqui prius a versu rejicitur, posterius latuit in *ὅπεραν*. Ergo in reliquis ne litera quidem mutata, et versus et sententia constat. *Ὄπεας χίλιον* idem est ac *ὀπέατα χίλια*; ut *ἵππος χιλίη, μυρίη*, etc. quae scio tibi nota esse. Verte autem, *Mille subulae quae terebris paria facere possint.* Videtur fuisse dialogus fabri cum cerdone; ille minabatur se *τοῖς τρυπάνοις* factum esse nescio quid: hic regerebat, se mille *ὀπέατα* adlaturum, quae illius *τρυπάνοις* pares esse facile possent. Sect. 142. Platonis versus sic digere et scribe,

—— βούλει τήνδε σοι πλεκτὴν καθῶ,
Κᾄπειτ' ἀνελκύσω σε δεῦρο ——

Sect. 143. Menandri versus Trochaicus est, *Ὡς' ἔγωγ' ἀνειλόμην που σαυνίῳ πεπληγμένος.*

Jam vero insignem Euripidis locum sect. 145. sa- 106
num, ni fallor, tibi exhibebo:

—— πᾶς δὲ Φασγάνῳ
Ἐξηθέριζεν ὥστε πύρινον στάχυν,
Σπάθῃ κολεύων Φασγάνου μελανδέτου.

Nihil hic muto, nisi quod *στάχυν* addiderim, ab-

sorptum scilicet a sequente voce σπάθῃ. Sententiam recte cepit Jungermannus. πύρινος στάχυς, *spica triticea*, ἐξαθερίζω hic est ἀθέρας, *aristas*, detrunco, decutio. Quid clarius certiusve?

Sect. 150. Epistola ad Platonem in mendo cubat: Οἱ περὶ Ἔραστον καὶ Κορίσκον Πλάτωνι ἐπιστέλλοντες γράφουσι, Ληνὸν Ἀσσίαν τῆς Σαρκοφάγου λίθου. Ὁ δὲ Φερεκράτης. Verba illa, Λην. Ἀσ. τ. Σαρ. λ. sunt ex Epistola; reliqua sunt Pollucis. Dixerat ille inter σοροποιοῦ instrumenta esse et ληνόν· probat jam hujus Epistolae auctoritate. Quippe qui ληνὸν Ἀσσίαν nominaverant, de eadem re postea ibi narrantes σορὸν appellant. Ergo eadem ληνὸς quae σορός. Ceterum ἐπάγει et ἐπάγουσι saepe hoc sensu veniunt apud nostrum; vide modo sect. 10. 41. 127. Porro in sequente Pherecratis loco sect. 150. ita ordinandi sunt versus et Personae:

A. Ἦ μὴν σὺ σαυτὸν μακαριεῖς, ὦ 'τᾶν, ὅταν
Αὐτοί σε κατορύττωσιν. B. οὐ δῆτ', ἀλλ' ἐγὼ
Τούτους πρότερον· οὗτοι δὲ μακαριοῦσί σφε·
Καί τοι πόθεν ληνοὺς τοσαύτας λήψομαι;

A. *Certe te beatum ipse dices, o amice, cum illi te sepeliant.* B. *non quidem, verum ipse eos prius sepeliam; et illi se beatos praedicabunt: Unde tamen tot loculos eis sepeliendis comparabo?*

Ὦ 'τᾶν autem addidi, flagitante versu; quod ab-
107 sorptum est a verbo sequente, μακαριοῦσί σφε, *beabunt se ipsi*. Cur autem aut hic aut illi μακαριοῦσι se, cum sepeliuntur? nempe ob funus egregie factum, et sepulcrum magno sumtu extructum. Loquitur autem aliquis, qui multos cognatos habuerit, bonis ejus inhiantes, et mortem ejus expectantes: quos

il-

ille se occupaturum minatur, et fore illis superstitem. Immo vero, jam melius quid habeo, quod sub calamo modo nascitur. Deleas velim illud *σφε*, et cum vulgatis legas, *οὗτοι δὲ μακαριοῦσ' ἐμέ.* Sententia autem haec videtur. Cum laudasset ille nescio quis fortunas suas, tum ob alia, tum ob firmam, credo, valetudinem, etsi strenue nepotaretur; Hunc alter excipiens, Ita vero, ait *εἰρωνικῶς*, tum fortunas tuas laudabis, cum cognati tui te mox sepelient. Non, non, subjungit ille, Equidem eos omnes componam, et *μακαριοῦσί με* superstitem et sanum. Sect. 151. locum ex Tagenistis sic colloca;

—— *ὁ δὲ λύων κύστιν ὕειαν*
Κᾆτ' ἐξαιρῶν τοὺς δαρεικούς. ——

Sunt membra versus Anapaestici, Aristophanei dicti. Cum Kuhnii versiculum hic lego, vix possum nauseam compescere. Neque eo melior est Jungermanni jambus sect. 154. in Lysippi Bacchis. Tu vero locum sic constitue, ut membrum sit Anapaestici Aristophanei,

—— *αὐτοῖς αὐλοῖς ὁρμᾷ καὶ γλωττοκομείῳ.*

Tibicen, inquit, *irruit una cum tibiis et glottocomio.* *Αὐτοῖς* eo sensu passim apud Atticos occurrit, pro *σὺν αὐτοῖς*; quod tu optime nosti. Ibid. Metri ratio satis indicat, tam in Timoclis loco, quam Apollodo- 108
ri *γλωττόκομον* legendum esse, non *γλωττοκομεῖον*. Lege itaque, *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ ἀγγείου γλωττόκομον* etc. et deinde membrum pone senarii — *καὶ τὸ γλωττόκομον βαλανεύεται.* Porro sect. 160. sanus erat Sophoclis locus, neque sollicitandus,

Κέντρα σιδηρᾶ πλευρὰ καὶ κατὰ ῥάχιν
Ἤλαυνε παίων ——

Agitabat prae se hominem, verberans super latera et dorsum κέστρᾳ *ferrea.* Eleganter illud πλευρὰ καὶ κατὰ ῥάχιν, hoc est, κατὰ πλευρὰ καὶ ῥάχιν; quale illud Anacreontis, Ἢ Νεῖλον ἢ 'πὶ Μέμφιν. Ceterum κατὰ hic ultimam producit ob τὸ ρ sequens.

Sect. 162. Dolet, te repudiasse emendationem certissimam,

Καὶ τὴν κυνῆν ἔχειν με κυρβασίαν ἐρεῖς.

Pileum autem dices me instar tiarae habere ; adeo magnificus est scilicet. Quid aptius vel desiderari possit? et illud tuum κοινὴν quorsum spectat? *dices me habere communem tiaram:* nimirum, non esse regem. τίς ὁ νοῦς; dubiumne id esse potuit? Sed ex metro solo utique constat, legendum esse κυνῆν· cujus argumenti vim et πειθανάγκην soli artis periti possunt agnoscere. Sect. 174. locus Teleclidae

Δουλοπόνηρον ῥυπαρὸν σκόλυθρον.

est Anapaesticus, et bene habet. Mox sect. 165. legendum,

Σκάλμη γὰρ ὄρχεις βασιλὶς ἐκτέμνουσ' ἐμούς.

σκάλμη βασιλὶς, *culter regius.* Βασιλὶς adjective hic ponitur, ut alia similia passim. Eunuchus autem lo-
109 quitur hoc, significans, se jussu regis castratum esse, ut a cubiculo esset vel ei vel uxori: solae enim, ut illa ait, Eunuchis utebantur reginae. Citius autem caelum ipsum dirueris, quam illud βασιλεῖς, cui tu patrocinaris, invito metro hic possit consistere; ut de sententia ipsa et constructione nihil dicam. Illud quoque corrigendum ibidem in Hermippi loco, ἀσπιδεῖον, non ἀσπίδιον,

Ἔχοντες ἴσον ἀσπιδεῖον ὀγκίῳ. est enim senarius.

Sec-

Sectione autem 167. in Philippidae loco, vel cum Salmasio legendum,

'Αλύσιον εἶχε τέτταρας δραχμὰς ἄγον,

quod verum puto, vel, si illud quovis pacto retinere vis, lege,

'Αλύσιον εἶχε τετταράκοντ' ἄγον δραχμάς.

Sect. 176. 'Ολκεῖον rectum esse, non ὅλκιον, Menandri locus ostendit, sic digerendus;

—— ἢ χαλκοῦν μέγα 'Ολκεῖον ——

et alter Philemonis, 'Ολκεῖον εἶδον ἐπὶ τραπέζῃ κείμενον,
Πυρῶν τε μεστὸν ——

Vapulet vero Kuhnius cum versiculis suis, quibus nec caput, nec pes adest. Sect. 180. locus Aristophanis duos continet Anapaesticos cum Paroemiaco eos claudente; ut fieri solet tum apud illum scriptorem, tum omnes Tragicos,

Καὶ τοὺς μὲν ὄφεις, οὓς ἐπιπέμπεις, 110
Ἐν κίστῃ που κατασήμηναι
Καὶ παῦσαι φαρμακοπωλῶν.

Porro Capanei haec verba esse conjicio, qui in Dramate hoc Satyrico Amphiaraum augurem ludificatur. Sect. 181. Theopompi locum sic constitue, ex lege metri, ut antea l. VII.

Τηνδὶ περιζωσάμενος ὤαν λουτρίδα,
Κατάδεσμον ἥβης περιπέτασον ——

et mox ibidem Pherecratis locum sic emenda,

Ἤδη μὲν ὤαν λουμένῳ προζώννυτε.

Scis sine dubio, αι et ε in libris scriptis passim inter se permutari. *Jam*, ait, *vos illi lavanti pellem circumligate.* Sectione autem 185. quicquid obtendant

Pol

Pollucis tui codices, uti et Suidae et Harpocrationis, legendum credo πλίνθιον, non πλινθεῖον, ex fragmento illo Aristophanis, quod membrum est Tetrametri Catalectici,

—— ὁ δ' ἐς τὸ πλίνθιον γενόμενος ἐξέτρεψε,

Ille vero, ubi venerat ad locum quo lateres fiebant, divertebat.

Quippe apud Atticos loca rerum venalium et res ipsae venales eodem nomine signabantur, ipso Polluce indicante libb. IX. et X. Sic dicebant ἐς τοὖψον, ἐς τὰ μύρα, ἐς τὸν χλωρὸν τύρον, ἐς τὰ ἀνδράποδα, ἐς τὸν οἶνον, ἐς τοὔλαιον, ἐς τὰς χύτρας, ἐς τὸν λιβανωτὸν, etc. Ergo ἐς τὸ πλίνθιον eodem modo, ad locum ubi πλίνθιον fiebat, vel venibat. Nisi forte ἐς τὰ πλίνθια
111 potius dicendum fuisse contendat aliquis. Ille vero sic locum constituat, eodem versus genere,

Ὁ δ' ἐς τὸ πλινθεῖον γενόμενος ἐξέτρεψε — —

Sect. 188. Recte habet codex Vossianus τὴν γοῦν in Aristophanis loco, qui sic digerendus:

—— τὴν γοῦν ἀσπίδα,
Ἐπίθημα τῷ Φρέατι παράθες εὐθέως.

τὸ Φρέατι secundam producit.

Sect. 189. Legere possis, μὴ λίγδος καλεῖται, *nunquid vocatur* λίγδος; videtur enim dubitare; unde addit, ὅθεν καὶ Σοφοκλῆς ἔφη; cujus locus sic videtur legendus,

Ἀσπὶς μὲν, ἥ μοι, λίγδος ὡς, πυκνομματεῖ.

Sane mirifice arridet Kuhnii illa correctio πυκνομματεῖ. Πατεῖ quid hic faciat, non intelligo. Sect. 190. Platonis Comici locum sic divide,

— δέ·

—— δότω δὲ τὴν κιθάραν τις ἔνδοθεν
Καὶ τοὐπιπόρπαμ' ——

Ibid. Anaxilae locus sic legendus, Οὐκ ἄν γε μὴ τουτὶ γένηται κεράμινον. Denique loco ultimo sect. 192. pro inficetis illis *scnariis* Kuhnii, quos Eupolidi de suo donat, hos ille habeat aliquanto meliores.

—— καρδόπω δύο,
Κρατῆρας ὀκτὼ, δύο χύτρα, δύο τρυβλίω,
Κνέφαλα τε καὶ (vel Κνέφαλα τρία) θέρμαυστριν, ἓξ θρόνους, ...
Κλίνας ἑκατὸν, κόρημα, κιβωτὸν, λύχνον.

Pro χύτραν versu tertio, quod jam praecesserat, ne- 112
que repeti debuit, repones σκάφην, vel λύραν, vel simile quid, quod propius accedat. Nobis ad indagandum fugitivum illud nunc non est otium. Defessus enim sum taedio scribendi; quod longe majore opera mihi constitit, quam emendationes ipsae. Tu vero, doctissime et amicissime Hemsterhusi, si quid hinc frugis colligere possis ad curas tuas secundas, quas in Polluce te positurum narras, utere, fruere, jure tuo et arbitratu. Ubi id tempus venerit, videbimus forte, an in ceteris hujus libris aliquid nobis occurrat, quod doctissimos editores fugerit. Etsi, ut verum fatear, rationem consilii tui nondum perspicio. Quis enim typographus librum denuo recudet, mole sua et pretio laborantem? Ecquando omnia nuperae Editionis exemplaria divendentur? Tu igitur certiores nos facies, quo pacto et quo instituto iterum, ut narras, auctorem hunc aggredi velis. Vale, vir eruditissime, et me, quod facis, amare perge. Cantabrigiae, IX. die Junii, MDCCVIII.

VITA
DAVIDIS RUHNKENII,
AUCTORE
DANIELE WYTTENBACHIO.

PRAEFATIO.

L. S.

*Libellus hic, paulo post Ruhnkenii obitum scribi
coeptus, mea opinione et longior et serior exiit. Lon-
gior; quod ipse scribens delectabar dilectissimi deside-
ratissimique viri recordatione: cui quo magis indulge-
rem, eo mihi plura occurrebant et quasi adfluebant il-
lius facta eventaque, quae ad aliorum cognitionem uti-
lia jucundaque fore putarem. Serior, multis de caus-
sis: cum illis in exordio significatis, nec hic repeten-
dis: tum aliis, praesertim rerum mearum vicissitudi-
ne, qui Ruhnkenio successor Amstelodamo Lugdunum
migravi. Primum ipsa loci domiciliique commutatio
magnam partem necessarii ad scribendum otii aufere-* IV
*bat. Deinde, quum auspicandae cathedrae oratio mi-
hi habenda esset; dixi* de adolescentia Ruhnkenii in
exemplum proposita adolescentibus Batavis bonarum
Literarum studiosis: *quod argumentum quin mihi et
locus, et tempus, et res ipsa imposuerit, nemo dubi-
tabit, qui non ignoret, quae sit eloquentiae materia,
quae Ruhnkenii praestantia, quod pietatis officium.
Sed idem argumentum quum sit pars hujus libelli; non
attinuit, aut illam orationem edere, aut, libello an-
tea edendo, orationi novitatis gratiam praeripere.
Quamquam ad hunc retardandum seriusque emittendum
aliae etiam, per se ipsae satis efficaces, caussae value-
runt: altera, quod Amstelodami excuderetur, me*

E *Lug-*

Lugduni degente, ac speciminibus exemplorum ultro citroque mittendis haud exiguum tempus periret: alte-
V *ra, horum temporum difficultas, quae chalcographos subinde ab officina ad militiam vocaret. Igitur ducenda ac diversis temporibus repetenda scriptione item factum est, ut in ejus initiis ac priore parte acrior impressus sit doloris, utpote recentis, sensus: idemque lenior deinceps in progressu appareat, et tempore et ratione sensim succedente.*

Quod ad calcem (*) subjeci peculiarem notationem locorum in libro universe significatorum, feci non tam mea sponte, quam aliis monentibus. Neque enim vel in ratione, vel in Veterum more, positum est, suis ipsum scriptis scholia addere, et appendicem attexere, quae non cum ipso orationis quasi perpetuitate ac filo contexta sit. Sed nimirum dandum hoc fuit saeculo, et consulendum legentium intelligentiae.

Caeterum, si forte, nonnullorum judicio, aut in rerum delectu, aut in ratione et oratione, lapsus sum:
VII *hi sciant, me in tota hac scriptione unice et pietatem erga Ruhnkenium, et ejus exempli ad humanitatis Literarumque studiosos fructum, spectasse: cui proposito si quidem satisfecero, non recuso, quin mihi tantum de ingenii existimatione detrahatur, quantum ad pietatis laudem accesserit.*

Scripsi Lugdunibatavorum, mense Octobre, anno MDCCIC.

[(*) Nos nunc, in lectorum gratiam, suam quoque loco annotationem in infima pagina adscribendam curavimus.]

VITA

DAVIDIS RUHNKENII.

De RUHNKENIO et meus me dolor scribere jubet, et viri virtus, et vero bonarum emolumentum Literarum. Quidni enim doleam orbatus cum amico conjunctissimo, tum doctore unico? Aut doloris unde petam certius honestiusque solatium, quam ex vitae factorumque ipsius recordatione? Quod si non tantus, quantus fuit, vir fuisset Ruhnkenius; tamen et officium et pietas postulabat, ut cujus vivi amicitiam coluissem, ejusdem mortui memoriam commendarem. Nunc, quum ille omnium consensu, unus in paucis post renatas Literas, earum fuerit ingenio doctrinaque et princeps et stator, isque è singulari et maxime raro naturarum genere, quae immunes a sui saeculi contagione, integrae sinceraeque à prisci sanitate aevi prodeunt; eo nobis minus committendum est, ut tantam tam inusitatam virtutem tacitam abire sinamus. Vivet quidem ejus laus, immortalibus prodita inventis ac doctrinae monumentis: et vivet, vel sine nostro praeconio, per innumerabilium decursum 2
annorum, quoad quidem suus Literis et humanitati constabit honos. Sed hujus, quamvis diuturnae, laudis cum ad paucos pertinebit notitia, eos fere qui scripta viri legerint, tum ne horum quidem animos explebit. Nam ut Veterum, quorum libros cum fructu et voluptate legimus, ipsas etiam res vitasque

cognoscere cupimus, earumque si nihil aut parum ad nostram memoriam pervenit, moleste ferimus: ita et posteri quicumque erunt, et nostrae aetatis aequales multi, qui Ruhnkenii vel nomen ab aliis celebrari audiverint, vel doctrinam legendis scriptis perceperint, uberius quiddam et interius requirent, unde non modo scriptorem, sed hominem, id est, ipsius res, facta, mores, animum, vitamque, cognoscant. Igitur quo majorem Literae cum ubique, tum praesertim in nostra Batavia, tanti viri obitu jacturam fecerunt, quo latius fama ejus per eruditum terrarum orbem patuit, quo sunt plures ad quos ex ejus morte pervenit dolor; eo magis est et humanitatis erga vivos, et pietatis erga mortuum, absentis imaginem repraesentare, vitamque scripto mandare; ut habeant cum universi vel cognitionis oblectamentum, vel desiderii lenimentum, tum vero juniores exemplum, in quod intuentes et excitentur ad ejusdem laudis studium, et studii iter prudenter dirigant.

3 Equidem cum semper ita judicavi, tum nuper de Ruhnkeniano Hemsterhusii elogio scribens (1), *magnum virum nisi a magno viro rite laudari non posse.* Me vero natura in mediocribus esse hominibus voluit; ut mea mediocritas quantum a Ruhnkenii magnitudine, tantum ab ejus magnitudinis laudandae facultate absit. Quam mihi facultatem si vel natura vel doctrina tribuisset, profecto hujus temporis conditio eriperet. Nam, ut nil dicam de patria, quae et praesentium difficultatum sensu et impendentium metu optimi cujusque animum sollicitum ac suspensum tenet: habuit hic ipse annus (2) multa mihi privatim tristia et ad-

(1) Bibliothecae Criticae, Vol. III. Part. II. p. 118.

(2) 1798, quo haec scripsi.

adversa, cum alia, de quibus dicere non est opus, tum duo acerbissima ad animi mei dolorem funera. Primum, ipsius Ruhnkenii obitu, quantopere me commoveri par fuit? quo amisso, simul et parentis affectum, et doctoris lumen, et amici fidem, et familiaris jucunditatem, et omnino maximam vitae suavitatem desidero. Deinde, quum ex hoc me dolore aliquantum erigere, eumque vita viri conscribenda solari coepissem, ecce! domesticum incidit vulnus! suavissima et filiae instar dilecta neptis, rei meae familiaris et adjumentum et ornamentum, in ipso juventutis flore, funesto morbo intra paucos dies domi meae exstinguitur. Qui casus sanequam et sua me gravitate vehementissime perculit, et ad Ruhnkenii 4
luctum renovavit, et omnem scribendi cogitationem ex animo excussit. Igitur in duorum carissimorum capitum amissione ac desiderio, in dolore recente omnem ingenii vigorem hebetante, quomodo probabiliter fungar ea scriptione, quae et liberam ingenii agitationem, et cogitandi diligentiam, et animum curis solutum, et otium ab omni interpellatione vacuum postulat. Et tamen, cuicuimodi est, scriptio statim et continuo et suscipienda et conficienda est: dolori ita resistendum, ut temporis medicinam, quoad ejus fieri potest, ratione repraesentemus. Interest Literarum, interest calamitosae domus Ruhnkenianae, interest et mea et omnium doctrinae studiosorum, omniumque bonorum civium, memoriam tanti viri tamque egregii civis, primo quoque tempore vivam ac recentem scripto mandari ac servari, nec intermortuam demum sero excitari. Et si quaeritur qui hoc munus suscipiat, quamvis id lubens hoc tempore cuivis alii et magis diserto et minus lugenti concedam, tamen

intelligo me omnium voluntate et exspectatione significari, neque id honeste defugere posse. Sive enim agitur officium; Ruhnkenius me ut filium dilexit, ego illum ut parentem colui. Sive quaeritur earumdem Literarum societas; fuit mihi ille adolescentulo haec studia ingresso dux et praeceptor, postea comes et
5 sodalis, nec alter quidquam aut commentabatur, aut scriptum edebat, quin cum altero communicaret. Sive quaeritur familiaritas; per octo et viginti annos ea mihi fuit cum illo consuetudo, ut omnia fere, et laeta et tristia, nobis essent communia. Sive denique opus est orationis quadam doctrinaeque facultate; haec, ut est minor et mea voluntate, et multorum opinione, nec argumento praesenti par, tamen Ruhnkenii praeceptis monitisque conformata, in hujus ipsius laudibus, nisi apte, accommodate, et aeque, at juste, debite, pieque explicabitur.

Ac ne quis laudum nomine, quod aliquoties posui, eo inducatur ut putet mihi laudationem Ruhnkenii esse propositam, id est, ejusmodi scriptionem qua praecipuos vitae ingeniique locos delibem et oratione supra rem veritatemque efferam atque exornem. Istam orationis facultatem nec ego teneo, nec Ruhnkenii vita desiderat: quae, ut nil non habuit vel laudabile vel cum laude conjunctum, nil nisi simplex, apertum, et verum, ita ad laudem simplici nudaque narratione contenta est. Et erit sane simplex haec scriptionis ratio accommodatior cum ad facultatis meae mediocritatem, tum ad cognitionis exemplique fructum.

Davides ruhnkenius natus est postridie Calendas Januar. anno hujus saeculi vicesimo tertio,
6 in Pomeraniae ulterioris celebri urbe, Stolpa. Parentes

tes

tes fuerunt ex honestissimo civium ordine, et in re satis lauta; nam pater munus Sculteti, quod est praetoris rusticani, gessit, nec in liberorum, quos plures habebat, institutione parcus fuit. Ex his Davides puerulus quum et domi, et in magistri ludo, indicia ingenii ac docilitatis daret, a parentibus studiis destinatur, id est, ejusmodi vitae cujus subsidia parantur factitanda arte doctrinâve ex earum genere, quod in Academicis scholis discitur: matre in primis hoc probante consilium et suadente, ut puer ad Theologiam institueretur; nam, ut solent religiosae mulieres, ita demum se fortunatam fore matrem censebat, si filium aliquando suum è sacra cathedra concionantem videret. Ergo puer quo magis citiusque proficeret, traditur in disciplinam scholae Schlavensis, cui tum praeerat Kniephofius, qui postea Coslinensi praefuit scholae, vir cum aliarum doctrinarum probabiliter peritus, tum Latinae orationis ita studiosus, ut et sensu ejus valeret et amore flagraret, eumque sensum et amorem cum discipulis, in quibus quidem venustatis quaedam indoles inesset, communicaret. Hoc tum amore incensus est Ruhnkenius puer: hoc ei fuit initium, a quo ad omnem Literarum excellentiam proficisceretur.

Est haec ingeniorum naturaeque lex, ut nemo quis- 7
quam ulla in arte doctrinave excellere possit, nisi cui tria haec adsint, indoles, studium, via. Sed studium, ut plurimum valet, ita plurimis deest. Nam indolem dat natura, auget studium, acuit via: neque fere quisquam est, cui natura non dederit aliquid indolis ad aliquam artem, in qua excellere possit, modo studium et via accedat. Viam vel magistri docent, vel aliorum exempla ostendunt, vel indolis bo-

nitas invenit, vel studii constantia aperit. Studium nec indoles, nec via parit, nec sibi quisquam ipse, nec alteri, dare potest: ejusque excitandi alius apud alios discipulos magister majorem minoremve habet, non facultatem, sed felicitatem; est enim totum hoc non tam rationis, quam fortunae: excitatur quadam opportunitate temporis, loci, aliarum rerum, visorum sensuumve vel in ipso animo exsistentium, vel extrinsecus illabentium, forte et casu, id est, caussis extra nostram potestatem positis, quasi divinitus oblatis. Dico autem studium non illam ad breve tempus cupiditatem, quae in multis ut exsistit subito, ita mox evanescit: dico ardorem amoris non exstinguendum, ejusque ad extremum usque vitae terminum constantiam ac perseverantiam; neque enim in eo quis genere excellere possit, cujus aliquando amorem studiumque exuat. Adsideat ingenioso discipulo ingenio-
8 sus magister, ut hunc in eo amorem excitet: adhibeat hortationem, praecepta, exempla, praemiorum spem, machinam omnem; sedet aeternumque sedebit infelix (3) magister, nec movebitur discipulus, nisi fortunae aura adspiret. At haec simul atque adspiravit, idem ille modo immotus exilit, evolat, incenditur. Scilicet eadem est ratio et in rerum natura, et in conversionibus cum singulorum hominum, tum universorum populorum: praesens aetas parturit futuram: caussae rerum, quae aliquando fient, jam magna ex parte nunc adsunt, coeunt paulatim, donec ultima quamvis exigua accedente, numerus mensuraque earum expletur, et effectus in lucem proditur. Veluti in

(3) Virgil. Aen. VI. 617: *sedet, aeternumque sedebit Infelix Theseus.*

in populo sensim colliguntur offensiones, odia, inimicitiae: tum coitiones, fervor, agitatio: denique multitudo ducem, quamvis levem, nacta, veterum vincula legum abrumpit, summa imis miscet, vel novam reipublicae formam, vel in eadem novos rectores quaerit. Aut quemadmodum ad ingens saxi pondus loco movendum plures pluresque deinceps accedunt, et frustra nitentes sudant: donec multesimo quodam accedente, ecce! pondus movetur. Aut prouti in libra, aequatis in utraque lance ponderibus, adhuc status et quies intelligitur: at minimo ad alteram lancem addito momento, haec vergit, illa tollitur. Sic ingenia caussas, quibus ad studium excitentur, paulatim cum concipiunt in se ipsis, tum extrinsecus sus- 9
cipiunt, easque ut praegnantia inclusas in sinu continent, donec expleto earum numero, veluti exactis mensibus foetum, sic studium pariant. Igitur qui opportuno illo et ad pariendum maturo tempore, sive prudens sive imprudens, sive hoc sive aliud agens, praegnanti ingenio vel levissimum addiderit momentum, hic excitaverit studium: sed idem falso, ut vulgo fit, solus impulsor habeatur, quippe qui cum prioribus multis sit unus et postremus. Tum vero suprema illa impulsione tactum ingenium indolescit partu, et nascente studio exardescens, divino quasi impetu fertur; unde hic studii affectus, ob divinitatis opinionem, enthusiasmi nomine celebratus est. Et vero is, sive ardor, sive enthusiasmus, socium habet dolorem, tamquam sibi ipsi displicentis atque indignantis qui tam diu dormiverit, et sero resipuerit, nec dum magnorum, quos ad imitandum sibi proposuit, virorum praestantiam assecutus sit. Hic

dolor fuit Themistoclis (4) adolescentis, quem Miltiadis tropaeum dormire non sinebat: hic Thucydidis (5) pueri, quem Herodoti fama ad historiam scribendam convertit: hic Demosthenis (6) pueri, qui Callistratum concionantem audiens, eloquentiae studio incensus est: hic fuit Ciceronis primus dolor (7), quo se adolescentem in foro oratores audientem percussum scribit: hi salutares illi fuerunt dolores, quos ad pariendam rerum scientiam et capessendum laudis studium familiaribus injicere solebat Socrates (8). Igitur omne institutionis momentum in eo positum est, ut, qui ei praesint, diligenter animadvertant quo sint puerorum adolescentiumve ingenia gradu maturitatis ad partum studii, idque Socratica ratione cum ad nascendum eliciant, tum nascens juvent, tum natum alant ac moderentur.

Ruhnkenii magna fuit felicitas: qui et in talem recens

(4) Plutarch. in Vit. p. 114, B. Opp. Moral. p. 184, F: 800, B. D. Lambin. ad Nepot. II. 1.

(5) Marcellin. Vit. Thucydidis, p. 9. Conferatur J. A. Fabricius Biblioth. Graec. Vol. I, p. 867.

(6) Plutarch. in Vit. p. 847, F.

(7) In Bruto, 89: *sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta cum est expulsus:* caet. accipiendum de studii dolore, non de dolore propter expulsum Cottam. Incidit illud tempus in annum Ciceronis decimum et sextum, quo jam in forum deductus erat, sumta virili toga: A. V. DCLXII, Coss. L. Marcio Philippo, et Sex. Julio Caesare. Vid. Francisci Fabricii Marcodurani Historia Ciceronis. p. 23. edit. Heusinger.

(8) Plato in Theaeteto p. 117, seq. Symposio p. 333, C., seq. Plutarch. Quaest. Platonic. I. p. 1033, seq. Biblioth. Crit. Vol. III, Part. I. p. 14.

cens ac puerulus inciderit magistrum, apud quem inde a teneris ille studii dolor excitatus ad constantem et efficacem Literarum amorem evalesceret: et progressu aetatis eos item invenerit praeceptores et sodales, qui studium ejus alerent et incenderent. Veluti, mox parentum voluntate è Schlavensi schola Regiomontium in Collegium Fridericianum delato, quod ibi, propter magistrorum copiam urbisque frequentiam, plurium rerum discendarum opportunitas esset; continuo studium facultasque Latinae orationis ei amorem conciliavit cum magistrorum, tum vero condiscipulorum: quorum unus in primis erat ingeniosus puer, magnus item aliquando vir futurus, Immanuel Kantius, eodem Latinarum elegantiarum amore flagrans; ut alter alterum mutuo aemulationis dolore excitaret. Sed Kantium sive casus, sive quidam inge- 11
nii aestus, ad Philosophiam detulit: in qua quum aetatem consumeret, senex eam protulit Metaphysicam rationem, quae nunc maxime ipsius nomine celebratur. Ruhnkenium, ut cum Poëta (9) loquar, quae puerum adspexerat Musa, eadem nec senem reliquit: igitur hoc studium retinuit, indeque profectus, omnis Latinae Graecaeque elegantiae et rationem complexus est, et princeps exstitit.

Decursis Collegii Fridericiani spatiis, domum ad parentes rediit, duodeviginti annos natus. Jam ea erat aetate et scientia, ut graviores disciplinas in majore amplioreque Academiae schola percipere posset. Parentes

(9) Callimach. Epigr. XXII.

Οὐ νέμεσις· Μοῦσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας
Μὴ λοξῷ, πολιοὺς οὐκ ἀπέθεντο φίλους.

rentes ei popularium unam Academiarum destinabant,
Regiomontanam, Halensem, Francofurtoviadrinam:
harum optionem filio faciebat mater, modo Theolo-
giae se daret: pater facilior erat, integrum filio re-
linquens quam is eligeret disciplinam, modo eam eli-
geret, qua et laudi et fortunae suae consuleret. Fi-
lius eo dudum erat percussus Graecarum Latinarum-
que Literarum amore, ut aegre ad aliud studium tra-
duci posset: his in perpetuum se mente animoque ad-
dixerat: his laudem certe se consecuturum sperabat,
fortasse etiam fortunam: aut si fortunae subsidium
assumendum esset, hoc in Jurisprudentia reponebat,
quippe cujus efficacius uberiusque, quam Theologiae,
12 ad Antiquarum Literarum scientiam facultatemque ad-
jumentum esse censebat. Igitur, ne in praesentia-
rum, sub ipsum discessum, matri adversari videre-
tur, dicit, sibi Graecae in primis linguae cognitione
opus esse, neque se eam recte feliciterque percipere
posse nisi Goettingae in scholis Gesneri. Parentes
filio libenter gratificantur, putantes hoc ad Theolo-
giam spectare. Nam illa aetate in plerisque aliis Ger-
maniae Academiis Graecam linguam non nisi futuri
Theologi discebant, et hi crassa Minerva, ad solam
eamque levem sacrorum librorum intelligentiam:
Graecae Literae pars Orientalium habebantur, et utra-
rumque fere unus et idem erat Professor.

Itaque domo proficiscitur adolescens eo consilio, ut
Goettingam se conferret, et per itineris ac diverticu-
li opportunitatem claras urbes, in primis illas, qui-
bus Saxonia floret, Academias inviseret. Berolinum,
patriae regnique caput et regum domicilium, ampla
aliis peregrinantibus spectandi materia, non nisi pau-
cos eum dies tenet; quippe quo eum itineris magis
ne-

necessitas, quam cognoscendi cupiditas, adduxerat,
sperantem se eo rediturum, nunc omni impetu festi-
nantem ad eos locos, qui ipsi aliquod Antiquae ve-
nustiorisque doctrinae pabulum praeberent. Vicinam
ingressus Saxoniam, venit Wittebergam. Hujus ur-
bis Academiam duo tunc ornabant praestantes doctri- 13
na viri, Jo. Daniel Ritterus, Juris Historiaeque omnis
peritissimus, et Jo. Guilielmus Bergerus, in Elo-
quentia et Antiquitate, in primis Romana, versatis-
simus, uterque scriptis in publicum editis celebratis-
simus. Ruhnkenius qui jam in puerili institutione
Orationes aliosque Bergeri libros cognovisset, mag-
namque ejus admirationem concepisset, eum adit sa-
lutatum. Hic adolescentem comiter excipit, ejusque
colloquio ac doctrina delectatus, Rittero eum conci-
liat, alterum alterius cognitione dignum, et utrique
illa conciliatione gratum se facturum judicans. Ergo
unum alterumve diem his cum viris sic una fuit ut
vicissim caperentur, et ipse illorum benivolentia ac
doctrina, et illi ipsius ingenio et elegantia: ipse abi-
tum de die in diem differre, Wittebergae manere mal-
le, nec tamen audere, ne parentum voluntatem fefel-
lisse videretur: illi, ut maneret, optare, nec tamen
suadere velle id quod, nisi confutata pietatis opinio-
ne, suaderi non posset. Tandem ipse Ruhnkenius,
rationibus secum agitatis, dubitationem tollit, con-
stituit manere, et consilium parentibus probare. Et
facile probavit. Nam quod parentibus ostendebat,
se id, cujus caussa Goettingam peteret, uberius
etiam Wittebergae discere posse, parentes judicare
non poterant: et malebant filium propius abesse, mo-
do intra duorum spatium annorum domum rediret. 14
Neque vero Ruhnkenio quod sequeretur deerat. Nam

li-

licet Graecarum institutio Literarum Wittebergae aut nulla, aut nullo in numero esset, claro certe Professore careret; earum tamen ea scientia valebant duumviri illi, ut ab iis Ruhnkenius discere posset: et si forte Gesnerus majore esset scientia, hoc non tantum erat, ut caeteras Wittebergenses opportunitates obrueret, ubi duos habebat doctores et amantes sui et ad familiaritatem conciliatos: quod an item Goettingae inventurus esset, in majore et studiosorum adolescentium numero et Professorum occupatione, non sine ratione dubitabat.

Duos annos Wittebergae audivit Ritterum Jurisprudentiam et Historias, Bergerum Antiquitates Romanas et Eloquentiae praecepta tradentem: iisque in doctrinis magnos fecit progressus: quorum specimen biennio postea prodidit libello ad publicam disceptationem proposito, *De Galla Placidia Augusta*. Sed quum utriusque doctoris institutiones ita consectaretur, ut nullam earum partem praeterfluere sineret, tum Bergerianae ad duorum in primis scientiam locorum valuerunt, in quibus postea et ipse regnavit, et mihi ad discendum profuit: dico, Latinae orationis puritatem, et bonorum librorum ex recentiore aevo cognitionem. Noti sunt Bergeriani libri de Latina
15 Eloquentia, cum Orationes tum Praecepta. Insignis inest probitas castitasque, cum verborum, tum dictionum: suavitas non inest: nulla magnopere exstat varietas vel orationis vel doctrinae: summa in puritatis et concinnitatis cura, desideres sententiarum lumina, lacertos, sales. Fertur ejus liber *de Naturali Pulcritudine Orationis*, accurati ille judicii et multae doctrinae, sed nulla minus dote quam naturali pulcritudine commendatus; nisi forte naturalis ea sit

pul-

pulcritudo, cui minima est cum Gratiis communio, cujusque ea est simplicitas et mundities quae frigeat. Ruhnkenius ex hac institutione non nisi utilia assumebat: eam a natura acceperat ingenii suavitatem, eum pulcri venustique sensum, qui a compositionis istiusmodi eum contagione integrum intactumque praestaret. Sed bonorum librorum, eorum qui post renatas Literas scripti essent, incredibilem habebat Bergerus non modo cognitionem, sed etiam copiam, de omni argumento, quod ad Scriptores Veteres Graecos et Latinos pertineret, Critico, Grammatico, Antiquario, Nummis, Inscriptionibus. Theca ei erat nummorum veterum, optimorum et rarissimorum, referta et locuples. Principum eruditione virorum plerorumque scripta, quae singulatim edita feruntur, necdum unâ editione comprehensa exstant, sedulo colligere solebat: in iis Joachimi Camerarii scripta, quorum corpus ad formam ab J. A. Fabricio
in Bibliotheca Graeca (10) designatam, edere consti- 16
tuerat. Quod item Ruhnkenius postea subinde agitavit consilium, qui Camerarii libros ad eum paulatim collegit numerum, ut ad summam paucissimi desiderentur.

Caeterum Ruhnkenius Wittebergae nonnihil etiam operae tribuit scholis Mathematicis, Dialecticis, et vero Metaphysicis, quae ad rationem Wolfianam habebantur: ita quidem, ut gustaret, nec ignoraret, Philosophiam. Et quod Nepos ait de Attico (11), *attigit quoque poëticen, credimus, ne ejus expers esset suavitatis:* idem de studio a se Philosophiae impertito dicere solebat Ruhnkenius, suavitatem fructumque Phi-

(10) Vol. XIII. p. 493. seq. (11) Attico, 18.

Philosophiae positum esse in ratione et forma, non in materia et argumento; quippe de cujus veritate omnia esse incerta. De quo equidem ut nolim statuere, ita illud haud dubitanter affirmem, Ruhnkenium ex illa, quaecumque fuit, Philosophiae cognitione, ejusmodi sensum ingeniique habitum traxisse, ut postea Philosophos Veteres et legeret libentius, et intelligeret facilius, quam solent fere literati Philosophiae ignari: tum vero eloquentiae facultatem corroborasse, eamque disserendi consuetudinem duxisse, quae in omnibus ejus scriptis commentationibusque apparet, definiendi, distribuendi, argumentandi, et rem quamque suo loco ponendi: quibus offi-
17 ciis neglectis, laus perspicuitatis elegantiaeque, et omnino bene scribendi facultas, exstare nulla potest.

Interea, quo magis in Latinis Literis aliisque disciplinis progrediebatur, eo magis quotidie animadvertebat, ad eas percipiendas majore sibi opus esse Graecarum Literarum scientia, quam quantam suo ipse studio et Bergeri Ritterique admonitione consequi posset. Et ex his saepe audiebat, interiorem quidem Graecarum Literarum cognitionem nunc apud solos fere Batavos florere, in primis Lugduni, ubi disciplinae quondam a Josepho Scaligero constitutae nunc summum praeesse virum, Tiberium Hemsterhusium. Accedebat ut per idem tempus Lipsiâ Wittebergam excurreret Joannes Augustus Ernestus, tredecim fere annis Ruhnkenio major, jam edito Cicerone aliisque libris famam doctrinae adeptus, isque, apud Ritterum ei conciliatus, vehementer eum hortaretur ad Graecarum studium Literarum gnaviter persequendum duce in primis Hemsterhusio, huic illarum principatum, quamvis caeteroquin Gesneri amantissimus, haud

du-

dubie tribuens. Igitur Ruhnkenius incredibili Hemsterhusianae disciplinae cupiditate incensus, ei se dare et Lugdunum proficisci constituit, parentes tamen antea consilii sui certiores facere, ejusque efficiendi ab iis copiam facultatemque petere; quamquam, quid
responsuri essent, facile augurabatur. Nam hi ab hoc 18
vehementer abhorrentes consilio, redire filium jubent, ut reliquum studiis destinatum tempus in patriarum una Academiarum, ut lex erat, transigeret, eoque transacto munus peteret, quo vitae subsidiis prospiceret: mittunt pecuniam viatico et negotiis ad reditum componendis, necessariam primo, deinde uberiorem, inducti à Bergero ad filii propositum nisi probandum, tamen ferendum. Filius pietati satisfactum, et suum sibi potius quam parentum judicium, in re ubi plus quam illi ipse videret, sequendum existimans, res suas cogitationesque ad profectionem in Bataviam comparat; in primis confirmatus prudentissimis benivolentissimisque adhortationibus duumvirorum Wittebergensium et Ernesti, affirmantium, nusquam ipsius doctrinae sua praemia defutura; quippe quae, nisi apud Batavos, certe apud Germanos ei parata esse, ubi sua se commendatione effecturos, ut prima quaeque cathedra ei deferretur.

Hoc exemplo discant juvenes, quorum rectissimis studiis parentes obsecundare aut, cum possunt, nolunt, quod Ruhnkenio contigit, aut, cum volunt, non possunt, quod pluribus etiam evenire solet: discant igitur non absterreri à proposito, nec temporum difficultatem aut parentum errorem ad ignavam pietatis opinionem interpretari: erigant se adversus
fortunam, sequantur integram naturae, immo Dei, 19

vocem. Est enim profecto Deus in nobis (12), certe divinum quid a Deo nobis inditum, virtus, prudentia et fortitudo, qua suam sibi quisque fingit fortunam. Sed eos dico juvenes qui generosa nati indole, juvenis instar Herculis (13) a diversa utrimque sollicitati Dea, Virtute et Ignavia, audeant laboriosam virtutem molli ignaviae praeponere, et ita in animum suum inducere ut omnes labores exantlare, omnes voluptates contemnere non recusent, dummodo propositum excellentis scientiae fructum consequantur. Non eos dico juvenes, quos quum ad hoc laudis iter ingrediendum hortamur, quamquam in facili et parentum voluntate et subsidiorum copia, tamen respondere audimus, *At nimius est hic labor! Nimium temporis hujus scientiae studium postulat!* Abeant isti ad Deam Ignaviam, hujus in campo pascantur, et cum ignavo vulgo vitam traducant inertem!

Ruhnkenius Lugdunum proficiscitur comite juvene quodam nobile ac divite, inde per alias Europae terras peregrinaturo: recto ac brevissimo tendit itinere, nulla jam diverticula captans. Habebat commendatitias literas Ritteri ad Ruckerum Jureconsultum Antecessorem et Gerardum Meermannum Syndicum Rotterodamensem, Bergeri ad Franciscum Oudendorpium
20 Historiarum et Eloquentiae Professorem: ad unum Hemsterhusium, quem unum et spectabat et cogitabat, literas non habebat. Hujus amicitiam sua ipse, nulla aliena, commendatione, sola doctrinae conjunctione, se sibi conciliaturum certo confidebat. Hunc, si-

(12) Veterum placitum. Plutarch. Quaest. Plat. I. p. 999, E. Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. p. 17, seq.

(13) Xenophon loco notissimo, Mem. Socrat. II, 1, 19.

simul urbem ingressus est, relictis aliis negotiis, continuo adit, Latine alloquitur, narrat quis et unde sit, ex Ritteri Bergerique disciplina se unice Lugdunum venisse, ut Hemsterhusiana institutione ad Graecarum scientiam Literarum proficeret, eamque redux aliquando in Germania explicaret. Hemsterhusius statim animadvertit, hunc non esse ex vulgari genere studiosum et salutatorem: agnoscit egregiam indolem, et ingenii elegantiam: miratur doctrinae, quamvis in adolescente, maturitatem, sermonis Latini inusitatam bonitatem: tum vero amplexatur candorem ingenuum, qui quemvis etiam doctrinae ignarum facile caperet: gaudet discipulum sibi venisse non tironem et rudem, sed universae jam eruditionis supellectile instructum, cui ad perfectionem non nisi ultima quasi manus et lima deësset. Igitur prima illa congressio, ut solet fieri in studiorum sensuumque similitudine, eam vim habuit ut dubium esset uter utrum magis cepisset. Nam et in Hemsterhusio multa erant quae homines etiam indoctos ad eum suspiciendum converterent: summa in habitu, vultu, gestu, motu, cum comitate gravitas: prudentis orationis, tamquam meditatae, 21
sedatum quoddam flumen. Quo majore admiratione Ruhnkenium adfectum fuisse par est, qui ad hunc viri adspectum maximam de ejus doctrina existimationem attulisset. Saepe mihi narravit, se, licet absens de Hemsterhusio summa omnia opinione praecepisset, praesentem omnia uberiora amplioraque deprehendisse; ut, quum absens admirabilem sibi virum informasset, jam praesens aliquem Deum videre sibi videretur. Huic igitur similis fieri studebat: hunc dies noctesque sibi proponebat: hujus ab ore pendebat: hujus per sex deinceps annos scholis assiduam

operam navabat: hujus et tunc et postea familiares sermones et consuetudinem ita consectatus est, ut, quoad posset, ab ejus latere non discederet, nec dictum monitumve è senis ore exiret, quin id exciperet ac fideli memoria reponeret. Ergo, non modo eamdem, quam in Hemsterhusio mirabatur, doctrinam et ipse consecutus est, sed eam praeterea sua quadam et propria ingenii suavitate auxit et exhilaravit. Et quandoquidem Hemsterhusianae doctrinae praestantia posita erat in Antiquarum, id est Graecarum et Latinarum, Literarum critica scientia; haud alienum videtur ab hoc loco, quae sit illius scientiae materia et ratio, breviter, quoad ejus fieri potest, declarare.

Constat inter omnes, omnem ingenii cultum, om-
22 nem verae elegantiae et pulcritudinis rationem, omnes artes ac disciplinas, et exstitisse et floruisse apud Graecos: ab his ad Romanos, à Romanis ad alios Europae populos venisse, et partim horum socordia et calamitate, partim exterorum populorum barbarie ac dominio, quorum utrorumque è colluvione majores nostri exstiterunt, obrutas neglectasque jacuisse per mille fere annos, quibus medium aevum censetur, ad saeculum decimum et quintum, quo earumdem studium Graecis Latinisque Scriptoribus legendis repeti instaurarique coepit: et ab eo inde tempore ita quemque populum ad divinarum humanarumque rerum scientiam, omnemque doctrinarum ac liberalium artium rationem magis profecisse, quo quisque magis veteris Graecae Romanaeque originis, tamquam igniculos et semina in animis abdita elicuisset ac suscitasset, ad ejusque originis sensum habitumque se tractandis Antiquis Scriptoribus restituisset atque conformasset. Quo in judicio, nemo facile humanior à

no-

nobis dissentiat: aut si quis forte dissentit, illud cer-
te nobis concedat necesse est, uberrimum esse omnis
humanae cognitionis fontem in Antiquorum scriptis,
multas adhuc superesse in nostris ingeniis, animis,
moribus, institutis, disciplinis, studiis, barbaricae
semina originis, ac reliquias sordesque medii aevi,
quas ita quemque certissime abstergere et eluere, ut
maxime diligentissimeque pectus limpidissimis Anti- 23
quarum Literarum fontibus irrigaverit. Adeo illud
Horatii (14) de Romanis dictum, verissime in no-
stram aetatem nostraque tempora, veluti vatis oracu-
lum, valet:

Sed in longum tamen aevum
Manserunt, hodieque manent, vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis.

Antiquorum monumentorum quatuor sunt genera. Primo, longe omnium uberrimo et maximo, ipsi continentur Scriptores, et numero multi, et materia varii, Poetae, Philosophi, Historici, Oratores, Rhetores, Grammatici, et de aliis etiam artibus argumentisque Scriptores. Horum vel uno in genere recte versari quum magnum quid sit; is, quem significamus, in omnibus habitare debet generibus, ut omnes omnino Scriptores, et optimum quemque maxime, pertractatos habeat. Ex reliquis tribus monumentorum generibus, duo sunt literata, inscriptiones et Nummi: unum illiteratum, artium opera ea quae oculorum sensu et corporeae materiae conformatione censentur, veluti statuariae, sculpturae, architecturae, et similium: quae tria genera ita teneantur, ut eorum intelligentia maxime et referatur ad intelligentiam primi

(14) Epist. II, 1, 159.

mi et maximi generis, id est, Scriptorum, et ab ea
24 ducatur; qua quippe instructo facilis et expedita est
horum trium cognitio, sine hac inanis et potius nulla.

Scientiae hujus est finis, omnem illam ex antiquis
monumentis materiam proferre, ad ingenii cultum
fructumque, vitae usum, virtutis et honestatis stu-
dium, referre: officium, id est, via qua hunc finem
consequitur, positum est in grammatica interpretatio-
ne, quae à diligente et accurata linguae verborumque
cognitione ad rerum cognitionem proficiscitur. Primi
illi sub initium renascentium Literarum florentes doc-
trinâ viri omnem Antiquitatis materiam suis studiis
complectebantur, Latinam Graecamque linguam, Gram-
maticam, Criticam, omnem Historiam, Eloquentiam,
bene scribendi facultatem, Philosophiam, et reliquas
artes disciplinasque, quatenus, Antiquorum scriptis
consignatae, eorumdem lectione percipiuntur: quibus
multi adeo Hebraicas et Orientales Literas adjunge-
bant. Qui his omnibus fere in rebus probabiliter va-
lerent, innumerabiles fuerunt: qui vero, cum harum
rerum egregia scientia, Literarum quoque Graecarum
et Latinarum principatum tenerent, tres ad hunc diem
censentur, Josephus Scaliger, Isaacus Casaubonus,
Claudius Salmasius. Jam horum aetate, et magis
etiam postea, plerique, pro ingenii quisque sui me-
diocritate et studii ratione, ex illa rerum infinitate in
25 arctius spatium, ad hujus, de qua agimus, scientiae
veterem propriamque sedem, ad grammaticam Grae-
cae Latinaeque linguae rationem, se retulerunt, an-
gustis sane se finibus circumscribentes, observatione
verborum, formarum, dictionis, compositionis: vel-
uti ampli aedificii superioribus partibus et conclavi-
bus, penuria supellectilis familiaeque, vacuis reli-
ctis,

ctis, in fundo ac solo habitatum concedentes: sive,
ut splendidiore exemplo utar, tamquam imperii ac di-
tionis nimis late patentis, quod tueri non possent,
longinquas dissitasque provincias deserentes, copias-
que inde suas in patrium avitumque regnum et agrum
contrahentes. Horum alii intra illud verborum se
regnum continebant: alii subinde in proximas regio-
nes egrediebantur Critices factitandae, vel in emen-
dandis scripturae corruptelis, vel in confutandis His-
toriae erroribus, verborum tamen semper magis stu-
diosi quam rerum, neque fere has attingentes nisi
quatenus cum verbis conjunctae sunt. Et vero pru-
denter et cum ratione agebant, quod virium suarum
rationem habentes, ne altius, quam quantum possent,
in rerum regiones adscenderent. At alii impruden-
ter, atque adeo impudenter, qui nulla linguae et
grammaticae rationis intelligentia instructi, continuo
in Antiquorum res, veluti Philosophiam aliasque dis-
ciplinas, involant, de iis audacter scribunt, rudes et
ignari verborum linguaeque quibus res illae discipli- 26
naeque proditae sunt: volatici, profecto, et ventosi
homines, quasi in aedificio fabricando initium facien-
tes à tecto et apice, de fundamentis et parietibus non
cogitantes. Hemsterhusii prudens erat ratio tuendi
Literarum imperii, qui a verborum intelligentia ad
omnes egrederetur Critices et Antiquitatis regiones,
in iisque frequens diverteret, semper tamen sedem
imperii habitationemque meminisset esse grammaticam
scientiam, eamque in primis et curaret et ornaret.

Sed illa intelligentiae unica effectrix, grammatica
interpretatio, in recentiorum libris facilis expedita-
que est: in Antiquorum scriptis difficillimum habet
aditum, obstructa quippe interjectis cum aliis, tum

praecipue duobus magnis impedimentis et quasi sepimentis. Primum et exterius sepimentum est veterum linguarum ad discendum intelligendumque difficultas: quam ubi superaveris, restat alterum et interius sepimentum, exemplarium labes et corruptela. Linguarum difficultas exsistit ab earum in vulgus ignoratione, utpote ex usu communi remotarum, nec hominum continuo et quotidiano sermone ad nostra tempora propagatarum, sed solis literarum monumentis servatarum. Hujus impedimenti igitur expediendi duo sunt instrumenta. Alterum scientia Artis Grammaticae, confirmata continuo legendorum Scriptorum usu; ut cog-
27 nita cum singulorum verborum significatione, tum eorum compositione et constructione, loci cujusque sententiam assequamur. Alterum, Analogiae nomine celebratum, versatur in singulorum originibus verborum indagandis, unde cum prima et propria notatio, tum ducta inde et tralata vis cujusque et potestas perspiciatur: de quo quamvis maximo ad interiorem Graecae Latinaeque linguae scientiam subsidio pauci adhuc cogitaverant, nec fere nisi triumviri illi, Scaliger, Casaubonus, Salmasius, pauciores etiam scripserunt probabiliter quidem, nisi forte brevia quaedam et inchoata Aegidius Menagius (15) et Lambertus Bosius (16). Utrumque instrumentum ita tenebat Hemsterhusius, ut illius in tractatione primus copiarum ubertatem cum severitate delectus conjungeret: hu-

(15) In Amoenitat. Juris Civilis: praesertim Cap. XXXIX, De Etymologiis Jurisconsultorum.

(16) Dissertatione Etymologica, addita ejus Exercitationibus Philologicis, Franequerae, 1713.

hujus et materiam augeret et rationem primus constitueret, atque adeo unicus ejus haberetur inventor, et unus, post renatas Literas, Graecae Latinaeque linguae fines insigniter proferret.

Gravius etiam difficiliusque expeditu est alterum impedimentum, positum in corruptela et erroribus scripturae, ortis illis cum à librariorum vel fraude vel negligentia, tum à situs ac diuturnitatis injuria, quod omnem intelligendi interpretandique sollertiam eludit, nisi corruptela ad sanitatem restituta fuerit, adhibitâ emendatrice facultate Critica. Haec, ut nomen habet, ita proficiscitur à judicando quid verum falsum- 28
ve, probum vel vitiosum, sanum vel mendosum, rectum vel pravum, turpe vel secus, germanum suppositumve sit: indeque ad inveniendum progreditur, suum cuique tribuens, reprehenso falso verum restituens, ostensa corruptela simul medicinam expromens, vel conjecturae felicitate, vel vetustorum codicum auctoritate. Hujus scientiae tantam facultatem habuit Hemsterhusius ut omnium consensu in ea regnaret, et Ruhnkenius eum verissime in exemplum perfecti Critici proponeret, scripto illo divinitus viri Elogio, in quo ita totam illius doctrinam explicuit, ut simul significaret quid ipse probaverit ac secutus sit. Hunc libellum et legant et ediscant, cum omnes humanitatis studiosi, tum ii qui Hemsterhusianae et omnino criticae doctrinae vim rationemque uberius cognoscere cupiunt. Nos hunc locum nostro more et universe adumbravimus; quo certius de Ruhnkenio judicari posset, quem constat Hemsterhusiani exempli praestantiam et secutum et assecutum esse. Nunc quibus eam gradibus studiisque assecutus sit, porro videamus.

Et primum quidem suo exemplo probavit verissi-
mum esse vetus illud, *sui cuique mores fingunt for-
tunam* (17). Venerat Lugdunum invitis parentibus.
Vitae subsidiis prospectum erat in breve tempus, il-
29 lud quo in Germania cathedram adeptus esset: quod
tempus breve fore Wittebergenses amici affirmaverant.
Nunc, ne illa quidem subsidia desideravit. Eo erat
ingenio, iis moribus, ut non modo doctos, sed in-
doctos etiam, facile sibi conciliaret. Erat in eo cum
officiosa comitate et sermonis affabilitate ingenuus can-
dor, ab omni et adulatione, et simulatione, et vero
eruditionis ostentatione, prorsus alienus: animus sim-
plex et apertus, veri studiosus et tenax, et constans
etiam assertor, gravioribus in negotiis ubi amicorum
commodum et officii consiliique fides ageretur: levio-
ribus in rebus, sententiae nec alienae sedulus repre-
hensor, nec suae pertinax defensor: caeterum fere
Pamphili (18) Terentiani similis,

> Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati,
> Cum quibus erat cunque una, iis se dedere,
> Eorum obsequi studiis; advorsus nemini:
> Numquam praeponens se illis.

Erat omnino in ejus natura princeps dos et reliqua-
rum quasi fundamentum, εὐκολία, facilitas, ut inge-
nii ad discendum et inveniendum, ita animi ad feren-
dos varios hominum mores, suscipiendaque et sua et
aliorum negotia, qua facilitate multum per totam vi-
tam juvabatur sive ad felicitatem, sive ad felicitatis
opinionem; ut aequabili semper esset animo, eodem
vul-

(17) Nepos Attico, 11: fluxit dictum ab Heraclitea sen-
tentia. Vid. Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. p. 19.

(18) Terent. Andr. I, 1.

vultu, adversos casus leniter exciperet, patienter to- 30
leraret, suaque ipse sorte contentus viveret. Porro, quod Graecorum dicto (19) fertur, *formae pulcritudinem omni commendatitia epistola plus valere*, neque haec Ruhnkenio deerat commendatio, corporis nisi venustas et pulcritudo, certe concinnitas et dignitas, juvenilis vigor, hilaritas in vultu, et *quae*, ut cum Tullio loquar, *sunt minima*, *tamen bona dicantur necesse est*, *candiduli dentes*, *venusti oculi*, *color suavis* (20): habitus, motus, incessus, gestus, decorus: index liberalis institutionis, facultas artium quibus corpus ad agilitatem et vitae usum formatur, saltationis, equitationis, palaestrae, et, quibus visus auditusque erudiuntur, linearis picturae et musicae, hujus quidem ejusmodi profectus ut probabiliter tibia caneret: denique venationis studium inde à teneris susceptum, et progressu aetatis ad scientiam et rationem perductum: de quibus artificiis studiisque cum horum peritis, quamquam illiteratis, tam libenter, jucunde, intelligenter confabulabatur, quam de Literis cum literatis. Quae dotes etiamsi exiguae sint, si cum ingenii doctrinaeque virtutibus comparentur, advenae et hospiti multiplices ansas conciliandae multorum notitiae amicitiaeque praebebant, plurimumque valebant ad benivolam opinionem vulgi, cujus in manu doctissimorum saepe hominum
posita est fortuna. Ad hoc vulgi praejudicium quum 31
accederet judicium magnorum virorum, in primis Hemster-

(19) Aristoteli tribuunt Diog. Laert. V, 18: et Stobaeus, Serm. LXIV. p. 408, τὸ κάλλος πάσης συστατικώτερον ἐπιστολῆς.

(20) Tusc. V, 14, ex vetere Poëta.

sterhusii, qui eum quovis in sermone et congressu haud obscure aliis adolescentibus et praeponebat et in exemplum proponebat, brevi factum est, ut studiosissimi quique bonarum Literarum juvenes ejus amicitiam expeterent, et parentes eum filiis morum studiorumque praefectum adjungere cuperent. Hujusmodi ille stationes lubens accipiebat, cum suo ipse judicio, quo diutius copiam haberet fruendae disciplinae Hemsterhusianae, tum auctore in primis ipso Hemsterhusio, qui ab initio statim illud agebat ut Ruhnkenium in Batavia retineret, et aliquando in cathedra collocaret. Quod perfecit tandem, quamvis multos post annos, Hemsterhusius, et immortalibus suis in patriam meritis hunc adjecit cumulum, ut ei Ruhnkenium futurum suum laudis heredem, et bonarum Literarum statorem formaret ac vindicaret.

Attulerat multarum doctrinarum, Juris, Historiarum, Antiquitatum, Literarum Graecarum et Latinarum, aliarum, haud contemnendam scientiam, inchoatam puerili institutione, mox Wittebergensi disciplina cultam et locupletatam; ut nullam non in hoc genere cathedram ornare tuerique posset: cujus scientiae si qui vel dimidiam et multo adeo minorem
32 partem tenent adolescentes popularem auram captantes, ut sibi placent! ut se efferunt! ut alios prae se contemnunt, et Professorum scholas despiciunt! At Ruhnkenium, ô superbum juvenem! non puduit tam doctum cum adolescentulis tironibus ac paene pueris condiscipulum in Hemsterhusii schola sedere: immo, qui Socratis sibi proposuisset praeceptum, se ipsum nosset, ac doctus magis esse quam videri studeret, constituit veluti ignarus omnium rerum et rudis, tamquam novus ac recens, tamquam denuo natus, no-

vam

vam vitam ordiri, studiorum viam rursus ingredi, ejus initium a Graecis Literis ducere, earumque scientiae, quasi fundamento, postea Latinarum Literarum ac deinceps aliarum doctrinarum tractationem superstruere. Ita enim et ipse judicabat, et Hemsterhusium judicantem audiebat, praeposterum esse puerilis institutionis ordinem, quo primum Latinis, deinde Graecis, imbuimur Literis; igitur eos qui semel hunc errorem errassent, et tamen ad Literarum principatum contenderent, denuo veluti pueros debere fieri, puerilis institutionis aliam viam ingredi, a Graecis ad Latinas Literas progredi. Hanc viam ingressus, bipertitum sibi studiorum pensum constituit: alterum, ut quotidie Hemsterhusium in schola Graecos Scriptores, ea qua diximus, critica grammaticaque ratione interpretantem audiret: alterum, ut ipse domi Graecos omnes deinceps legeret Scriptores, et pri- 33
mum quidem Poëtas, initium ducens à principe ut ingenio, ita aetate, Homero, quamquam antea lecto, nunc melioribus auspiciis ac rite tractando, indeque ad proximum quemque aetate et argumento Poëtam, usque ad postremum, progrediens; ne Nonno quidem, Silentiario, et postremis Byzantinorum, neglectis, modo aliquam cum veteris doctrinae elegantia conjunctionem haberent. Et ne studium ad solos Poëtas adhaeresceret, neve aliquando, quod multis accidit, ad prosae orationis Scriptores traduci nequiret, Herodotum, Thucydidem, Platonem, et in primis Xenophontem, eadem qua Poëtas cura, eodem tempore, legebat: et ne à Latinis Literis desuesceret, Graecorum Poëtarum lectioni Latinorum lectionem Poëtarum adjungebat: denique ne, quod item compluribus evenire solet, Latinae orationis prosae sen-

sum

sum facultatemque lectione Poëtarum restingueret, sed integrum servaret, partim jam cautum erat Bergeri disciplina, ubi Cicero ei vehementer placere coeperat, qui quibus placet, hi multum, judice Quinctiliano (21), jam profecerunt: partim adhuc etiam cavebat, legendo Cicerone, adhibito item Terentio, Nepote, et simillimo quoque horum nativa elegantia castaque simplicitate.

34 Jam si quis quaerat, qua ratione Scriptores Graecos legerit, infinitum sit de singulis respondere, universe dixisse sufficiat, Hemsterhusianam eum secutum esse rationem. Ergo primum ad singula verba attendebat: novorum et minus cognitorum vim aperiebat cum ex originis notatione, tum ex usu: quem quia legendo nondum tenebat, cognoscebat è Lexicis. Stephaniano Thesauro, in primis autem è veteribus, Polluce, Suida, Hesychio, aliis, quibuscum, inter lectionem Scriptorum, familiaritatem contrahebat, et utrorumque comparatione utrisque mutuo lucem medicinamque adferebat; tum vero judicabat quamnam è variis significationibus praesens locus vel admitteret vel postularet. Deinde animadvertebat ad compositionem et structuram totius loci, eamque cum investigando sententiae nexu, tum observatione grammaticae rationis constituebat. Locum ita patefactum relegebat aliquoties, antequam ad proximum pergeret. Denique perlectum Scriptorem, uno et continuo tenore rursus totum relegendo iterabat; unde fiebat ut se in ejus mentem, mores, aetatem, locum, quasi insinuaret: formam dicendi, cogitandi, argumentandi, animo imprimeret: multa, in quibus antea haesisset, ex-

(21) Instit. Or. X, 1.

expediret: perperam à se intellecta rectius perspiceret, corrupta emendaret; quum quovis dubio loco facile videret quam sententiam scripturamque consuetudo et ingenium Scriptoris postularet. Ita è gram- 35
maticae interpretationis exercitio, sponte et nascebantur verissimae emendationes, et ingenium ad criticam facultatem formabatur.

Ac ne forte ingeniosi juvenes, qui haec legerint, opinione laboris ab ingrediendo ejusdem laudis itinere deterreantur, cogitantes infinitum et humanis, suis certe, viribus majus esse tam multos Veterum libros tanta cum cura tractare, et tractatos memoria continere; operae pretium est eos admonere. Sane, si unusquisque Scriptor tantumdem operae ac laboris postularet quantum primus, infinitum esset negotium et ita aerumnosum, ut nemo non liberalis ingenii homo aliam quamvis, quam hanc, vitae viam ingredi mallet. Nunc plane Hesiodeum (22) illud fit, *τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα.* Virtus difficilem et sudoris plenum habet aditum, progressum facilem et jucundum. Uniuscujusque deinceps Scriptoris facilior fit lectio et ad sequentes viam aperit: ac brevi tempore ad eam facultatem pervenitur, ut Graeci libri aeque promte expediteque intelligantur, quam aut Latini, aut patria adeo lingua scripti. Ad hanc facilitatem multum valet cum ipsa linguae indoles, tum vero plurimum recta progrediundi ratio. Linguae, prae caeteris omnibus linguis, ea est indoles, ut et singulorum significatio verborum appareat vel ex origine, vel è nexu cujusque loci: et constructio compositioque dictio- 36
num enunciationumque ad simplicem naturae rationem con-

(22) Op. et D. 289.

conformata sit; ut neutra in parte opem Lexici tam diu, quam aliis in linguis, desideremus. Recta progrediundi ratio duabus continetur partibus: altera, justa difficultatis cujusque aestimatione: altera, annotandi consuetudine. Illa hanc habet vim, ut locis difficilibus nec parum, nec nimium operae tribuamus. Parum tribuimus, quum eos leviter, nec adhibitis iis, de quibus diximus, expediendi instrumentis praeterimus. Nimium tribuimus, quum ita ad eos adhaerescimus, ut, nisi penitus expeditis, progredi nolimus: ad quam pertinaciam etiam studiosissimorum hominum industriam, tamquam ad scopulum naufragio, affligi novimus. Fuit mihi familiaris quidam, elegantis homo ingenii, qui hac pertinacia captus, in facillimis etiam locis difficultates sibi fingeret, et, quod ajunt, nodum in scirpo quaereret, mihique ingenue fateretur, sibi majus videri quam pro humani ingenii viribus vel unum è majoribus quidem, aut Graecis, aut Latinis prosae orationis, Scriptoribus, accurate legisse. Quid igitur? Laboris molestia ac taedio, à continua lectione rejectus, ad Latinos adhaesit Poëtas, horum item paucissimos legit totos; in reliquis eorum, et magis etiam in solutae orationis Scriptoribus, maxime vero et omnino in Graecis, desultor
37 evasit, et, ut in proverbio est, canis è Nilo bibit: modo in hoc, modo in alio, versus aliquot degustavit: totum ne unum quidem vel minimum perlegit: numquam, ne ad mediocrem quidem, Graecae scientiam linguae pervenit. Ruhnkenius institutum iter strenue persequebatur: ad locum perveniens in quo haereret, si bis terve lectum expedire non posset, ad eum non adhaerescebat, eum relinquebat, notabat, in aliud tempus reponebat, progrediebatur: mox ul-

tro

tro lux oboriebatur, vel simili in sequentibus oblato loco, vel per iteratam totius Scriptoris lectionem nexu accuratius perspecto. Si qui superessent loci neutrâ harum rationum patefacti, de his Hemsterhusium consulebat.

Annotandi consuetudo in eo est posita, ut locum quemque memoratu dignum, item verba dictaque excerpamus, certoque ordine in adversaria referamus. Fructus ejus multiplex est: primum, ut inventa ne perire sinamus, sed custodiamus, unde ea, postulante usu, facile expromamus: deinde, ut expeditior faciliorque quotidie fiat progressus, quum in promtu habemus prius animadversa, quibus revocandis eas, quae postea obveniunt, difficultates expediamus: tum, ut similium copiam exemplorum congeramus, quibus inter se comparandis et rerum rationem et linguae usum colligamus, quae observatio inductioque una 38 est verissima in his rebus via naturae et ingenii humani; denique, ut sub manu ac sensim congeratur ac digeratur sylva et apparatus omnis interpretationis, emendationis, et omnino grammaticae criticaeque doctrinae. Ruhnkenius cum ex veteribus Scriptoribus, tum ex recentioribus eorum interpretibus, Criticis, Grammaticis, Antiquariis, omnibusque omnino hujus argumenti libris, quos omnes et cognoverat et perlegerat: ex his igitur verba dictionesque et quidquid ad grammaticam rationem pertineret, suis locis adscribebat, Graeca in Scapulae Lexico, Latina in Fabri Thesauro: utriusque exemplum, interjecta quibusvis paginis purâ charta ligatum, in hos usus ad manum habebat: res quae ad Historiam, Antiquitates, aliasve doctrinas referrentur, in compendio cujusque argumenti edito, aut, si hujusmodi editum

compendium non haberet, in peculiaribus adversariorum libellis annotabat.

Quantam illa annotandi consuetudo vim habeat, et quantum per eam vir viro praestet, facile est attendentem intelligere. Quis neget magnos fuisse viros Gesnerum et Ernestum, doctrinae praestantia et varietate, judicandi facultate, scribendi laude? ut eorum in disserendo miramur diligentiam, copiam, subtilitatem, elegantiam, prudentiam, ita in animadversionibus ad Scriptores antiquos, in primis Graecos,
39 veluti Gesneri ad Lucianum et Orpheum, Ernesti ad Homerum, Xenophontem, Callimachum, quamquam ne illas quidem disserendi judicandique dotes desideramus, easdem tamen copiarum et apparatus penuria obscurari labefactarique videmus: quam sunt illi viri, et sui quisque, et magis etiam Hemsterhusii, Valckenarii, Ruhnkenii, similiumque virorum dissimiles. Nimirum interpretatio est res non modo subtilitatis, sed etiam testimonii: et omnis judicandi subtilitas vana est et fluctuat, nisi tamquam fundamento nitatur copia doctrinae eaque praesente et parata; ut testes, quorum auctoritate sententiam tuam tamquam in judicio probes, producantur et excitentur; quippe aliter probatio, atque adeo interpretationis munus ac finis, exstare nullo modo potest. Jam vero, in Scriptore edendo quot sunt animadversiones, tot sunt caussae et quaestiones, quarum cujusque probatio suis sibi et argumentis et testibus continetur; ut testium fere innumerabili multitudine opus sit, tanta certe quae non nisi assidua et propemodum infinita lectione colligi queat. Quid igitur? an Gesnerus et Ernestus antiquos Scriptores non assidue legebant? Vero, assidue legebant: sed parum annotabant, forte aliarum

oc-

occupationum multitudine impediti: et ad plerasque etiam Scriptorum editiones faciendas subito et imparati accedebant. Et reperiemus fere, ingeniosos quamvis ac doctos homines, sed in annotando et congeren- 40
dis adversariis negligentes, infelices in emendando esse conjectores et hebetes. Scilicet, haec facultas maxime procuditur et acuitur multo usu et linguae consuetudine, quam tenere nemo potest, nisi qui multum legit, nec id effluere sivit, sed omnia et notavit et notata saepe inter se comparavit.

Caeterum Ruhnkenius, eodem auctore Hemsterhusio, in Scriptoribus legendis ita versabatur, non ut omnibus aequalem, sed ut nonnullis praecipuam tribueret operam; ut singulis deinceps locis, non solum difficilibus, sed intellectis etiam sua opinione ac facilibus, criticam diligentiam adhiberet; ut quaereret, quo quidque pertineret, quid verum, sanum, germanum, secusve esset, obscura illustraret, corrupta emendaret, spuria argueret. Hoc ad multas utilitates consilium spectabat. Nam ita, in legendo excitabatur animus, ut numquam dormitaret, et vigilans ubique aciem intenderet suspicacem et perspicacem in detegendis interpolatorum fraudibus et librariorum erroribus: ita, ingenium exercebatur ad criticam, cui natum erat, facultatem: ita, paulatim colligebatur materia conscribendi libelli, quo doctrinam adolescentiamque suam ad publicam notitiam, munerisque adeptionem, commendaret: ita denique alebatur annotandi studium, quod saepe refrigescit, quum non 41
nisi universe adversaria instruimus ad incertum et longinquum doctrinae ex iis expromendae tempus; contra, augetur et incenditur proposito opere mox in publicum emittendo. Hanc operam in quibus poneret,

Scriptores elegit sibi Ruhnkenius eos quos primos legerat, Homerum, Hesiodum, Callimachum, Apollonium Rhodium: ejusque operae fructum, sexto posteaquam in Hemsterhusii disciplinam venerat anno, quadragesimo nono hujus saeculi, prodidit duabus Epistolis Criticis: altera de Homero et Hesiodo, ad Valckenarium, novum amicum, Hemsterhusii discipulum, alterum ab illo nostra aetate memoriaque Graecarum Literarum principem: altera de Callimacho et Apollonio Rhodio, biennio postea, ad Ernestum, veterem amicum, elegantis doctrinae cum Graecae, tum in primis Latinae, cum Gesnero in Germania primas tenentem. Utriusque Epistolae argumentum congruebat cum eorum, ad quos scriptae erant, studiis. Nam et Ernestus meditabatur novam Callimachi editionem: et Valckenarius versabatur in Homero ad criticam rationem exigendo et poliendo, cujus studii exstat specimen in Iliadis libro vigesimo secundo, qui separatim ab eo editus est. Ruhnkenius majoribus Homeri carminibus critice tractandis aliud tempus destinabat: tunc Hymnos argumentum Epistolae su-
42 mebat; quod criticae facultati ampliorem promtioremque materiam praebere viderentur. Utraque non solum in iis, quos titulus profitebatur, sed in aliis quibusvis versabatur Scriptoribus Graecis, Epigrammatibus, Orphicis carminibus, Hesychio et caeteris Lexicographis. In utraque, ut primo Ruhnkenii critico opere, adolescentis ingenium, tamquam Phidiae signum (23), simul adspectum et probatum est. Tanta erat doctrinae ubertas, tanta interioris et exquisitae scientia Graecae linguae, ducta illa cum ex

ac-

(23) Cicero Brut. 64.

accurata grammaticae rationis et originum intelligentia, tum è continua Scriptorum lectione, tum ex assiduo Lexicorum, Hesychii, Suidae, Etymologi, Pollucis, aliorumque omnium et Grammaticorum et Scholiastarum usu; ut in iis nil tam abditum et obliteratum, nullum tam reconditum esset latibulum, quod ejus aciem effugeret: tanta erat indagandi sagacitas, judicandi subtilitas, inveniendi solertia; ut spurios quosque et corruptos locos, cum animadverteret celerrime, tum emendaret felicissime. Quibus dotibus ut aequabat principes Criticos, ita eosdem propria quadam dote superabat ea, quod ipsius ratio et oratio integra et immunis esset ab illa non modo scribentium, sed omnino doctorum hominum, labe, quam paucissimi, quos aequus amavit Jupiter, vitare possunt, quam Graeci τὸ Φορτικὸν, Latini *molestum*, credo, vocant; quo significatur quidquid nimis est quae- 43
situm, coactum, affectatum, frigidum, tortuosum, implicatum, ingratum: quorum in aliquam partem quis non aliquando incidit scribens? Ruhnkenii scriptio ab ipsa natura ad elegantiam facta formataque erat: per totam diffusus quidam et perspicuitatis candor et antiquae venustatis vigor, Ruhnkeniani ingenii felicitatem, facilitatem, simplicitatem, prorsus et referebat et exprimebat.

Sed, ut quis miretur tantam doctrinae copiam facultatemque tam brevi tempore potuisse comparari, ita magis etiam miretur, si cogitet quantopere illud tempus aliis curis negotiisque distractum occupatumque fuerit. Nam interea amantissimo ipsius viro, Joanni Albertio, Theologo inter Batavos Graece doctissimo, in ornanda expoliendaque Hesychii editione haud contemnendam praestabat operam: eumdem gravi

morbo afflictum, restituendae valitudini fontes Spada-
nos petentem, eo comitatus est, medio inter utrius-
que Epistolae editionem anno, hujus saeculi quinqua-
gesimo. Porro cum suo ipse nomine, tum amicorum
consuetudine, et alumni, cujus studia regebat, caus-
sâ, in multorum, etiam illustrium, hominum fami-
liaritatem amicitiamque pervenerat: quam ut retine-
ret, eorum ipse et domus frequentare, et voluntatem
observare, et studiis obsequi, debebat. Ergo mag-
44 nam temporis partem auferebant salutationes, congres-
sus, convivia, rusticationes, aliaque hujusmodi offi-
cia. Attamen, qua erat naturae facilitate, haec in-
commoda ad Literarum suarum studiorumque commo-
da referebat: et cum alios percepit istiusmodi vitae
fructus, tum duos in primis hos; alterum, ut assues-
ceret subsecivas horas captare, Literisque eas tribue-
re, ac tantum subito et ex impetu efficere quantum
alii ex praeparato ac meditato: alterum, ut corpus
animumque à studiorum intentione aliorumque nego-
tiorum satietate recrearet ambulatione, motu, cursu,
in primis venatione, atque ita naturale robur sanita-
temque firmaret. Denique accedebat Jurisprudentiae
studium, cui non solum communiter cum alumno et
contubernali suo operam dabat ventitando quotidie in
scholas Professorum, traditisque domi commentando,
sed suo ipse consilio peculiarem laborem diligentiam-
que impendebat. Hoc illud est, quod in Epistola ad
Valckenarium scribit: *Nam etsi nemini elegantiorum
literarum amore concedimus, Jurisprudentiae tamen
studium latissime patens, tantum sibi temporis vindi-
cat, ut, si horis subsecivis animum reficere Poëtarum
lectione liceat, valde nobis beati videamur.* Hujus
stu-

studii quod fuerit consilium, quae ratio, paucis declarandum videtur.

Nam Hemsterhusius, quo magis Ruhnkenii evola- 45
bat ingenium famaque crescebat, et quo magis ipse eum diligebat, eo magis metuebat ne, oblata ei apud exteros cathedra, Bataviam relinqueret, nisi arctiore ad eam honesti luculentique muneris vinculo adstringeretur: neque tamen impetrandae ei Literarum cathedrae spem facultatemque satis propinquam expeditamque videbat, propter excellentium in eo genere hominum copiam. Et erat sane illo tempore rara quaedam Batavae terrae in his Literis felicitas, uberiorque doctorum virorum proventus, quorum aetas in Ruhnkenii adolescentiam incideret. Nam, ut omittam inferiores classes, nec nisi primarum classium literatos nominem: erat primum in hac ipsa Academia Lugdunobatava, veluti quadam sapientiae arce, omnium princeps et horum sacrorum quasi antistes, Hemsterhusius: erat, in altera Literarum cathedra, illius collega Oudendorpius: erat Theologus rara Graecarum Literarum scientia, Albertius. Trajecti modo fuerant Drakenborchius et Dukerus, quibus succedebant Wesselingius et Saxius. Amstelodamum habebat Dorvillium: Franequera Valckenarium, Burmannum Secundum, mox Schraderum: Groninga Lennepium: in Valckenarii schola jam succrescebat Piersonus, cui instabat Koenius. Porro clari erant Literarum scientia, Jureconsulti Röverus et Bondamus; Medici, Bernardus et Heringa: denique Gymnasio- 46
rum Rectores, Zwollani Abreschius, Delphensis Hoogeveenius, Graecae linguae grammatica scientia insignes. Horum nemo non in suo genere excelluit, nemo non apud exteros doctrinae fama clarus fuit. Sed

cum universae eruditionis, tum Graecarum Literarum et criticae facultatis, habita ratione, principatus erat apud triumviros illos, Hemsterhusium, Wesselingium, Valckenarium; quibus jam, omnium consensu, quartus, quamvis adolescens, adjungebatur Ruhnkenius. Quis vero non miretur tot tantorumque Literis praestantium hominum, una aetate, uno eodemque parvo Batavorum in populo, proventum, quot quantorumque ne totus quidem reliquus terrarum orbis numerum habebat? Et ab illa copia si ad praesentem inopiam respiciamus, quamnam hujus calamitatis caussam esse dicamus? temporumne adversitatem, an hominum perversitatem? Equidem potius hominum perversitatem dixerim, et frequentem in adolescentia Deae Ignaviae cultum. Sed nolo nunc istud vulnus aperire, in recente praesertim Ruhnkenii desiderio: quod magis omni ratione consolandum, quam novarum cogitatione miseriarum exasperandum est. Quare animum à praesente orbitate ad laetiora tempora adolescentis ac florentis Ruhnkenii convertamus,
47 Deum immortalem precantes, ut cum pristino reliquarum laudum fructu, hanc etiam Literarum laudem Batavo populo restituat.

Ergo Hemsterhusius Ruhnkenium hortabatur, ut aliquid temporis Jurisprudentiae daret, eique aliquando è cathedra docendae idoneum se redderet. Habuerat Hemsterhusius Franequerae in eodem genere discipulum Arnaldum, à Literis ad Jurisprudentiam profectum, immatura morte his terris ereptum, et funebri ab ipso oratione laudatum: hujus rationem Ruhnkenium sequi volebat. Habebat Ernestus disciplinae alumnum Bachium, elegantissimae juvenem doctrinae, insigne decus Jurisprudentiae, veteres Cujacios et

Go-

Gothofredos relaturum, nisi longiorem ei vitam fata
invidissent. De Ruhnkenio longe majus quid amplius-
que exspectabat Hemsterhusius, quo majore ille in-
teriorum Literarum copia abundaret, quoque majore
earum usu subactum haberet judicium. Itaque Ruhn-
kenius vetus Jurisprudentiae studium, in Ritteri scho-
lis inchoatum, longo intervallo intermissum repeti-
vit, atque effecit ut proximo ab edita altera Epistola
Critica anno, hujus saeculi quinquagesimo secundo,
progressuum suorum specimen ad publicam notitiam
proderet, *Thalelaei*, *Theodori*, *Stephani*, *Cyrilli*, *Com-
mentarios Graecos in Titulum Codicis et Digestorum
de postulando*, *sive de Advocatis et Procuratoribus*,
Latina interpretatione ac doctis animadversionibus il- 48
lustratos. Quo specimine quum et Hemsterhusii
consilio satisfecisset, et eruditissimis adeo judicibus
scientiam probasset suam, statuit Jurisprudentiae stu-
dium denuo intermittere, et interea, dum forte illius
docendae munus offerretur, Graecis rursus Musis
operari, earumque alio ac novo in argumento nomen
suum immortalitati consecrare.

Nam quum Epistolarum Criticarum ei materia fuis-
sent principes Poëtae; novae sibi scriptionis argumen-
tum elegit principem prosae orationis, Philosopho-
rum Deum, Platonem. Hujus cognitionem quum
pauci adhuc attigissent Literati, eamque fere, ut va-
cuam possessionem, Philosophis relinquerent, et ip-
sis eam cum infrequenter colentibus, tum illiberaliter
et inficete ac sine Graecarum scientia literarum tra-
ctantibus, ut auctoris sententiam ad ineptissimum
quodque commentum detorquerent, et à germano veri
pulcrique sensu ad scholasticas nugas converterent;
Ruhnkenius ad veram grammaticam interpretationem,

solam certae intelligentiae effectricem, primus et signum sustulit, et viam patefecit, patefactamque illustravit, edito eruditissimisque commentariis ornato explicitoque Timaei Lexico Vocum Platonicarum. Cujus libri editionisque materia, vis, usus, praestantia
49 quo accuratius cognoscatur, operae pretium est, ejus rei rationem a principio repetere.

E Graecis Scriptoribus, Poëtis, Historicis, Philosophis, Oratoribus, principes ingeniorum censentur, cum aetate, quae ab Homero ad finem fere primi post Alexandrum Macedonem saeculi fuit: tum auctoritate, quam obtinuerunt apud posteriores, qui se ad illorum exemplum composuerunt, eorumque scripta ad aliorum intelligentiam interpretati sunt. Interpretandi varia fuerunt genera: unum quidem omnibus commune interpretibus, quod refertur ad scientiam materiae in qua versatur auctor; veluti Philosophi interpres, ignarus Philosophiae, aut Medici interpres, Medicinae imperitus, nemo esse potest. Alia fuerunt genera diversa modo et argumento. Rhetores eloquentiae artificium explicabant. Grammatici verba obsoleta ex linguae scientia, res obscuras ex Historiae et Antiquitatis cognitione illustrabant. Critici utrumque munus et Rhetorum et Grammaticorum complectebantur, ac tertium propriumque assumebant munus judicandi qui liber locusque germanus cujusque Auctoris spuriusve, qui sanus mendosusve esset; ut spurium confutarent, mendosum emendarent: porro, principum Scriptorum censuram agebant, et classes constituebant eorum qui tamquam scribendi cogitandique normae et exempla auctoritatem habe-
50 rent; quibus inde Auctorum classicorum nomen venit. Criticorum primarii et aetate et fama celebrantur

Ze-

Zenodotus, Aristophanes Byzantius, Aristarchus,
Crates, quorum non nisi levia supersunt fragmenta:
et quorum libri servati hoc genus vel attingunt, vel
complectuntur, Aristoteles, Dionysius Halicarnas-
sensis, Athenaeus, Longinus, Porphyrius: erudi-
tissimi homines, qui et multiplicem Auctorum do-
ctrinam materiamque perceptam haberent, et Rhetori-
cam Grammaticamque tenerent. Sed qui solo Rheto-
ricae munere contenti, laudabiliter eo fungerentur,
laudataque scripta relinquerent, fere sunt Hermoge-
nes, Aristides, Theon, Demetrius, alii non quidem
contemnendi, nec tamen cum his doctrinae praestan-
tia comparandi. Sunt vero etiam quidam levis et nul-
lius fere momenti, qui non nisi Dialecticae abusu lo-
quacem jejunitatem sequuntur in definiendis generibus
et caussis, meri Scriptores de Arte, uti vocantur,
τεχνόγραφοι, ab omni aliarum Literarum suavitate nu-
di et vacui. In eadem tenuitate et levitate permulti
sunt Grammatici: at vero plures etiam exstant egre-
gie docti, maximaeque ad interiorem linguae Litera-
rumque cognitionem utilitatis. Horum alii orationis
elementa et compositionem, naturae observatione et
vera dialectica ratione explicant, veluti Apollonius
Dyscolus, et Dionysius Thrax: aliorum opera con-
tinentur Lexicis, veluti Pollucis, Hesychii, Sui-
dae, Etymologi, Harpocrationis, Ammonii, mino- 51
rum item quorundam: aliorum, scholiis ad Aucto-
res, maxime Byzantino aevo compilatis ex commen-
tariis Grammaticorum nunc perditis. Sed et Rhetor
et Grammaticus ita quisque nobis majoris pretii aesti-
mandus est, ut et artis rationem magis tenet, et in
primis ut frequentior est in memorandis cum rebus ex
Historia et Antiquitate non aliunde cognitis, tum lo-
cis

cis et notitiis Scriptorum perditorum. Ita enim se res habet, ut, quo plures per illam medii aevi barbariem perierunt boni libri, eo majore cum cura ex hoc tamquam naufragio tabulas colligere debeamus. Igitur inde à renatis Literis multa inedita paulatim prolata sunt, ut nil jam superesse videretur. Ruhnkenius cum alia ex bibliothecarum latebris protraxit egregia, tum Grammaticorum ingentem vim: è quibus tot tamque praeclaras doctrinae notitias ac reliquias in lucem expromsit, quot quantasque eorum quidem, qui hoc et superiore seculo fuerunt, hominum novimus neminem.

Timaei hic libellus est ex genere mere grammatico. Neque enim Philosophiam attingit, aut voces Platonicae proprias doctrinae persequitur: neque cum Critica ratione conjunctum habet munus, ut de librorum auctoritate locorumve germana scriptura judicetur:
52 neque cum Rhetorica, ut compositio artificiumque orationis aperiatur. Est Lexicon breve vocabulorum dictionumque rariorum et exquisitiorum, quae grammatice explicantur, idque breviter, nullo cum eruditionis apparatu, nullis aliorum Scriptorum testimoniis: accurate tamen et diligenter, utiliter item ad multorum locorum cum intelligentiam aperiundam, tum veram lectionem constituendam. Credibile est, pleniorem amplioremque, quam ut nunc fertur, a Timaeo editum fuisse librum, ac postea ab aliis ad hanc brevitatem redactum. Interpolatoris quoque manus apparet, cum aliis in locis, tum in additis frequenter glossis Herodoteis. Ejus libelli exemplum exstabat in Bibliotheca Coisliniana, unde eum in opere hoc ipso nomine Bibliothecae Coislinianae insigni-

to

to ediderat B. Montfauconus (24): et Ruhnkenius qui ejus seorsim edendi consilium agitabat, accuratius ex ipso vetere codice descriptum exemplum nanciscebatur beneficio Gallyi, Canonici Norvicensis, quocum ad fontes Spadanos notitiam amicitiamque contraxerat, cujusque nomini item postea Timaei editionem inscripsit.

Hunc igitur libellum Hemsterhusius et dignum censebat qui peculiari editione ornaretur, et idoneum in quo ornando doctus editor doctior etiam fieret. Nam cum semper, ut diximus, judicabat, studium excerpendi annotandique in juvenibus, ne hebesceret, re- 53
tinendum alendumque esse proposito certo alicujus libri edendi consilio: tum huic edendi consilio in primis accommodatos esse libros grammatici argumenti arbitrabatur. Ita Valckenarius adolescens tractaverat Ammonium de Differentiis Vocabulorum, ut et egregiae fundamenta doctrinae jaceret, et eruditissimis animadversionibus conscribendis immortalem nominis famam consequeretur. Ita postea pari, aut simili certe, fructu, Piersonus Moeridem Atticistam, Bernardus Thomam Magistrum, Koenius Corinthum de Dialectis, ornaverunt: eamdemque operam Glossariis Hippocrateis destinaverat Heringa. Est autem hujusmodi negotium, ut per ejus rite tractandi tamquam gradus adolescens, cui quidem nec ingenium nec studium desit, ad insignem doctrinae facultatem adscendere possit. Primum, libellus edendus debet conferri cum aliis omnibus Grammaticis, ut appareat quis alterum secutus sit, quid ab eo habeat ac retinuerit, si-

(24) Titulus libri est, *Bibliotheca Coisliniana, olim Segueriana* — Parisiis 1715.

sive omiserit, sive addiderit, quomodo alter ex altero supplendus, interpretandus, corrigendus sit. Quod ut utilissimam habet ingenii exercitationem, ita tenue et exile est cum ad editionis laudem, tum ad editoris in doctrina progressum. Alterum est majus negotii hujus officium, accurata Scriptorum lectio, cujus et necessitatem imponit, et jucundissimum in-
54 vitamentum, et acerrimum incitamentum, adhibet probe administrandae editionis munus. Nam lectio optimorum Scriptorum cum per se sit suavissima, tum suavitatis ei quasi cumulum adjicit inventio novarum rerum, quibus propositum opus ornetur et locupletetur; quum inter legendum continuo incidimus in voces, dictiones, historias, in libro à nobis edendo item proditas: quum similium multorum comparatione locorum, vim usumque verborum dictionumque constituimus, corrupta sanitati restituimus, ignotarum parumve cognitarum ex omni Historia et Antiquitate rerum reliquiarumque notitiam patefacimus: quae omnia per accuratam lectionem et annotationem sponte ac sub manu nascuntur. Ruhnkenii Timaeus non modo insignibus et absolutissimis ab illius ingenio doctrinaque adfluentibus copiis ornatus prodiit: sed peculiarem etiam ac praecipuam habuit accessionem suavitatis, cum ab ipsius editoris indole, consuetudine, et facultate, tum à libri argumento, profectae. Argumentum versatur in Platonis dictione, quae ab omni aevo et nominata et habita est divina; quippe ita et verborum delectu et compositionis ratione formata, omnibusque eloquentiae luminibus distincta; ut triplicem illam orationis dotem, perspicuitatem in docendo, venustatem in delectando, gravitatem in commovendo, unus omnium in tota anti-

qui-

quitate maxime tenuerit, et unum apud posteros hu- 55
jus laudis socium habuerit Ciceronem. Et prouti La-
tinos, qui post Ciceronem fuerunt, Scriptores, nisi
lecto Cicerone, recte intelligere nemo potest: aut,
ut exemplo magis ad popularem captum accommoda-
to utar, prouti Patrem Ecclesiasticum nemo intelli-
git, nisi qui sacros libros in numerato habeat, prop-
terea quod eorum dicta et verba in Patribus utram-
que, ut ita dicam, paginam faciunt: ita Graeci clas-
sici Auctores apud posteros omnis liberalis institutio-
nis fuerunt initium et fundamentum, eorum lectione
omnes ingenui et liberales homines à teneris, cum do-
mi, tum in Grammaticorum et Rhetorum scholis im-
buebantur, ut dictiones verbaque illorum Auctorum
per omnem omnis aetatis et loquendi et scribendi
consuetudinem late paterent ac dominarentur, et ex
illorum scriptis, tamquam fontibus, rivulos ducerent
omnes posteri Scriptores, orationemque inde suam
quasi irrigarent. In hujus auctoritatis societatem cum
omnes venerunt classici, qui dicuntur, Auctores,
tum ejus quasi possessionem nonnulli prae caeteris
obtinuerunt, maxime princeps omnium Homerus, ad
quem ex Poëtis proxime accedunt Hesiodus, Euripi-
des, Menander: prosaici Herodotus, Thucydides,
Xenophon, Demosthenes, et maxime omnium, tam-
quam aliquis inter prosae Scriptores Homerus, atque
adeo inter Philosophos Deus, Plato. Hunc posteri 56
omnes et Graeci et Latini, non modo Platonici, sed
caeteri Philosophi, Peripatetici et Stoici, nec modo
Philosophi, sed alii omnes omni in genere Scripto-
res, Rhetores, Oratores, et Ecclesiae adeo Patres
ii, quibus quidem aliquod esset cum humanitate com-
mercium: hunc igitur omnes posteri, ut quisque be-

ne

ne scribendi maxime esset studiosus, ita maxime et lectitarunt et imitando expresserunt. Porro in Ruhnkenio admirabilis erat quaedam ad omnem interpretationis virtutem indoles; non solum ut copiis ad confirmandum, subtilitate ad judicandum, ingenio ad inveniendum, valeret: sed etiam ut collectum his facultatibus apparatum cum perspicuitate, ordine, ac delectu explicaret, et insigni prorsus et ad rem accommodata orationis elegantia ac venustate ornaret et quasi laetificaret. Quibus in dotibus singulis quum excellere magnum sit; qui in universis excelleret, et cum criticis ingenii doctrinaeque copiis ac divitiis tantis, tantam Latinae orationis scientiam, facultatem, castitatem, et nativam veluti gratiam conjungeret, recentiore aetate, quod quidem sciam, nemo exstitit. Ad has editoris dotes quum accederet Platonici argumenti suavitas, prodiit Timaeus ita ornatus ac dotatus, ut, quamvis parvus volumine, tamen doctrinae cum pondere et praestantia, tum nitore ac lumi-
57 ne, vere aureus et esset et haberetur. Ac principio quidem, in praefatione Ruhnkenius omnem argumenti caussam, Platonicae orationis vim et auctoritatem, veterum ejus interpretum et Grammaticorum usum rationemque ita patefecit, ut legentes tamquam per lucidum atrium in religiosissimum templum introducere videretur. Deinde, in ipso libro quot sunt animadversiones, tot sunt disputationes suis numeris absolutae, ratione ac via ab idoneo initio ad idoneum exitum deductae. Nam primum glossae cujusque scriptura constituitur consensu aliorum Grammaticorum: tum loci Platonis, ad quos glossa spectat, apponuntur, quorum nullus fere non insigne, vel sapientiae, vel venustatis lumen habet: porro, qui hos locos

vel

vel verbo, vel sententia, imitati sunt, et varii varie
è Platonico exemplo simulacra expresserunt, ordine
recensentur Scriptores: quae res una in primis jucun-
dam legenti habet cognitionem, ex loco Platonico vel-
uti sapientiae arce conspicienti posteros Scriptores
ad eamdem arcem partim enitentes, partim evolantes:
quorum et invicem et cum Platone comparatione,
plurimi et hujus et illorum loci illustrantur et emen-
dantur: nullus non ex tota Graeca Latinaque anti-
quitate Scriptor pertractatus, nullus non recentior
de his Literis probabilis quidem criticus liber perle-
ctus, suo quisque loco opportune memoratur: sub-
inde ineditorum veterum Grammaticorum praestantes 58
exquisita doctrina notae expromuntur: est etiam ubi
ad simile argumentum digressio fit, non illa quaesita
et captata, sed ultro ac sponte oblata: ubique appa-
ret animus praesenti operi intentus, nil sibi intermis-
sionis ad vagandum indulgens, summam temporis ac
brevitatis rationem ducens. Igitur nil nisi novum et
nemini antea dictum profertur: si quid eorum, quae
ad rem pertinerent, jam ab aliis recentiorum homi-
num doctorum animadversum proditumque esset, pau-
cissimis verbis, non nisi nominato auctoris nomine,
significataque libri pagina, monetur. Ita doctrinae
severitas temperatur suavitate rationis, ut dubites ju-
cundioremne an fructuosiorem libri lectionem dicas:
ita modus cum copia componitur, ut non dubites af-
firmare, nullum esse umquam hoc in genere scriptum
librum, qui tanta in brevitate tantam praestantissi-
marum rerum copiam complecteretur. Hoc ipsum
aliquando dicere me memini Kulenkampio, Goettin-
gensi Professori, docto sane homini et librorum cal-
lentissimo: qui, *At parvus est*, inquit, *Timaei li-*

bellus: cui ego, *Atqui*, inquam, *si decies major fuisset, Ruhnkenio non deërant copiae ad eum eodem modo ornandum.* Et hoc dicebam, Ruhnkenio adhuc ignotus, nondum praesens praesentem cognoscens.
59 Sed item quosdam de Hemsterhusio judicantes audivi cum dicerent, eum Luciani editionem deposuisse, quod jam omnem animadversionum materiam consumsisset, nec haberet unde caeteros Scriptoris libros eadem copia ornaret. Enimvero, qui harum rerum usum habent, vel ex quavis una animadversione Hemsterhusii, Valckenarii, Ruhnkenii, et similium virorum, facile intelligat, eos quantasvis et longas et praestantes animadversiones scribere potuisse: et quominus plura scriberent, tempus, locum, occasionem, voluntatem, et quidvis potius quam copiarum abundantiam, iis defuisse. Copiae quotidie legendo affluunt et augentur: ad scribendum, laboris patientia, studii intentio, ardoris impetus, progressu aetatis minuitur; itaque fit, ut materiae faber, non ut fabro materia desit. Rectius mihi conveniebat cum Brunckio: apud quem quum aliquando essem, isque Timaeum Ruhnkenianum, qui forte in promtu erat, in manus sumens, diceret, *Hic est unus in tota Literatura Graeca libellus simul et brevissimus et doctissimus! Recte*, inquam, *ais: hoc semper et ipse dico, et nunc dicere me volentem occupasti.* Quo magis miror doctum quemdam virum Lipsiensem chartae pepercisse, minime ceteroquin ejus parcum, qui Timaeum et Moeridem nova editione repetiit, omissis
60 Ruhnkenii et Piersoni animadversionibus, in quibus maxime et praecipue illorum Grammaticorum posita est utilitas et commendatio. Ruhnkenius quidem hac in Timaeo navanda opera, praeter animadversiones in

ip-

ipso libro proditas, tantum doctrinae apparatum col-
legit, qui instruendae novae Platonis editioni suffice-
ret: idque et tunc jam cepit consilium, et postea
magis distulit quam abjecit, et perfecisset, nisi dein-
ceps aliae ex aliis scriptiones, denique senectus, su-
pervenissent.

Quantam apud me vim ad progrediendum proficien-
dumque habuerit Ruhnkenii Timaeus, infra narrabo.
Valuit vero ejus cognitio et auctoritas apud multos
ad Platonem legendum: certe ab eo tempore ejus dia-
logi apud exteros, in primis Germanos et Britannos,
editionibus celebrari coeperunt. Et, ne hoc praeter-
eam, Ruhnkenii exemplo ad studium Platonis addu-
ctus est Hemsterhusii filius Franciscus, et ita ad Phi-
losophi rationem suum ipse ingenium conformavit,
ita in libellis, quos de Philosophia deinde scripsit
Francica lingua, Metaphysices abstrusissima argumen-
ta suaviter ac dilucide exposuit; ut cum dubites sub-
tilitatemne an Socraticam nativam venustatem magis
mireris, certe Platonem ipsum Francice disserentem
tibi audire videaris. Quam rationem adhuc in Ger-
mania elegantissimi quique tenuerunt philosophi,
Mendelssohni, Sultzeri, alii; et eamdem profecto re- 61
petent seque ipsi ex verborum obscuritate et involu-
cris ad popularem captum et Socraticam perspicuita-
tem explicabunt novissimi illi doctrinae à Regiomon-
tano Ruhnkenii condiscipulo proditae sequaces; si
quidem Philosophia ad communem humani generis
utilitatem intelligentiamque spectat, nec ejus studiosi
magis verbis quam rebus fidunt.

Edito Timaeo, Ruhnkenius jam ita et doctrina per-
fectus, et doctrinae fama clarus erat, ut accessioni
nullus superesse locus videretur. Et jam decem an-

nos in Batavia degerat, et cum tantarum laudum com-
mendatione adhuc erat privatus, necdum ad publicum
docendi munus provectus. Atqui ita acciderat, ipso
partim volente, partim non nolente. Subinde eum
veteres amici, Ritterus, Bergerus, Ernestus, per li-
teras monebant, habere se opportunitatem impetrandi
ei muneris professorii in Germania, et, modo ipse
vellet, in promtu esse ejus muneris adeptionem. Sa-
ne, accipienda tali conditione melius, quam postea
fecit, rationibus suis et futurae rei familiari consu-
luisset. At ista cum cura nondum tangebat. Multis
Batavae terrae suavitatibus captus, et sua ipse natura
cum hominum ingeniis mirifice congruens, perpetuo
in ea manere constituerat. Principio, eum ceperat
ille libertatis sensus, qui omnibus non obesae naris
62 hominibus recens in hanc è vicina regione ingressis
continuo, veluti quidam sanitatis odor, occurrit, et
progressis apparet paulatim per omnes vitae partes
civiumque ordines diffusus. Porro, vehementer mo-
res Batavorum amabat: quos, ut ipse ajebat, cum
sortis tum indolis felicitas tam à servili potentiorum
adulatione, quam à superbo inferiorum contemtu
aversos, à vanorum item titulorum ambitione alienos
fecisset, contra ad generosam et civilem animorum
aequalitatem conformasset. Ad hanc rationem ita ad-
sueverat Ruhnkenius, ut in patriam redux ipse veluti
novus ac recens in ea peregrinaturus, nec magis ipse
illi, quam illa ipsi, amplius placere posse, videre-
tur. Tum vero propter illas, de quibus diximus,
dotes facilitatis et candoris, et morum sensuumque
cum Batavis congruentiam, his omnibus, summis
infimis, jucundus acceptusque erat: hi et hortaban-
tur eum ut in Batavia maneret, et optabant ut intra

bre-

breve tempus in cathedra Academica poneretur. Hemsterhusius ei Lugdunensem alterutram, vel Graecarum vel Latinarum, Literarum cathedram dudum destinaverat: sed in neutra succedere poterat Ruhnkenius, manentibus, qui eas tenebant, ipso Hemsterhusio et Oudendorpio. Erant alia item publica docendi munera, quae Ruhnkenio subinde offerrentur. Puerili aetati Latinis Graecisque Literis imbuendae unaquaeque fere, paulo certe frequentior, in Batavia urbs 63
habet gymnasium, scholam Latinam vulgo vocant, cui praeest Rector, sub eoque Conrector, plerumque etiam Praeceptor ac plures adeo subinde. Multa sunt Rectorum munera, quae luculentiore reditu fruantur plerisque Academicis Literarum cathedris: sed habent adjunctam necessitatem recipiundorum in contubernium et convictum discipulorum, eorum quidem qui statutis conditionibus uti velint; unde Rectori alia exsistit necessitas, matrimonii, vel certe instruendae alendaeque familiae. Conrectores ac Praeceptores minus quidem quaestuosa sunt conditione, at non obstricti illis necessitatibus solutiorem habent ad alia negotia rationem, et plus otii ad sua sibi Literarum studia colenda. Sane scholastica illa magisteria futuris etiam Professoribus cum honestissimam exspectandi stationem, tum idoneum instituendi tirocinium et praebent, et saepe praebuerunt. Hujusmodi nil placebat Ruhnkenio. Placebat adhuc, ut antea, singularis praefectura adolescentis quocum Lugduni aut in vicina degeret; quo majorem adeundi Hemsterhusii sui facilioremque copiam haberet. Praeterea, quo minus se stabili muneri alligaret, haec etiam accedebat caussa, quod mira dudum peregrinandi cupiditas eum ceperat lustrandarumque cele-

briorum per Europam bibliothecarum, unde codici-
64 bus parum cognitis aut nondum editis, in lucem protrahendis Literas locupletaret.

Jam edito Timaeo, impatiens morae, propositi hujus perficiendi tempus porro differre noluit. Igitur proximo anno (1755), Lutetiam Parisiorum profectus est. Haec enim urbium ex eo genere et proxima erat, et magis quam omnes aliae abundans locupletissimis bibliothecis: quarum e numero duae in primis erant frequentissimae instructissimaeque antiquis codicibus scriptis: altera, cognomine *Regia:* altera *Sancti Germani in Pratis* (25), Benedictinorum è congregatione Sancti Mauri. Utramque è Catalogis ita jam cognitam perspectamque habebat Ruhnkenius, ac si in ea habitaret. Regiae bibliothecae, multo etiam quam altera ditioris ac refertioris, scriptis codicibus praefectus erat Capperonnerius, qui in plerisque eorum excerpendis aut describendis utilem jam operam navaverat Hemsterhusio, Dorvillio, Albertio, ipsi Ruhnkenio, aliis item. Is oblatam gratiae loco pecuniam solebat, ut illiberalem mercedem, spernere ac recusare, operaeque suae pretium aestimare certo bonorum librorum numero, in primis exemplorum ex optimis recentissimisque Veterum Auctorum editionibus, veluti Livii Drakenborchiani, Virgilii Ovidiique et aliorum à Burmanno editorum,
65 Aristophanis et Suidae Kusteriani, Josephi Haverkampiani, Diodori Siculi Wesselingiani, et nullorum non Scriptorum Graecorum et Latinorum: visus putare hos libros doctis Batavis sponte et gratis venire, nec gra-

(25) Haec magnam ante paucos annos incendio calamitatem subiisse fertur.

gravi aere è bibliopoliis emenda esse. Erat vero illud
librorum sive pretium sive donum, ut accipienti ho-
nestius quam parata pecunia, ita danti molestius mul-
to et gravius. Neque tamen haec fuit Ruhnkenio
caussa quare Lutetiam ire operamque ipse facere vel-
let; nam erat ad sumtus hujusmodi, si quis alius,
paratus ac solutus: et illa Capperonnerii conditione,
ut antea, postea redux in Bataviam, usus est. Vo-
lebat externas regiones visere, bibliothecas lustrare,
et primum omnium Lutetiam excurrere; cum ut vete-
res illos libros suis ipse et oculis cerneret, et mani-
bus tractaret, tum ut illum populum, terram, ur-
bem, cognosceret. Quo quum venisset, non minus,
quam antea absens, tunc praesens benivolum officio-
sumque expertus est Capperonnerium; quippe qui
ipsum non modo in familiaritatem reciperet, exem-
plaribus regiae bibliothecae libere uti, et, quo libe-
rius commodiusque uteretur, auferre domum ea se-
cum pateretur: sed reliquarum etiam eum praefectis
bibliothecarum commendaret. Quod in primis utile
Ruhnkenio fuit in Benedictinorum bibliotheca, cujus
praefectus minus ad gratificandum facilis videbatur.
Nam Capperonnerius Benedictinis, qui regiae biblio- 66
thecae libris frequenter et opus haberent et uteren-
tur, disertis verbis significavit, se in ejus usu ipsis
commodando ita porro paratum fore, ut ipsos erga
Ruhnkenium paratos fuisse cognovisset. Jam nil at-
tinet narrare, quo impetu in has bibliothecas invola-
verit, ut longam quasi sitim restingueret et diu desi-
deratis libris heluaretur. Qui ipsi aliquando in simili
caussa fuerunt, et Ruhnkenii quae fuerit in appeten-
do vehementia norunt, haec vel tacentibus nobis in-
telligent: neutrius gnaris, quamvis multa narrantes,

surdis fabulam narremus. Alios totos, alios partim descripsit, alios excerpsit, alios cum editis comparavit, variasque lectiones enotavit; nec modo eos, quos antea destinaverat, sed complures adeo de quibus non cogitaverat. Nam cum codicem quemque suis ipse manibus evolveret excuteretque, saepe longe aliud in eo reperiebat, quam id quod titulus profiteretur; saepe hoc ipsum, sed alia praeterea nec exspectata. Haec enim fere est Catalogorum conditio, ut vel optimi eorum confecti sint ab hominibus non indoctis quidem, nec tamen satis doctis et intelligentibus eum in finem, ut in codice quoque pervolutando animadverterent utrum unius omnia in eo essent Scriptoris, an diversorum: si unius, quot ejus partes, si diversorum, qui illi et quae cujusque scripta continerentur. Veluti, ut hoc utar, titulus
67 profitetur Patrem aliquem Ecclesiasticum: sed insunt praeterea aliorum optimorumque Auctorum libri, Platonis, Xenophontis, similium, ita eadem manu describendo continuati, ut nullo notabili intervallo distinguantur. Ergo, titulo non credere, sed alia etiam quaerere, est hominis in codicibus scriptis tractandis versati: invenire autem ea, est majoris ingenii, et assidua Auctorum lectione ad eorum varietatem orationemque continuo sentiendam notandamque diu multumque exercitati. Hanc facultatem tenebat Ruhnkenius. Sed qui eam teneret bibliothecae praefectus, ecquis umquam fuit, excepto Isaaco Casaubono (26), Lu-

(26) Siquidem ad breve tempus fuit vel praefectus, vel custos, bibliothecae regiae. Vid. Ejus Epist. 256. ad Jos. Scaligerum.

Luca Holstenio (27), et ipso postea Lugdunobatavae praefecto Ruhnkenio? Sed horum, quod sciam, nemo ejus, cui praeerat, bibliothecae Catalogum edidit. Casaubonus ad breve tempus praefuit regiae Parisiensi: et aediculam, in qua is Literis operari solebat, subinde Ruhnkenio monstrarunt Parisienses quidam, qui pauci veterem venustatem retinerent, eoque ventitarent quasi salutatum manes herois de optimo hominum genere optime meriti.

Annum Lutetiae transegit Ruhnkenius: et incredibile est dictu, quot tam brevi spatio descripserit ineditos Grammaticos, Scholiastas, Rhetores, quot item contulerit editos Scriptores cum codicibus scri-
ptis, Homerum, Hesiodum, Callimachum, Apollo- 68
nium Rhodium, Orpheum, Platonem, Xenophontem, Athenaeum, Philostratum, Alciphronem, alios quos enumerare longum sit. Quorum omnium excerpta et apographa, ex multis illa aliis Europae bibliothecis aucta et locupletata, insigne sunt, et unicum inter privatos, Ruhnkenianorum librorum ornamentum et instrumentum. Neque vero sibi soli Lutetiae vixit, sed amicis Batavis multa in hoc studiorum genere officia praestitit, Hemsterhusio, Wesselingio, Valckenario, Albertio, Piersono. Atque tantum laborem exantlare non potuisset, nisi valuisset ea, quam supra diximus, ingenii animique facilitate, studii constantia et efficacia, quae praesertim Herculeo quodam cor-

(27) Vid. B. G. Struvii Introductio in Notitiam Rei Literariae p. 282. Mediceae quidem bibliothecae codices in catalogum redegit, quem ex Mstis Holstenii, medio fere hoc saeculo, edidit Lilienthalius: ut Colerus notavit ad Struvii librum p. 291. editionis J. Chr. Fischeri Lips. 1754.

corporis robore niteretur, quod item in toto ejus habitu et motu appareret; ut venusti homines, quod mihi viginti annis postea eadem de caussa in eadem urbe degenti Parisienses quidam veteres illius familiares narrarunt, subinde eum Herculem Musageten vocarent. Equidem quotiescumque de Ruhnkenii Parisiensi anno cogito, toties mihi Herculis species ante oculos obversatur labores illos exantlantis. Neque animum capiebat satietas taediumve laboris: neque laborem intermittebat, nisi corpore ita defatigatus, ut aut otio se aut somno reficere deberet. Otium referebat non ad aliorum lectionem librorum recentioris generis saeculique: nam oculos mentemque per illum
(9 annum solis antiquis consecraverat codicibus: sed ad liberalem oblectationem, cognitionem urbis, hominum, rerumque memorabilium. Memini eum subinde in illius temporis memoriam redire, ac libenter suaviterque de eo mecum confabulari, cum me ad eamdem operam peregrinationemque faciendam hortaretur. Nullus, ajebat, in toto terrarum orbe locus, item ut Lutetia, cum abundat omni omnium artium doctrinarumque materia et suppellectile, tum adfluit omni omnis generis voluptatum deliciarumque instrumento. Ne dicam de ingentibus aedificiorum operibus, basilicis, templis, gymnasiis, porticibus, theatris, ambulationibus, aliis, eorumque et magnificentia et multitudine: confluit in eam urbem quidquid et arte effici et ingenio excogitari potest, cum ad deliniendos oculos, tum ad oblectandas aures, tum ad reliquos sensus titillandos ac mulcendos. Igitur et doctrinae studiosus habet, quo descendat, placando genio honestum diverticulum: et voluptarius habet, quo se à Sirenibus ad Musas attollat, opportunum receptaculum:

lum: cerniturque illud in morum diversitate temperamentum, ut nec doctrinae studiosus rigida austeritate horreat, sed habeat aliquem suavitatis et comitatis nitorem: nec voluptarius redoleat vitae suae labem, sed gerat aliquem haud alienum à Musis decorem.
Omnes ad Musas aditus unicuique patent et aperti 70
sunt; si quidem publico et communi usui dicata sunt Musea, ubi cum libri omnis generis expromuntur, tum spectanda exponuntur artium liberalium opera manu facta, Picturae, Statuariae, Sculpturae, Numismaticae, aliarum: materies et opificia item Physicae, Anatomicae, Medicinae, Mechanicae, Astronomiae, Historiae Naturalis, et nullius non disciplinae. Quibus in locis fere conveniunt et periti et imperiti, fiunt circuli spectantium, de harum artium operibus et ratione colloquentium, narrantium, judicantium; ut imperiti ac rudes, adstantes et audientes, aliquid paulatim amoris et cognitionis colligant, unde ad interius etiam studium alliciantur, aut certe doctrinae specie colorentur. Sed non minus in promtu et obviae versantur voluptatum illecebrarumque variae formae, quibus ubique occurrentibus et blande accidentibus, qui non convertatur aliquando, is aut ferreus sit, aut perfectus è Stoica schola sapiens. Equidem à familiaribus per jocum Hercules Musagetes vocabar; qui voluptatem non fugisset, sed vicisset ac Musis parere coegisset. Tu, cujus Dei Deaeve tutelam et auctoritatem sequi velis, ipse judicabis: certe, Lutetiam tibi eundum censeo, cum Plutarchi tui Literarumque caussa, tum ad animi cognitionisque liberalem fructum percipiendum. Haec ille.

Erant eodem tempore Lutetiae duo doctissimi Bri- 71
tanni, quibuscum Ruhnkenius amicitiam junxit, et post-

postea absens constanter coluit: alter, Samuel Musgravius, qui Medicae arti discendae operam dabat: alter, Thomas Tyrwhittus, bene dives, genio et literato obsequebatur otio, et, ut erat ingeniosissimus elegantiarum judex et aestimator, Musarum Sirenumque cultum ita jungebat, ut, utrisque gratus, utrarumque muneribus frueretur.

Ruhnkenii doctrina quum Lutetiae non esset obscura, miretur quis eum non in sodalitium Academiae Inscriptionum fuisse adscitum. Atqui idem quis miretur de Hemsterhusio, Wesselingio, Valckenario, aliisque exteris in hoc genere excellentibus viris. Tales exteros ignorant fere plerique sodales illi: nisi si qui in his Literis veram grammaticam criticamque rationem sequuntur, cujusmodi adhuc sunt in primis Villoisonus, Larcherus, Sanctocrucius. Neque vero Ruhnkenius hujus honorem sodalitii quaerebat, qui, Hemsterhusii doctissimorumque Batavorum exemplo, omnem ostentationem et gloriolam odisset. Nam postea demum ista opinio ac vanitas nostrorum hominum animos infecit, ut eo se beatiores arbitrentur, quo plurium sodalitiorum titulos suis nominibus subscribant.

Ruhnkenius eo consilio Lutetiam profectus erat,
72 ut perlustratis ejus urbis bibliothecis earumque codicibus scriptis excussis excerptisque, porro Hispaniam peteret, eamdemque operam in bibliothecis Scorialensibus ac Matritensibus navaret. Quarum quo faciliorem aditum haberet, jam cum Batavorum apud Hispanos legato per amicos egerat, ut ejus in comitatu et familia locum honorarium obtineret. Nunc anno Lutetiae transacto, videt complurium etiam annorum opus ibidem superesse: et jam tantum congesserat

apo-

apographorum excerptorumque acervum, ut eum digerere tandem et ad usum conferre cuperet. Interea Hemsterhusius quoque eum per literas monebat, tempus venisse adipiscendae cathedrae, nollet diutius Lugduno abesse, ne apud amicos fautoresque suos in oblivionem veniret: meminisset quid Cicero (28) sibi ipse subjecisset, absentiae ab urbe suae detrimenta commemorans: faceret ut in oculis suorum civium habitaret, ut eum praesentem potius quotidie viderent, quam de absente audirent: eos aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere. Ergo Bataviam ita repetiit, ut per proximas ferias, vel aliam vacationis opportunitatem, brevi Lutetiam rediturus, et reliquam operis partem confecturus.

Ignorabat adhuc Ruhnkenius quid illud esset quod Hemsterhusius vellet: hoc redux jam ex eo discit.
Is jam magno natu, tardior ad scholas habendas, cu- 73
piebat sibi vel suffici vel adjungi Ruhnkenium nomine Lectoris: eaque de re jam egerat cum Bentinkiis aliisque principibus viris: sed volebat ipsum adesse Ruhnkenium, ut sua ipse praesentia et amicorum opera aliquid momenti ad efficiendum propositum adferret. Ruhnkenius minus, quam quis putet, cupide conditionem accipit. Primum noverat Hemsterhusio successorem et omnium opinione destinari, et suis meritis deberi, Valckenarium, si quidem vellet succedere, eumque ad eam voluntatem ac spem jam olim adductum fuisse quibusdam Hemsterhusii sermonibus. Deinde quod hic ipsi suadebat, ut interea saltem Lectoris Graeci munere fungeretur dum Oudendorpius viveret, eique aliquando in cathedra Historiarum et

Elo-

(28) Oratione pro Plancio, 27.

Eloquentiae succederet; gratum acceptumque ei erat de successione in Oudendorpii cathedra, non item ut interea Graecas haberet scholas ad brevis temporis usum et mox relinquendas. Accepit tamen conditionem, cum pietate erga Hemsterhusium, tum certa persuasione praecipiens quantum ad honores consequendos valeret illud *in oculis civium habitare*, et in minorum statione honorum majores exspectare.

Provinciam Lectoris Graecarum Literarum, mense Octobre anno hujus saeculi quinquagesimo et septimo, auspicatus est solemni oratione *de Graecia ar-*
74 *tium et doctrinarum inventrice*; materia pervulgata, sed ad popularem auditionem accommodata, eademque gravi nec umquam satis celebranda: ceterum à Ruhnkenio ex iis locis ducta, iis et argumentis confirmata et luminibus distincta, ut plane nova nec à quoquam ante eum tractata videretur. Et erat hoc eloquentiae proprium, de veteribus nove, de tritis exquisite, dicere. Et vere videor affirmare posse, hanc primam post longum tempus è cathedra auditorii Lugdunobatavi vere orationem, id est, quae et Latinitatis et eloquentiae officio satisfaceret, tunc habitam esse, et, haud dubio omnium hac laude dignarum, ante habitarum principem exstitisse. Quod quale sit, infra videbimus.

Scholas habuit bifariam, interpretandis Scriptoribus vel sacris, Lucae Evangelio et Actis, vel classicis, Homero, Xenophonte, aliis. Utrasque ita habebat, ut Scriptorem ipse legeret et interpretaretur, tum ad locos difficiliores dictaret animadversiones de scripto: ita factitabant Hemsterhusius et Oudendorpius, factitaverant Burmannus, Perizonius, Gronovii, et caeteri in illa Academia clari quondam

vi-

viri. Quae ratio quum Ruhnkenio item placuerit, cumque omnino multum referat quam quis doctor institutionis viam sequatur, eaque multum in utramque partem ad literatam ejus vitam existimationemque valeat, et valuerit apud Ruhnkenium; haud alienum à 75
re praesente esse videtur, in toto hoc dictandi negotio quid ipse spectaverit, paucis monere.

Si ratione et modo, tempore et loco, fit, si à magistro ad ipsius et discipulorum progressus accommodatur, perutile hoc est utrisque negotium. Discipulis, ineunte aetate, qua sunt fere plerique quum ad Academicas Literarum scholas accedunt, nondum exercitati ad comprehendendam mente memoriaque continuam magistri disputationem: his igitur schola non perit, scripto servatur, habent quod domi relegant. Magister commentanda diligenter conscribendaque schola, plus proficit cum ad accuratam rerum cognitionem, tum ad bene scribendi facultatem. Quam facultatem et egregie tenebat, et porro augere tuerique volebat Ruhnkenius: qui, ut acerrimo erat cum omnis pulcri venustique, tum Latinae orationis sensu studioque, ita nolebat se continuo extemporali consuetudini committere, ne quid vitiosi traheret. Meminerat illud Thucydidis (29), *peritia timorem, imperitia audaciam facit:* meminerat homines Latine doctissimos ex tempore disserentes haesitare subinde ac subsistere, quod nomen verbumve sibi probatum non succurreret: meminerat etiam imperitos audacter se in extemporale flumen conjicientes, lutulentos quidem barbariei et inficetiarum sordibus fluere, sed flue-

(29) II, 43. ita reddidimus illud, *ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.*

fluere tamen magno et suo cum strepitu et audientium
76 plausu. Ipse, qui à natura ita factus esset, ut suum
et peritorum, non vulgi, judicium sequeretur, et
nil magis fugeret quam speciem hominis populo se
venditantis, judicabat tutius esse ab initio quidem se
adstringere scripto quam solutum vagari: memor Ci-
ceroniani moniti (30), scribendi consuetudine, com-
parandam esse extemporalem dicendi facultatem, ne-
que quemquam, nisi diu multumque scriptitarit,
etiam si se vehementer in subitis dictionibus exercue-
rit, admirabilem existere oratorem: contra perverse
dicere, perverse dicendo homines facillime consequi.
Est vero etiam ubi detrimentum adfert dictandi con-
suetudo; nisi magister dictata quotannis recenseat,
corrigat, suppleat, ad captum ingeniaque discipulo-
rum accommodet: tum vero frequenter aliquid ex
tempore adjiciat, argumentationis, exempli, ampli-
ficationis, vel ad explicandum, vel ad illustrandum,
sive ad rationis nexum demonstrandum, sive ad usum
vitae aliarumve disciplinarum; quo magis certiusque
intelligatur quam quovis loco sententiam habeant di-
ctata, quem fructum, quam late pateant. Ita sole-
bant Hemsterhusius et Valckenarius, eamdemque viam
ingrediebatur Ruhnkenius. Nisi enim ita fit; disci-
pulus paulatim in eam opinionem inductus, ut putet
omnem scholae fructum unice in dictatis positum es-
se, mox officium in scholam ventitandi negligit, di-
77 ctata à condiscipulo commodata domi describit, ser-
vat ea ut κτῆμα, non ut χρῆμα, mancipii loco, non
ad usum, omnem denique discendi fructum perdit:
magister sensim adeo ab extemporali facultate abdu-
ci-

(30) De Oratore, I, 33.

citur, ut ne verbum quidem nisi de scripto proferre audeat: scholae semel dictatae, per manus traduntur, describendo frequentantur, ac, veluti pervulgata mysteria, omnem in posterum novitatis gratiam, omnem commendationem auctoritatemque amittunt, vacuae relinquuntur.

Attamen apud nos in Batavia discipuli, cum Literarum, tum aliarum plerarumque doctrinarum studiosi, fere aliquid sibi dictari volunt: sunt adeo qui dictatorum longitudine, latitudine, crassitudine, spissitudine, et locorum citatorum multitudine, magistri doctrinam metiantur. Cognovi aliquando Professorem in Graecis Literis novum ac rudem, qui scholas haberet interpretationi Xenophonteorum Memorabilium Socratis destinatas: utebatur, item ut discipuli, exemplo editionis Ernestinae: ex hujus notis novas compilabat notulas, locos citatos transscribebat, quorum nec sensum perspiceret, nec auctores nosset: has dapes apponebat discipulis, qui eas ita hiantes captabant ac devorabant, ut sibi valde beati viderentur, nec tamen vel Xenophontis librum vel magistri notulas intelligerent; quippe quorum neutrum ipse intelligebat magister. Horum discipulorum postea nonnulli 78
in cujusdam scholas doctioris Professoris ventitarunt, in quibus forte idem Xenophonteum opus tractaretur, ea quidem ratione, ut discipuli ipsi singulos locos interpretarentur, et à magistro adjuti correctique, ad intelligentiam auctoris, rerum, proprietatis Graecae exercerentur: pauca dictarentur, sed accommodata ad illam intelligentiam, et ad praesentium discipulorum captum, usum, necessitatem: pauciora etiam citarentur. Illi veterani nec verba Xenophontis nec constructionem norant: et tamen, ut veterani, qui

plus saperent et jam sub alio imperatore meruissent, ut ignorantiae suspicionem apud condiscipulos novos à se amolirentur, dictitabant se talibus scholis non esse adsuetos, melioribus usos apud priorem Professorem. Erat è reliquis discipulis qui illis reponeret, *Atqui noster Professor vos Xenophontem intelligere docet, prior ille vester non docuit.* Tum illi, *Hoc quidem non negamus, sed prior doctius dictabat.* Quid facias istiusmodi hominibus, qui auctorem negligunt, dictatis adhaerescunt, iisque temere compilatis, et id quod in editi exempli notis bene dictum jam exstat, idem deterius à magistro redditum dictari sibi volunt? Scilicet, tuum ipse judicium sequaris, et omnem institutionis operam industriamque ad discentium pro-
79 gressus referas. Hoc Ruhnkenius faciebat. Nos haec nunc ideo uberius diximus, quo rectius ea, quae infra eodem de loco dicemus, intelligantur.

Sed cum duo sint publici doctoris officia, alterum necessarium, institutio studiosae juventutis, alterum honorarium, scriptio librorum in quibus doctrinam ipse suam ad communem omnium usum prodat, et provectiores adeo ac seniores doceat: illius laus intra parietes alebatur Ruhnkenio, hujus lumen ac splendor simul et scriptoris doctrinam et famam Academiae Lugdunobatavae per totum terrarum orbem et commendabat et illustrabat. Ernestus quantopere amaret Ruhnkenium ejusque miraretur ingenium, multis librorum suorum locis testatum reliquit. Neque minus Ernestum amabat Ruhnkenius, ejusque doctrinam magni faciebat, et cupiebat eum, ut in aliis Literarum partibus, ita in critico illo acute emendandi docteque illustrandi munere, et esse magnum et haberi. Itaque persuasit ei, ut Callimachum, jam antea ab eo

Lip-

Lipsiae in tironum usus editum, retractaret, uberioribus animadversionibus locupletaret, easque cum Graeviana editione conjungeret, quam Lugdunibatavorum repetere instituebant Luchtmansii bibliopolae; offerens ei codicum scriptorum collationes, suas item auctiores, tum vero Hemsterhusii, Valckenariique, annotationes. Ernestus suscipit hanc editionis provinciam: nec multo post mittit ad Ruhnkenium notu- 80
las suas, tenues illas valde et exiles, sed satis, ut ipse quidem putabat, ad novae editionis ac recensionis nomen parandum ac tuendum. Ruhnkenio ista notularum levitas inexspectata accidebat; dat eas Hemsterhusio legendas: huic item videtur: ergo de communi sententia eas Ernesto remittunt, suadentes ut, quoad posset maxime, eas doctrinae copiis augeret, significantes simul copiarum petendarum fontes, porro monentes ut à Valckenario etiam opem peteret, quem in primis ad ornanda fragmenta egregium emendationis et interpretationis apparatum habere. Facit Ernestus. Redeunt notulae paulo locupletiores, probabiles judicio ac diligentia, sed ingenio et doctrinae ubertate, nil ad horum rationem triumvirorum: nec à Valckenario quid adjumenti; non quod hic nollet dare, sed quod Ernestus nollet rogare, intelligens suas copiolas in tantis auxiliis obrutum iri. Haec qui noverit, jam intelliget quo pertineat hujus de Veterum fragmentis judicium in praefatione Callimachea proditum, in qua quum frequens sit de Ruhnkenio mentio, paucos inde ex multis locos referre operae pretium est, ut appareat quam honorifice Ernestus de Ruhnkenii cum opera in Callimachum, tum tota doctrina, senserit. „In hac denique parte" inquit „plurimum etiam debeo benevolentiae singulari et hu-

81 manitati Davidis Ruhnkenii, V. C. qui Graecas lite-
ras in illustri Leidensi Academia magna cum laude
docet, mihique saepe post in hac praefatione laudan-
dus erit: — atque haec prima veluti pensio gratiae
est, quam ipsi libentissime exsolvo. — Addidi etiam
fragmentorum auctarium, in quo non nulla à me ob-
servata et notata sunt, pleraque Ruhnkenio deben-
tur, qui ex ineditis Grammaticis in gratiam meam ex-
cerpta misit. — Non sine laude praetereunda sunt
Ruhnkenii nostri, de quo saepe dixi, merita in Span-
hemianum commentarium: quem ille multis locis vi-
tiosum antea, ut sensus perturbaretur, diligentissime
correxit. In fragmentis Callimachiis erunt forte qui
copiosiores notas datas velint: quibus me non con-
temtu excusare cupio; quod possim forte, favente
majore doctorum hominum parte, facere. Valde enim
vereor ne plerique sint in ea qua Kusterus fuit sen-
tentia, qui, ad Suid. II. p. 327, non postulandum
putabat, ut corruptas et laceras veterum Scriptorum
reliquias emendaremus et explicaremus, putentque in
iis bonas horas non valde bene consumi, cum nec
sententiae saepe admodum probabiles insint, nec ver-
ba aliam, quam interdum raritatis, commendationem
habeant. Atque ipse non dubito fateri, me semper
maluisse libris veterum Scriptorum integris legendis
ingenium ad copiam rerum et verborum alere, et ad
82 elegantiam cogitandi ac dicendi acuere ac polire, quam
in veterum et rariorum verborum, ut Augustus voca-
bat, foetoribus eruendis et tractandis, cum Gramma-
ticis veteribus, ingenium et tempus meum, quod sic
satis exercitum habeo, vexare". Eloquenter sane,
partim prudenter, partim callide nec satis vere: igno-
scamus viro ceteroquin magno, qui facultatem, quam
si-

sibi deësse sentiret, argutando elevare maluit: et
Ruhnkenii eo magis miremur ingenium, qui et parva
illa, quae Ernestus vocabat, sed sine quibus maxima
nemo consequi potest, intime perspecta pertractata-
que habuit, et tamen legendis integris veterum Scri-
ptorum libris ingenium ad copiam rerum et verborum
aluit, et ad cogitandi dicendique elegantiam acuit ac
polivit. Sed referamus ultimam ex Ernesti praefatio-
ne partem, veriorem illam denuo et aequiorem. „Quo
magis gratum," inquit „et nobis fuit, et lectori-
bus fore confido, quod Cel. Hemsterhusius, qui
omnes Graecae literaturae recessus tenet, et dignus
tanto magistro discipulus, Ruhnkenius, his fragmen-
tis aliquid lucis et ornatus ab doctrina sua accedere
voluerunt. Atque utinam mihi otii tantum fuisset,
ut magis uti in hac parte potuissem consilio Cel.
Valckenarii, cujus ille mihi copiam aliquando huma-
nissimis literis fecit; profecto, ut intelligi potest ex
iis quae de sententia ejus in notulis meis subinde 83
dixi, multum lucis accessisset his fragmentis ab ejus
recondita et accurata in his literis doctrina. Haec
habui quae in principio operis novi dicerem. In quo
navatam Callimacho et Graecis literis operam ita pro-
bari eruditis et prodesse cupio, ut meminerint Ruhn-
kenii mei, eique non modo gratias mecum agant,
quod tam studiose et enixe institutum meum consilio
et re juvit, etiam speciminibus typographicis meam
in gratiam inspiciendis, ut quam emendatissime ex-
primerentur omnia: sed etiam faveant Viri excellenti
ingenio parique doctrinae, faciantque vota ut ei vita
longissima cum rebus secundissimis contingat: quod
ego non modo ipsius, sed etiam communium litera-

rum caussa, serio opto. Scr. Lipsiae Idibus Jan. a. 1761.".

Caeterum, quae caussa moverat Ernestum ne Callimacho Valckenariana subsidia adhiberet, eadem apud Gesnerum valuit quominus Ruhnkenianis Orpheum ornaret. Is sub idem tempus, jam senio gravis editionem parabat Orphicorum Carminum; quam ipso mortuo demum absolvit, certe in publicum emisit, Hambergerus, anno h. s. sexagesimo quarto. Ruhnkenius, qui in Orpheo emendando multum operae posuisset, ejusque specimen in Epistola Critica ad Ernestum prodidisset, emendationes postea sibi na-
84 tas obtulit Gesnero; at ille iis noluit uti, metuens ne sua quaedam inventa occupasset, certe eorum commendationi officeret Ruhnkenii lumen: cujus adeo et Fragmentorum ineditorum collectionem et scriptorum codicum collationes omissurus fuisse videtur, nisi Ernesti vicisset auctoritas. Atque eo pertinet locus hic in praefatione Hambergeri: „ Nec studuit Gesnerus valde multa habere, ne res longa fieret; et hanc ob caussam ne oblatis quidem per Ruhnkenium V. Cl. cujus ingenium et doctrinam quanti ipse fecerit, non unus locus in his Orphicis declarat, uti voluit, potius suo solius remigio rem gerere; forte etiam quod metuebat, ne sibi simile iterum accideret quod in Scriptoribus Rei Rusticae factum est. Ruhnkenio tamen V. Cl. debentur Fragmenta inedita et collatio Carminum Orphicorum cum codicibus regiis Parisiensibus tribus, quae in manibus viri incomparabilis Ernesti erant, cujus suasu et consilio editioni Gesnerianae adjecta sunt." Ruhnkenius quidem suis animadversionibus postea alteram Epistolarum Criticarum editionem auxit. Quod attinet ad Scriptores

Rei

Rei Rusticae: constat ad horum editionem locupletandam Gesnero doctissimum Italum, Julium Ponte-deram, suas animadversiones dedisse, deinde objecisse eidem vel negligentiam in iis edendis vel perfidiam. De qua lite ut non est quod plura dicamus, ita facere non possumus quin simile negotium cum illa
Ruhnkenii aetate rebusque conjunctum memoremus. 85

Novam Herodoti editionem instituebat Wesselingius, à cujus doctrina cum nil nisi egregium exspectaretur, tum ad eam in hoc opere veluti cumulus accedebat Valckenarii doctrina. Iam fieri non poterat quin hi viri, in pari fere eruditionis facultate, in easdem saepe sententias, conjecturas, citatorum ex aliis Scriptoribus locorum mentiones, inciderent. A neutro postulandum erat, ut sua inventa, quamvis communia, tamen ipse supprimeret, socioque soli tamquam propria concederet: iniquum erat, ut alter acciperet auxilium, iniquius etiam ut alter praestaret, cum sua ipse laudis jactura. Edito libro, erant qui, nescio quid, de Wesselingio suspicarentur, ac si is Valckenariana quaedam sibi assumsisset: quibus suspicionibus, ut infra utriusque ingenii animique magnitudinem positis, neuter movebatur. Valckenarius quidem moleste ferebat, varias codicum scriptorum lectiones à Wesselingio non secum fuisse communicatas, quas si, ante conscriptas suas animadversiones, habuisset, earum comparatione multo plures locos emendasset. Et vero tanta erat in Herodoto criticae facultatis exercendae materia et ubertas, tantus ad excurrendum campus, unde uterque suam sibi ac propriam laudem reportaret: praesertim, quum
in pari universe eruditionis copia esset tamen quae- 86
dam voluntatis, studii, ingeniorumque dissimilitudo;

ut quum omnes uterque teneret Literas, diversa earum prae caeteris genera sequeretur. Wesselingius magis res, omnem Historiam, Chronologiam, Geographiam, Antiquitates, consectabatur: Valckenarius magis verba et Grammaticam rationem complectebatur, valebat interiore Graecae linguae scientia, venustatis sensu, emendandi acumine, et ex omni veterum Scriptorum Grammaticorumque quamvis horrida farragine, tamquam gemmas, optima quaeque praecepta et fragmenta indagandi expiscandique sagacitate: posses hunc Grammaticorum Criticorumque ἱστορικώτατον nominare, illum Historicorum κριτικώτατον καὶ γραμματικώτατον: qui nisi conjunctam ingeniorum operam in Herodotum contulissent, careremus illa editione, quae adhuc una ex omnibus omnium Graecorum auctorum editionibus excellentissima et vere palmaria exstat: cujus operae et conjungendae ipsis suasores fuerunt Hemsterhusius et Ruhnkenius communes amici, iidemque, si quae forte inde nata esset disjunctio, veteris gratiae reconciliatores. Sed Ruhnkenii quoque studium utile fuit Wesselingio ad ornandum Herodotum, comparandis Parisiensium codicum
87 scriptorum lectionibus: quod et in praefatione ipse fatetur, et ex ejus ad hunc epistolis, nuperrime mihi in manus incidentibus, cognovi.

Sub idem fere tempus, quo Ruhnkenius Lector docendis Graecis Literis factus est, accidit ut Lugduni cathedra Juris Publici vacaret, eique ornandae cum scientiae facultate excellens, tum famae celebritate clarus, doctor quaereretur. Continuo Ruhnkenium subit Ritteri sui cogitatio: eam cum Hemsterhusio communicat: qui, ut nomen Ritteri audit, ita hunc unice expetit ac probat, ut in Literis et Antiquitate ver-

versatissimum, et omnis Historiae, sine qua haec Ju-
risprudentiae pars constare non posset, peritissimum:
persuadet consilium Curatoribus: hi Ruhnkenio ne-
gotium dant, ut ipsorum nomine Ritterum invitet ei-
que cathedram offerat. Ruhnkenius mandatum luben-
ter peragit: Curatorum invitationi addit suam ipse ad-
hortationem. Ritterus conditionem accipit: Ruhn-
kenio peramanter respondens, ad eam accipiendam
plurimum apud se valuisse quod ad Academiae cathe-
draeque Lugdunobatavae celebritatem accederet pecu-
liaris illa suavitas instaurandae veteris cum ipso con-
suetudinis: rogans simul, ut domum famulitiumque
conduceret, ac suppellectilem prospiceret. Ruhnke-
nius hoc nuntio laetus, confestim omnia et procurat
et efficit. Interea mensis unus, et item alter, et plu-
res, nec Ritterus venit: frustra ab omnibus exspecta- 88
tur, nec Ruhnkenio subinde scribenti ac morae caus-
sas quaerenti respondet: tandem veniunt ejus literae
conditionem renunciantis; scilicet uxorem suam nul-
lo modo adduci potuisse ut secum in Bataviam veni-
ret, illam antea consilium accipiundae novae stationis
probasse, postea prorsus ab eo abalienatam esse: se
quidem facere non posse, quin uxoris voluntati hoc
det, eique obsequatur. Qui fuerit Ruhnkenii dolor,
qui aliorum sensus et indignatio, ab illa potiundi Rit-
teri spe dejectorum, referre non est opus. Ad uxo-
ris animum à Batava conditione avertendum quae caus-
sae valuissent, alii alias suspicabantur: in quibus
haec in primis fidem invenit. Ut solent homines pere-
gre profecturi quaerere ex aliis de regione quam pe-
tunt, multaque in utramque partem audire, ita mu-
lieri narratur tam esse diversam à Saxonia Bataviam
coeli et aëris temperie, hominum vita et moribus,

omnium rerum ratione, ut ipsi inter Batavos Batavasque vita parum vitalis futura esset: addunt exemplum de uxore Heineccii, qui Franequeram profectus delatam ipsi Jurisprudentiae cathedram non nisi breve tempus tenuerat, quum ejus taedio ex adversa ipsius valitudine et morte uxoris concepto, Germaniam repeteret: nam uxor, ut ipse, Franequerae in incommodam valitudinem, sed et ex illius vitae et morum
89 insolentia in animi aegrimoniam incidit, ut paulatim viribus deficeret, denique ex partu obiret. Ita Lugdunobatava Academia frustrata est luce Ritteri, hujus erga uxorem indulgentia, non malam quidem illam, sed in eo reprehendendam, quod mallet imperitorum hominum narratiunculis, quam marito, credere, vere ei ex Ruhnkenii literis affirmanti Lugdunum in primis esse urbem copia instrumentoque vitae suaviter commodeque degendae abundantem, cum aliis omnibus in rebus, tum civium utriusque sexus comitate et urbanitate, vix ut ulli frequentissimarum urbium hac laude cederet.

Ruhnkenius per quatuor annos obtinuerat provinciam Lectoris magna cum industriae doctrinaeque laude, quum Oudendorpius moritur: cui mox veluti de jure et pacto, adjuvante in primis Hemsterhusio, succedit in ordinaria Historiarum et Eloquentiae professione: eamque mense Septembre anni h. s. sexagesimi et primi auspicatur dicta oratione *de Doctore umbratico*. In simili fere argumento erat Menkenii Lipsiensis libellus *de Charlataneria Eruditorum*, et Huberi Franequerani Antecessoris *de Pedantismo*. Quibus nominibus minime Latinis quid significetur, non est cur explicemus; quandoquidem quotidie non solum nomina audimus, sed res ipsas videmus.

Ruhn-

Ruhnkenii aliud erat institutum. Nam ut complures 90
in moribus Eruditorum sive sunt, sive esse dicun-
tur, ineptiae; ita ipse eorum probabat genus, in eo-
que et nomen profitebatur suum et ut censeretur stu-
debat, qui in neutram partem conspicerentur, qui et
in Literis et vitae consuetudine minimum haberent
ineptiarum, elegantiae ac decori nec ignorantia aut
negligentia, nec putida affectatione notarentur. Lite-
rarum doctorem volebat eum, qui earum et cognitio-
nem ratione teneret, et pulcritudinem sensu percipe-
ret, utramque in lucem promeret, in venustiorum
hominum principumque civitatis virorum consuetudi-
nem produceret, ad morum elegantiam referret, ad
omnem vitae usum conditionemque accommodaret, et
Socratica ratione popularem redderet. Hoc qui non
ageret, sine sensu judicioque pulcri Literas tractaret,
ipse pinguis crassusque in scholae umbra se miranti-
bus jactaret discipulis, eorumque plausu inflatus bea-
tum se et solum sapere putaret, hunc doctorem um-
braticum intelligebat. Et argumentum Orationis con-
gruebat Literarum professioni; et tractatio plane sa-
tisfaciebat Eloquentiae muneri, cum germana Latini-
tatis ratione, tum apta descriptione, tum perspicui-
tate, suavitate, gravitate: et vero adeo erat festiva
et quasi Attico sale perspersa, tam frequens facetia-
rum leporibus, ut et attente audiretur, et cupide le-
geretur, omniumque manibus frequentaretur. Sed 91
eadem multorum in offensionem odiumque incurrit,
multumque Ruhnkenio invidiae peperit. Erant qui
doctoris umbratici imaginem ex ipsorum exemplo du-
ctam, se depingi, significari, et quasi digito demon-
strari putarent: erant nonnulli Scholarum Rectores
qui hoc et ipsi putarent, et aliis hominibus scholasti-
cis

cis persuaderent, suum vitae genus ac munus in illa
oratione rideri ac veluti in scena traduci à Ruhnke-
nio, sibi placente quod numquam in ipsorum ordine
et obscuritate, semper in elegantiorum hominum prin-
cipumque virorum consuetudine et celebritate, vixis-
set. Atqui Ruhnkenius doctorem umbraticum intel-
ligebat universe eum, qui illis, de quibus diximus,
ineptiis laboraret, nec Scholae potius Magistrum,
quam Academiae Professorem, spectaverat: schola-
sticum ordinem magni faciebat, à nemine, nisi qui
ipsas Literas contemneret, contemni posse judicabat,
et quo magis laboriosum, eo majoribus praemiis lau-
dibusque dignum censebat. Quod judicium quum
haud obscure prae se ferret, factum est ut multorum
sibi voluntatem reconciliaret. Attamen haud pauco-
rum in animis remanebant offensionis reliquiae, qui
disciplinae suae alumnos Lugdunobatavam Academiam
petentes ea opinione imbuebant, ut putarent se Ruhn-
kenii scholis iis, in quibus Scriptores Latini tracta-
92 rentur, facile carere posse. Atque hanc ego praeci-
puam fuisse dixerim caussam, cur hae scholae non,
pro earum praestantia et utilitate, frequentes fuerint.
Accedebat, quod eamdem sibi cathedram et deberi
existimabant, et delatum iri speraverant Petrus Bur-
mannus Secundus Amstelodamensis, et Johannes
Schraderus Franequeranus, Professores, versatissimi
sane in Latinis Literis homines, hic accurata, ille va-
ria, doctrina clarus, qui ad has laudes etiam heredi-
tariam Burmanniani nominis laudem adjungeret. Uter-
que eam sibi cathedram deferri optaverat, cum pro-
pter Academiae celebritatem, tum opportunitatem ur-
bis, cujus in vicinia suum uterque habebat suburba-
num, ubi ferias transigere solebat. Igitur fieri vix

po-

poterat, ut bona horum virorum cum gratia iis Ruhn-
kenius praeponeretur. Sed cum Burmanno eum ani-
morum liberalitas et similitudo facilius reconciliavit:
apud Schraderum sedit alta mente repostum hoc,
veluti Paridis (31), judicium, spretaeque injuria
doctrinae. Horum amici non verebantur dictitare,
Ruhnkenium magis Graecae quam Latinae cathedrae
aptum esse, nec provinciam civibus debitam de-
buisse peregrinum occupare. Quae voculae ab in-
signiorine stupore an malevolentia profectae fuerint,
difficile est statuere. Ac primum quidem, ignora-
re videbantur isti, et antiquitus Latinam linguam è
Graeca esse natam, et Romanos postea se totos ad
Graecorum exemplum conformasse, ex horum fon- 93
tibus Literas omnes, artes, doctrinas, hausisse,
eas in linguam suam et solum quasi suum transtu-
lisse; ut prorsus sit, quod proverbio dicitur, iter
caeci, ejus qui in Latinis Literis sine Graecarum
scientia Literarum progredi velit, quarum lumine
quivis unus et gradus et passus illustrandus sit: qua-
rum quo majore valebat scientia Ruhnkenius, eo ipse
melior, quam alii minus ab ea parati, censendus erat
Latinarum doctor Literarum: earumque ita peritus è
Bergeri Ritterique disciplina prodierat adolescens, ut
quamvis professionem jam illo tempore ornare pos-
set. Peregrinitatis crimen reprehenso laudem, repre-
hensori dedecus habebat: erat enim invidiae à virtute
superatae clamor, et in istam nativitatis gloriolam,
ut in unicum praesidium confugientis: erat mentis ad
praejudicatas vulgi opiniones abjectae necdum ab ea-
rum

(31) Virgil. Aen. I, 26: *Manet alta mente repostum Judicium Paridis, spretaeque injuria formae.*

96 sticas consectatur, ac saepe aniliter ineptit, superstitione judicium praepediente, ut in illius aetatis Theologo, et pontificio et Jesuita. Hujus rationis errores corrigens Ruhnkenius id agebat, ut Historiam, quod nomine profitetur, re ipsa Universalem redderet, ex istis angustiis educeret, ineptiis purgaret, principum imperio doctrinaque populorum rebus locupletaret, caussas conversionum, Literarum progressus, hominum mores notaret: subinde testium fidem censeret, veri disceptatricem Criticam adhiberet, singula apte necteret, et à principio ad saeculum decimum quintum deduceret; ita quidem, ut nec rationis diligentia, nec rerum delectu, nec orationis elegantia, quidquam ad Historiae institutionem desiderari posset. Et profecto nil nisi egregium prodire poterat ab ejus viri studio et scriptione, qui omnis Historiae genera monumentaque pertractata, stilum ad egregiam orationis facultatem exercitatum, ingenium sensumque optimorum quorumque veterum Historicorum quotidiana lectione et consuetudine tritum ac formatum, haberet. Hanc scriptionem veluti dictans praelegebat in schola, ita ut frequenter aliquid ad rem praesentem accommodatum subito ac memoriter adderet. Atque harum utilitati ac suavitati scholarum indicio etiam fuit earum frequentia, non quidem illa maxima, sed major tamen quam ab illius saeculi per-

97 versitate exspectari poterat. Recens tunc inter homines nostros invaluerat error, Historiam libris legendis rectius disci, quam audiundis Professorum scholis. Hemsterhusius (33) solitus erat Historiam rei publicae Batavae enarrare tanta audientium multitudine et

(33) Vid. Ruhnkenius in Elogio illius p. 77.

et approbatione, ut illa non solum Historiae, sed et
prudentiae civilis, institutio haberetur: at, Wagena-
rii de Historia Patriae opere edito, paulatim deficien-
tibus discipulorum ad audiendum id quod, ut quidem
putabant, jam editum legere possent, studiis, illae
Hemsterhusii scholae vacuae relinquebantur. Error
latius serpebat ad Historiae Universalis institutionem,
aliasque ad Academias. Unus Wesselingius, qui
obiit Ruhnkenio recens Professore, anno h. s. sexa-
gesimo et quarto, Trajecti se ad vitae finem usque
in vetere laudis possessione tutatus est: tradebat Hi-
storiam Universalem cum auditorum incredibili stu-
dio, admiratione, frequentia: memoriter omnia nar-
rabat, subinde per auditorium ambulans, nil in ma-
nibus habens nisi parvam scidulam in qua nomina
quaedam propria hominum ac tempora notata essent,
habebat procero cum corpore magnam in habitu, ge-
stu, vultu, voce, gravitatem: haec admirationem fa-
ciebant, multoque plus, quam singularis ejus doctri-
na, apud multitudinem vulgumque juventutis ad ex-
citanda retinendaque ejus studia valebant. Igitur
Ruhnkenius bene secum agi arbitrabatur in illo, qui 98
erat, auditorum numero, qui decrescentes aliorum
scholas Professorum videret, et antea saepe inter-
fuisset sermonibus hominum in eodem errore versan-
tium. Quo in genere quid ei aliquando acciderit,
non est à nostro consilio alienum, referre.

Nondum in publico docendi munere constitutus,
degebat adhuc in familia cujusdam principum civita-
tis virorum, quum adesset aliquando in coena aliquis
vir dives et honoratus, sed animo et voluntate,
quam ingenio et eruditione, melior: is forte narra-
bat, se domi filium habere puerum mox in Academiam

venturum, et quibus is uti deberet scholis Ruhnkenium interrogabat. Hic et alias disciplinas, et Historiam, censebat. Tum pater, „ Atqui, inquit, Historiâ non opus est meo filio, hanc jam satis novit; nam ego, qui duas etiam filias habeo, praefeci eis domesticam magistram, gubernatricem, ut vocant, et ejusdem institutioni filium item subjeci: haec Historiam quovis Professore melius novit." Ruhnkenius illa aetate in confutandis aliorum, praesertim talium hominum, erroribus solebat Socratica ironia uti: progressu aetatis ad naturae ipse suae candorem rediens, simpliciter reprehendebat. Igitur „ Nac tu beatus es, inquit, qui tantum domi bonum possideas: noli, quaeso, solus eo frui, sed
99 ad publicam illud civium utilitatem prome, et hanc tam doctam magistram, qua es auctoritate, in Academica Historiae cathedra colloca." Tum ille: „ Tu quidem jocaris, at ego tibi affirmo ita esse." Quid igitur, inquit Ruhnkenius, didicit filius tuus, quam Historiae partem, ex quo libro, qua via et ratione. „ Equidem, inquit pater, non possum tibi ad haec omnia respondere: Historiam juvenis didici: jam provectior aetate incipio has res oblivisci: sed mittam ad te filium meum, qui tibi ad omnia, quae interrogabis, satisfaciet." Venit post aliquot dies ille gubernatricis pullus, adhuc pipiens, sed alas jam quatiens, sibique nunc demum placens, qui apud clarum doctrina virum doctrinam ipse suam ostentaturus esset. Ruhnkenius puerum comiter excipit, eumque sermonem cum eo habuit, quem est cognoscere operae pretium, et nos, quo facilius cognoscatur, ita reddemus quasi agatur, non quasi narretur.

R. Audio, te magnos progressus fecisse in Historia,

ria, ejusque peritissimam domi habere magistram. P. Sane, gubernatrix nostra omnem Historiam novit: nec diffiteor, me ex ejus institutione multum profecisse. R. Quid ergo didicisti? narra. P. Omnem Historiam. R. Quid est omnis Historia? an vero magistra te docuit omnem Historiam, nec tamen quid esset omnis Historia? P. Ita fecit; nam est perdocta.
R. Non dubito, quin jure eam magni facias: sed 100
cogita tecum, quid hoc sit, omnis Historia. P. Omnis Historia? haec est — ea quae in libris est prodita. R. En tibi hoc loco libros, quos habeo, multos de Historia, Herodotum, Livium, Tacitum, alios: nosti certe hos auctores. P. Non novi, sed res ipsas novi. R. Credo: sed tamen ab illa omni Historia, quam tenes, primo excipiamus Historicorum cognitionem: sed fortasse magistra tibi tua narravit, quis fuerit Homerus, Hesiodus, Plato, aliique Philosophi et Poëtae. P. Non puto; nam, si narrasset, meminissem. R. Ergo item de hac omni Historia, quam nosti, excipiamus Historiam Poëtarum et Philosophorum. P. Modo dixi, me non ista, sed res ipsas, didicisse. R. Sed *ista*, quae tu vocas, sunt homines: tu ergo rerum, non item hominum cognitionem percepisti: veluti didicisti urbem Romam esse conditam, sed non item à quibus hominibus. P. Recte mones, recte! Roma condita est à Romulo et Remo, fratribus geminis, filiis Rheae Sylviae et Martis, quos recens natos Amulius rex exposuit, sed lupa lacte suo nutrivit, mox pastor sustulit et educavit. — R. Iam satis, ó bone, dixisti, unde intelligas rerum hominumque conjunctam esse Historiam: sed narra tandem, de quibus rebus hominibusque praeterea didiceris: verbi caussa, de Sylla, quis fuerit, dic

101 mihi. P. Tyrannus Romae. R. An tyrannus fuit nomen quoddam magistratus et muneris? P. Nescio: certe ita Sylla in Historia cognominatur. R. Nonne didicisti, eum Dictatorem fuisse, et quae fuerit hujus nominis munerisque potestas? P. Haud equidem, quod memini. R. Sed fortasse magistra tibi narravit, quae fuerit vis et ratio aliorum apud Romanos magistratuum, Quaestoris, Aedilis, Praetoris, Consulis, Censoris, Tribuni plebis, et reliquorum? P. Non narravit: nam haec difficilia, nec item jucunda cognitu sunt, ac res gestae: et nimium nobis temporis explicatio illorum abstulisset. R. De hoc fortasse rectius judicabis alio tempore: nunc ex omni illa Historia rerum, quas nosti, porro detrahamus cognitionem magistratuum Romanorum. P. At nos magis delectabamur bellis et factis cognoscendis. R. An igitur audivisti de Carthagine, gestisque cum ea bellis? P. Vero, audivi; tria bella fuerunt. R. Dic de secundo, utri fuerunt victores? P. Romani. R. An item ab initio victores fuerunt? P. Minime! quatuor deinceps pugnis victi sunt ab Hannibale, ad Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, et Cannas. R. An caussas narravit magistra, quare victi sint Romani? P. Non illa caussas, sed facta, narravit. R. Fortasse ipse tua sponte intelligis caussas, quare Romani res lapsas restituerint. P. Certo, in-
102 telligo: caussa hujus rei fuit eorum fortitudo. R. An igitur initio belli non fuerunt fortes? P. Fuerunt vero fortes. R. Ergo fortitudo caussa fuit, ut et vincerent et vincerentur. P. Nescio: sed hoc scio, neminem me adhuc tam difficili ratione interrogasse. R. Age, facilia interrogabo: an credibile est Romanos victores ex hoc bello discessuros fuisse, si poten-

tentissimi, qui tunc erant, reges copias suas cum
Carthaginiensibus conjunxissent? P. Quinam reges
illi? R. An nescis fuisse illa aetate potentissimos
reges illos, Alexandri Magni successores, in Mace-
donia, Asia, Syria, Aegypto? P. Scio equidem, et
eorum Historiam alio capite tractavimus: sed non co-
gitavi eos fuisse tempore belli Punici secundi. R.
Caussamne (34) igitur, mutuam eorum aemulatio-
nem fuisse animadvertis, quominus copias suas, aut
cum Carthaginiensibus illo in bello, aut postea inter
se, conjungerent, ad Romanorum incrementa et im-
petus retardandos; unde factum est, ut postea omnes
illi reges, singulatim ac deinceps, à Romanis subi-
gerentur. P. Animadverto nunc demum, te dicente:
et placet mihi haec animadversio. R. Est sane caus-
sarum animadversio non solum jucunda, sed etiam
fructuosa: sed nunc quidem non repugnabis, quo-
minus de illa omni Historia, quam nosti, detrahamus
porro caussarum cognitionem. P. Non possum re-
pugnare: sed hoc tamen affirmo, nos reliquas, prae- 103
ter illas à te exceptas, omnes res tractasse. R. Er-
go de aliis, quae didicisti, narra: aut, si forte pro-
pter multitudinem rerum nescis unde initium facias,
dic ipsum initium Historiae quodnam vobis sit. P.
Creatio mundi. R. De hominibus et rebus humanis
quaero. P. Primi homines fuerunt Adamus et Eva,
quos Deus sexto die ad sui imaginem creavit, in Pa-
radiso collocavit, unde postea expulsi sunt. — R. Noli
plura addere: intelligo, te libellum aliquem strenue
et memoriter didicisse: dic universe de quibus homi-
ni-

(34) Hanc breviter attigit Plutarchus De Fortuna Rom.
p. 324. C.

nibus rebusque deinde te docuerit. P. De Adami posteris, de Patriarchis ante et post diluvium, omnino de Judaico populo usque ad ejus eversionem. R. Quare credis haec ita fuisse, ut didicisti? P. Quia prodita sunt in libris sacris, inspiratione divina. R. An vero etiam Romanae aliaeque, quas didicisti, res, proditae sunt in sacris libris? P. Non sane. R. Et tamen eas item credis. P. Quidni credam? sunt enim proditae in aliis libris fide dignis. R. Cedo, hos libros. P. Magistra nostra duos habet Francica lingua scriptos, alterum parvum, quem ediscimus et recitamus, alterum magnum, aliquot voluminibus, ex quo nobis subinde praelegit. R. An igitur scriptores horum duorum librorum ipsi interfuerunt rebus quas narrant? P. Haudquaquam: nam sunt recentiores, et nostra vel patrum memoria vixerunt.
104 R. Unde igitur harum rerum notitiam acceperunt? P. Ex aliis libris fide dignis. R. Nostine eos? P. Non novi. R. Quomodo igitur eos, quos non nosti, audes affirmare esse fide dignos? P. Credo magistrae. R. Quot annos natus es? P. Quindecim. R. Ecce! jam prope adolescens, et magistra te adhuc tractat ut puellum. P. Quid ita? R. Quia tibi, ut puello, fabulam, ita Historiam narrat: an vero putas Historiam, quam illa te docet, veram esse? aut nil tua refert, fabulam tibi pro vero narrari. P. Immo multum mea refert: sed scio vera omnia esse, quae ab illa docemur. R. Si hoc scis, necesse est te scire rationem, qua verum à falso discernas. P. Non scio hanc rationem, sed credo magistrae, quia docta et veridica est. R. Vides te tibi non constare, modo scis, modo nescis, modo credis. P. Non possum tibi tam facile respondere ac magistrae; haec enim,

ne-

nescio quomodo, facilius interrogat. R. Igitur, ô
bone, facilius te interrogabo: Historia quid tradit,
verumne an fictum? P. Verum, profecto! R. Hi-
storiam ergo an quis tradere aut accipere recte, do-
cere aut discere, potest, qui verum a ficto discerne-
re nequit? P. Nescio. R. Nescis? an item nescis,
an Historia alicujus utilitatis caussa discatur? P. Et
magnae quidem, opinor, utilitatis caussa discitur.
R. Quae est illa utilitas? P. Nescio. R. Nonne tibi
magistra narravit, multarum doctrinarum fundamenta
in factis historicis esse posita, Historiam nos docere 105
alias doctrinas rectius faciliusque percipere: tum ve-
ro eam plurimum valere exemplis ad vitam regendam
et rem publicam administrandam? P. Non narravit:
sed tibi credo ita esse; nam probabiliter mihi dicere
videris. R. Ergo porro responde: id cujus auxilio
aliquid efficimus et facilius assequimur, nonne est
quasi instrumentum? P. Est sane. R. Igitur Histo-
ria est quasi instrumentum earum utilitatum conse-
quendarum, de quibus modo diximus. P. Ita pror-
sus. R. Iam dic mihi: nummi suntne instrumentum
vitae agendae? P. Et magnum quidem. R. Si quis
igitur nummos ita congerat, nullam ut rationem ha-
beat, utrum sint probi an adulterini, itaque deceptus
accipiat multos adulterinos, quid huic eventurum pu-
tas? nonne magnum damnum, ut qui non habeat qui-
bus utatur, quum tempus et necessitas emendarum
rerum inciderit? P. Est profecto, ut dicis. R. Vide
porro: navigationis instrumenta nonne sunt guberna-
tor, nautae, navis ejusque partes, carina, tabulata,
gubernaculum, anchora, vela, malus, rudentes, aliae?
Igitur mercator aut nauclerus, antequam se mari et
ventis committit, haec sibi prospicit et parat in-

strumenta: nec ea temere et inconsiderate ab aliis accipit, sed inspicit et judicat firmane et proba sint ad
106 usum; ne forte negligentiae poenas luat naufragio aut morte. P Verissime ais. R. Diximus vero etiam Historiam esse fundamentum doctrinarum: jam ad aedificii laudem referrene putas utrum fundamenta solida et firma, an vana et infirma, sint? P. Immo totum quantum refert. R. Iam intelligis, ô mirifice, tua Historia quale sit instrumentum et fundamentum: quanto tuo cum periculo ea usurus sis, quum in vitae actione, tamquam navigatione, aut nulla, aut falsa tibi agendi exempla praebebit, et in studiorum ratione vanas tibi auctoritates ac praecepta subjiciet: tu omnem Historiam tibi percepisse videbaris: vides quantum inde detractum sit: nil audivisti de Historicis, nil de Poëtis ac Philosophis, nil de munerum et magistratuum ratione, et, ut suspicor, nil de aliis multis rebus cum civilibus, tum bellicis, locis, temporibus, nil de caussarum observatione, nil denique de ratione qua verum à falso discernatur: quibus omnibus detractis, ecquid reliquum Historiae tibi manet? P. Iam intelligo, et poenitet me operae in Historia positae. R. Bono animo sis: nunc primum proficis ad scientiam, quum intelligere incipis quantum sit quod nescias: et vides, credo, tibi, qui brevi in Academia doctrinas percepturus, ac porro vitae et privatae et publicae quasi iter et navigationem ingressurus sis, tibi igitur illud pucrile Historiae funda-
107 mentum et instrumentum non sufficere, sed opus esse firmiore et efficaciore et quasi virili, quod ad uberiorem omnium rerum cognitionem, caussarum observationem, veri falsique judicium, tum denique, ut ita dicam, ad Historiam Historiae, valeat, id est

ut

ut cognoscas qui Scriptores, quibus in rebus, qua fide et auctoritate versati sint. P. Verissime mones: et obsecro te, ut mihi aliquem libellum des, ex quo haec omnia brevi tempore discam. R. Tu quidem, ô bone, omnia ex libellis quibusdam percipi posse putas, qui scilicet illum de Historia libellum, quem magistrae tuae recitare soles, edidicisti: neque hoc ita dico, ac si te laboris tui, aut magistrae tuae, poenitere debeat, quae utilissimam rem fecit inculcanda memoriae tuae hac puerili Historiae cognitione: nunc tempus est, judicium exercere, virilem doctrinae rationem consectari, quae dicitur critica ratio: haec non subito, et unius libelli quasi haustu percipitur: libros de ea scriptos tum demum intelliges et cum fructu leges, si ad eam sensim adsueveris diligenter ventitando in scholas Professorum Historiam illa ratione tradentium.

Ita Ruhnkenius et hunc, et alios saepe adolescentes, à falsa sapientiae opinione et puerilis institutionis erroribus liberavit, atque ad se ipsum quemque cognoscendum, rectamque studiorum viam ingrediendam, convertit.

Alterum pensum erat Antiquitatum Romanarum. 108
Has item enarrabat è dictatis magna accurataque diligentia scriptis, quibus nil esset vel ad cognitionem jucundius vel ad usum praestantius. Nam et universe totius rei publicae imperiique ingenium et caussam, et singularum partium formam, statum, conversiones, ordinum jura et conditionem, magistratuum munera, porro instituta, mores, leges, in rebus publicis, privatis, domesticis, civilibus, militaribus, sacris, historica et vere Polybiana ratione explicabat. Deinde singulis locis adhibebat grammaticam criti-

strumenta: nec ea temere et inconsiderate ab aliis acci-
pit, sed inspicit et judicat firmane et proba sint ad
106 usum; ne forte negligentiae poenas luat naufragio
aut morte. P Verissime ais. R. Diximus vero etiam
Historiam esse fundamentum doctrinarum: jam ad
aedificii laudem referrene putas utrum fundamenta so-
lida et firma, an vana et infirma, sint? P. Immo to-
tum quantum refert. R. Iam intelligis, ô mirifice,
tua Historia quale sit instrumentum et fundamentum:
quanto tuo cum periculo ea usurus sis, quum in vi-
tae actione, tamquam navigatione, aut nulla, aut
falsa tibi agendi exempla praebebit, et in studiorum
ratione vanas tibi auctoritates ac praecepta subjiciet:
tu omnem Historiam tibi percepisse videbaris: vides
quantum inde detractum sit: nil audivisti de Histori-
cis, nil de Poëtis ac Philosophis, nil de munerum et
magistratuum ratione, et, ut suspicor, nil de aliis
multis rebus cum civilibus, tum bellicis, locis, tem-
poribus, nil de caussarum observatione, nil denique
de ratione qua verum à falso discernatur: quibus
omnibus detractis, ecquid reliquum Historiae tibi ma-
net? P. Iam intelligo, et poenitet me operae in Hi-
storia positae. R. Bono animo sis: nunc primum
proficis ad scientiam, quum intelligere incipis quan-
tum sit quod nescias: et vides, credo, tibi, qui brevi
in Academia doctrinas percepturus, ac porro vitae et
privatae et publicae quasi iter et navigationem ingres-
surus sis, tibi igitur illud puerile Historiae funda-
107 mentum et instrumentum non sufficere, sed opus
esse firmiore et efficaciore et quasi virili, quod ad
uberiorem omnium rerum cognitionem, caussarum
observationem, veri falsique judicium, tum denique,
ut ita dicam, ad Historiam Historiae, valeat, id est
ut

ut cognoscas qui Scriptores, quibus in rebus, qua fide et auctoritate versati sint. P. Verissime mones: et obsecro te, ut mihi aliquem libellum des, ex quo haec omnia brevi tempore discam. R. Tu quidem, ô bone, omnia ex libellis quibusdam percipi posse putas, qui scilicet illum de Historia libellum, quem magistrae tuae recitare soles, edidicisti: neque hoc ita dico, ac si te laboris tui, aut magistrae tuae, poenitere debeat, quae utilissimam rem fecit inculcanda memoriae tuae hac puerili Historiae cognitione: nunc tempus est, judicium exercere, virilem doctrinae rationem consectari, quae dicitur critica ratio: haec non subito, et unius libelli quasi haustu percipitur: libros de ea scriptos tum demum intelliges et cum fructu leges, si ad eam sensim adsueveris diligenter ventitando in scholas Professorum Historiam illa ratione tradentium.

Ita Ruhnkenius et hunc, et alios saepe adolescentes, à falsa sapientiae opinione et puerilis institutionis erroribus liberavit, atque ad se ipsum quemque cognoscendum, rectamque studiorum viam ingrediendam, convertit.

Alterum pensum erat Antiquitatum Romanarum. 108
Has item enarrabat è dictatis magna accurataque diligentia scriptis, quibus nil esset vel ad cognitionem jucundius vel ad usum praestantius. Nam et universe totius rei publicae imperiique ingenium et caussam, et singularum partium formam, statum, conversiones, ordinum jura et conditionem, magistratuum munera, porro instituta, mores, leges, in rebus publicis, privatis, domesticis, civilibus, militaribus, sacris, historica et vere Polybiana ratione explicabat. Deinde singulis locis adhibebat grammaticam criti-

eamque interpretationem, tamquam veri obrussam; ne rei vulgo traditae, aut falsae aut non satis perceptae, vel ipse assentiret, vel assentiri discipulos sineret, sed ab assentiendi eos temeritate cohiberet, et ad eamdem judicii severitatem adsuefaceret. Atque harum rerum materiam non è turbidis recentiorum rivulis, sed è limpidissimis Veterum fontibus hauriebat: aut si quos recentiores advocaret, non eos promiscue è Graeviano Thesauro aut similibus collectionibus promebat; sed eorum qui postea fuissent, et Antiquitatum locos singulares, vel singularibus libris, vel in animadversionibus ad veteres Scriptores ab ipsis editos, explicuissent, et accuratissimi cujus-
109 que maxime et rationem ducebat et mentionem faciebat, cum aliorum, tum in primis Dukeri et Ernesti.

Tertium erat pensum, interpretatio Latinorum Scriptorum. In qua quomodo versatus sit, facile est ad suspicandum iis, qui ejus animadversiones in Rutilium Lupum et Vellejum Paterculum cognoverunt. Ne vero quis putet, harum instar animadversionum fuisse scholas illas supra plerorumque captum discipulorum. Mirifice fuerunt temperatae et exquisita doctrina et perspicuitate, ut rudibus novitiis et eruditis veteranis aeque pariterque essent accommodatae. Ad locos vel difficiles vel memorabiles dictabat annotationes breves quidem illas, sed bonae frugis plenas. Rerum interpretatio ducebatur ab Historia et Antiquitatibus, eadem, qua has tractabat, diligentia: frequens in primis erat verborum interpretatio, qua Latinae orationis potestas et usus, cum in singulis vocibus, tum in dictionibus et compositione, et grammatica ratione explicaretur, et exemplis Veterum illustraretur, et praeceptis observatis-

que

que optimorum recentiorum confirmaretur. Igitur
fructuosae erant hae scholae cum ad intelligentiam
ipsius Auctoris, tum universe ad rerum scientiam,
judicium et facultatem Latinae orationis ac dictionis,
cognitionem optimorum interpretum et Scriptorum de
Latinitate, sensum denique pulcri venustique non va-
gum et vanum, sed certum et firmum à certo judicio 110
et accurata grammatica ratione ductum. Auctores
Latini, quos in his tractaret scholis, cum alii erant,
tum in primis Terentius, Suetonius, item Cicero et
Ovidius, illius ad Familiares Epistolae, hujus He-
roides. Scholasticorum hominum cum invidia, de
qua supra diximus, tum gloriola, discipulis suis per-
suadentium eos ex ipsorum disciplina adeo doctos pro-
dire, ut his Ruhnkenii scholis non opus haberent,
factum est, ut pauciores, quam quis putaret, venti-
tarent recentes à puerili institutione tirones, paucio-
res etiam qui harum vim praestantiamque scholarum
caperent: at veterani, et exteri, qui haud infrequentes
erant, eas devorabant, nec quidquam fructuosius ele-
gantiusque in hoc genere se usquam audivisse fate-
bantur. Equidem et ipse jam in Graecis Literis ad
eum progressus modum ut Epistolam Criticam ad
Ruhnkenium scripsissem, Lugdunum veniens ut ex
ejus et Valckenarii cum consuetudine, tum vero scho-
lis, amplius proficerem: ego igitur Terentianas illius
scholas magno cum doctrinae fructu audivi; ut tum
demum in hoc genere discere mihi viderer, quod in
proverbio dicitur, quantum aera distarent lupinis: id-
que postea narravi saepius aliis, qui easdem scholas
quondam alio tempore, sed negligentius, usurpas-
sent, nunc demum mihi affirmanti de illarum prae-
stantia sero credentibus, et pristinam suam negli- 111

gen-

gentiam dolentibus: quibus quid dicerem? nisi, *felices nimium qui sua bona norunt* (35). Ruhnkenius sua sorte contentus erat; reputans sortem J. F. Gronovii, Latinarum Literarum recentiore aevo principis, qui in majore Academiae flore ne dimidium quidem discipulorum habuisset numerum, subinde vix decem: hujus enim scholarum indices nactus erat, quibus nomina sua, qui se discipulos profitentur, inscribere solent. Sed tum Cartesiana Philosophia omnium erga omnes alias disciplinas studia absorbebat, et Literarum scholas, ut ita dicam, viduabat. Ruhnkenii tempora minus Literis iniquam habuerunt Philosophiam. Nam ad insanum ejus amorem deferbuerant Batavorum ingenia, omnem istum furorem in illa Cartesiana febri effuderant, et jam certa quadam judicii sanitate constiterant. Successerunt deinceps aliae rationes et quasi sectae, Newtoniana, Lockiana, Clarkiana, Leibnitiana, Wolfiana: et, ut fit, novissima quaeque sola vera, et per omnem posteritatem dominatura, videbatur: nostrorum hominum erga illas lenia fuerunt, nec cum Literarum contemtu conjuncta, studia. At apud Germanos immoderatus Wolfiani studii fervor Literas, veluti tempestatis calamitate, afflixit. Fuerunt tamen qui eas ornarent ac tuerentur, in primis Gesnerus et Ernestus: hic acer, saepe adeo acrior quam verior, Wolfi-

(35) Ductum ex Virgiliano Georg. II, 458: *O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas.* Siquidem nobis licet, quod Antiquis licuit, Poëtarum versus ad scriptionis nostrae consilium immutare. Dictum Censoribus, quibus nisi versus ad syllabam annumerantur, notam continuo injiciunt, et inscitiam arguunt, ipsi inscii antiquitatis.

fianae rationis reprehensor. Novissima à vetere Re- 112
giomontano Ruhnkenii condiscipulo prodita ratio apud nos quidem Literis nondum obfuit, nec, ut speramus, oberit: si quidem priores illae partim maximarum scientiam rerum profiterentur, partim disserendi spinis et verborum novitate minus obstructam haberent cognitionem, partim interpretes nanciscerentur, qui eas ad communem captum intelligentiamque explicarent: quae et secus sunt in hac novissima ratione, et plurimum valent ad studii cum frequentiam tum diuturnitatem.

Ruhnkenio recens in Lugdunobatava cathedra posito alia offertur apud exteros, Goettingensis, morte Gesneri eodem anno defuncti vacans. Hanc generosissimus illius Academiae stator et altor, verissimo Curatoris et Maecenatis cognomine ad posteritatem commendatus, Munchusius obtulerat Ernesto, qui eam recusans, rogatus ecquem alium doctrina clarum ac dignum Gesnero successorem nosset, Ruhnkenium dixit, sed eum ita ad Batavam stationem adstrictum, vix ut inde deduci posse videretur; quippe qui jam antea privatus exteras conditiones recusasset. Munchusius, qui nec sumtibus nec labori parceret, dummodo celeberrimos quosque ac doctissimos undique Professores Goettingam evocaret, mittit qui ei cathedram luculento quovis cum salario offerret, et accipere persuaderet. Ruhnkenius, qui propter eas caussas, quas supra memoravimus, apud 113
Batavos vitam transigere constituisset, respondet in Germania doctum esse hominem dignumque qui Gesnero succedat, Heynium, hunc invitarent et in vacua provincia collocarent. Itaque Ruhnkenii commendatione factum est, ut Heynius Goettingam vocaretur,

tur, et eo in loco poneretur ubi plurimum ipsius et ingenium in Literis se proferret, et disciplina ad Literarum florem incrementumque valeret. Ejus doctrinam è duobus ab illo editis libris, Tibullo et Epicteti Enchiridio, cognitam probaverant Hemsterhusius et Ruhnkenius, de eaque et praeclare, et, ut eventus docuit, vere augurabantur. Caeterum Curatores Lugdunobatavi, ut tantum Ruhnkenii erga Academiam suam amorem studiumque remunerarentur, salarium ejus annuis sexcentenis florenis auxerunt.

Proximus annus (1762.) luctuosus ei fuit obitu Joannis Albertii, amantissimi hominis, qui ipsum recens advenam singulari benivolentia, mox etiam familiaritate, complexus erat, ejus rationibus consulere, ei illustrium potentiumque virorum favorem conciliare, non destiterat, ejus porro assidua opera in adornando Hesychio utebatur, alterumque editionis volumen inchoatum ei moriens perficiendum relinquebat. Erat hic alter ex Ruhnkenii amicis, et omnino
114 è doctis illa aetate hominibus, idem et Theologus et Graecarum Literarum scientia clarus, sed diverso uterque instituto: de quibus quid senserit Ruhnkenius, si ex ejus mecum saepe habitis sermonibus commemorem, haud ingratum plerisque me facturum existimem.

„ Duos" inquit „ habui amicos Theologos, eosdemque raro exemplo Graece perdoctos, qui doctiores etiam exstitissent nisi Theologi fuissent: nam, ut nunc quidem est hujus disciplinae ratio, qui eam profitentur, non solum certae sectae adstringuntur quae libere sentiendi facultatem tollit, sed eos ita occupatos tenet necessitate discendarum multarum rerum, diversarum à nostris Literis et Humanitatis

elegantia, ut his recolendis nec tempus nec voluntas relinquatur. Igitur ego à matre Theologiae destinatus, tradens me totum Literis, videbar mihi revera effugisse illud *δούλιον ἦμαρ* (36) quod *ἥμισυ ἀρετῆς ἀποαίνυται*. Et uterque meus amicus in illustrem quidem, nec tamen principem, Graecarum Literarum pervenit locum: neque enim eam confecerat viam, quae sola ad illum principatum fert, Scriptorum omnium, inde à primo deinceps ad postremum, grammatica criticaque lectione, et sedula excerptione. Sed Ernestus à Literis ad Theologiam profectus erat, Albertius à Theologia ad Literas. In utroque apparuit illud *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Tes-* 115
ta diu (37). Ernestus omne ab ineunte aetate tempus tribuerat Literis, maxime Latinis, ejus linguae scientia, Historiarum et omnis Antiquitatis cognitione, critica ratione, pulcri venustique sensu, orationis denique facultate, ita valuit, ut verissime in principibus harum laudum censeatur; et in principum adeo principibus censendus esset, si Latinis Literis par in eo Graecarum facultas Literarum, lectionis multitudini et varietati par fuisset excerpendi patientia; nam hoc in primis ei defuit, locupletium copia adversariorum. Caeterum ea aderat bene scribendi ac disserendi facultas, quae non modo illarum penuriam dotum obtegeret, sed Literas etiam Graecas complurium Scriptorum editione ad communem cognitionem studiique apud multos incrementum commendaret.

Ad

(36) Odyss. ρ, 323,

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνερος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

(37) Horat. Ep. I, 2, 69.

Ad has dotes quum adjungeret Philosophiae cognitionem liberalem quidem et elegantem; poterat se vel Jureconsultum vel Theologum, quam primum hoc agere coepisset, profiteri. Et certe, ut nomen suum Theologiae dedit, ita statim in ea eluxit ac principatum obtinuit. Albertii alia fuit ratio, aliud iter. Puerili institutione, initia Literarum ita perceperat, ut inter pueros excelleret. Mox ad scholas Academicas delatus, eam rationem secutus est, qua vulgo meliores censentur Theologiae studiosi; ut primum
116 et alterum annum propaedeuticis, uti vocant, daret studiis, id est Literis potissime Hebraicis, Orientalibus, Graecis. Nam est aliud etiam genus eorum, qui his neglectis, vel rudimentorum tenus degustatis, continuo in Theologiam involent. Et in Graecis quidem Literis egregio usus est Franequerae doctore Lamberto Bosio. Deinde, more pervulgato, systema percepit: quod ejusmodi erat, ut Professores Theologiam dogmaticam enarrantes audiret, nec unum cui se scilicet emanciparet, sed plures, quo liberius esset judicium, majorque nimirum eligendi facultas: nec unum annum, sed plures, tertium, quartum, quintum. Tum nomen in Candidatis professus, porro sacerdotium nactus, quidquid à muneris occupationibus supererat otii, dabat homiliis componendis, ut earum in posterum copia suppeteret. Harum copia provisa, multi in ea acquiescunt, et, ut studiorum officio defuncti, aut nihil agunt, aut quidvis potius quam Literas cogitant. At non ita liberalis homines ingenii, è quibus erat Albertius. Is ex quo ingressus erat Theologiae studium, quotidie dolebat parum sibi temporis ad Graecas repetendas Literas relinqui: ad has frequenter reditum captabat: legebat Ho-

Homerum, Hesiodum, Xenophontem: in primis vero libenter cognoscebat recentiores Novi Foederis interpretes, qui dictiones appositis Graecorum Scriptorum locis explicuissent: è quo numero fuerat ejus 117
magister Lambertus Bosius, et alii deinceps, in primis Elsnerus et Raphelius: eumdemque in usum et finem ipse Graecos Scriptores legere constituebat, simul atque illum homiliarum apparatum struxisset. Quod quum tandem venisset tempus, continuo ad eos accessit Scriptores qui maxime cum Critica Novi Foederis conjuncti essent, Philonem, Josephum, Patres, minoris etiam molis et momenti alios: ad hoc genus adhaesit: et ad Hesychium edendum inductus est maxime Glossis ejus sacris. Nam regiam illam viam, gravissimorum et antiquissimorum quorumque deinceps Scriptorum ex ordine legendorum, aut non ingressus est, aut ingressus mox reliquit. Magnum tamen usum habuit veterum Lexicorum, Grammaticorum, Scholiastarum, et recentiorum Criticorum: multos legit Graecos libros: plures, opinor, quam Ernestus: lectos excerpsit et ad usum in promtu habuit: easque copias cum judicii severitate et grammatica diligentia expromsit in Hesychii editione, quae semper in egregiis editionibus censebitur. At Latinarum deërat ratio Literarum, deërat orationis elegantia: harum studium in Academia, ut solebant fere futuri Theologi, neglexerat, nec postea repetiverat. Igitur, ut Ernestus, Theologicis aliisque, de quibus scriberet, cum doctrinae elegantia minus conjunctis argumentis, eum addebat odorem, quo recens 118
imbutus fuerat, ut antiquum nescio quid et plane Romanum spirare viderentur: ita quae in Albertii initiis primaque institutione fuerat horrida et inculta duri-

ties, postea venustioribus nullis ita mollita et abstersa est studiis, quin ejus reliquiae et quasi ruris vestigia (38) apparerent."

Nullae fere majores existunt dissensiones animorum et offensiones, quam inter eos, qui in earumdem rerum studiis diversas vias sequuntur; unde sectarum et nomen et odium dicitur, et proverbio usurpatur *fratrum quoque gratiam raram esse* (39). Attamen Ruhnkenius, qui ab Albertio tantopere discreparet cum via, tum judicio, tam amice conjuncteque cum eo vixit, ut nil umquam in amicitia fuerit conjunctius. Nec mirum. Haud facile fuit Albertio lenioris animi Theologus, nec Ruhnkenii amantior; ut summa inter eos esset morum voluntatumque similitudo, profecta illa ab animorum similitudine, lenitate et facilitate in ferendis dissentientibus, benevolentia ac bene merendi studio erga optimum quemque, caritate totius generis humani. Albertius, ut fieri solet in summo amore, magis etiam et arctiore studiorum vinculo conjungi cum Ruhnkenio cupiebat; et, quo major inter ipsos esset communitas sermonis et argumenti, optabat ut eadem uterque amaret, eum in suam viam traducere studebat, subinde
119 hortans ut item sacrae Criticae operam navaret. *Hoc tum faciam*, ajebat Ruhnkenius, *quum satis percepero antiquas et germanas Graecas Literas, sine quibus novitiae istae ac peregrinae percipi non possunt.* Eidem subinde minutos quosdam et posterioris aetatis Graecos Scriptores legenti, rogantique, ut ipse quoque eos legeret, respondit, *Legam quando mea me*

(38) Horat, II, 1, 159. Videatur supra p. 23.
(39) Ovid. Met. I, 145.

me via et temporis ordo eo deduxerit; nunc quidem in Demosthene versor. Nec inique ferebat recusationem Albertius, sed ejus veritate victus, *Enim vero*, ajebat, *recte mones: et vellem ipse mature hanc viam ingressus essem: nunc quidem sero est.*

Annum primum supra quadragesimum agebat Ruhnkenius (1763), adhuc et erat caelebs et porro manere decreverat, nisi facultatem bonae, quam vocant, conditionis nancisceretur, id est, ejusmodi quae cum bonis fortunarum ac divitiis esset conjuncta. Tenebat id, quod a senioribus audiverat, et multis in utramque partem exemplis edoctus erat, homini in Literarum doctrinaeque studiis viventi, si non ipse habeat rem, uxorem aut nullam esse quaerendam, aut eam quae aliquid rei adferret. Quod ejus propositum inopinatus casus elusit. Venerat Amstelodamo Lugdunum nuper habitatum senex, honestus civis, Gerardus Heirmans, quondam mercator et mercaturae 120
Batavorum procurator, Consulem vulgo vocant, in Italiae portu Liburno, uxorem secum habens ac duas illic sibi ex ea natas filias. Harum natu minor, Mariamne, rarae erat pulcritudinis puella: quae si Crotone vixisset Zeuxidis (40) tempore, is eam haud dubie in quinque illis legisset puellis, è quarum exemplis imaginem Helenae duxit. Aetatis erat ipse flos, duodevicesimus annus: flori congruens color sanitatis, niveus candor roseo rubore suffusus: et in singulis partibus corporis et in universa conformatione omnia erant concinna, omnia plena simul et venustatis

(40) Cicero, Invent. II, 1. Dionysius Hal. T. II. p. 68. Valerius Maximus III, 7, Ext. 3. Junius in Catalogo Artificum p. 232.

tis et dignitatis: in vultu et oculis dubitares plusne inesset laetitiae an majestatis, nil proterviae aut levitatis, contra evidens significatio modestiae et sapientiae: in habitu, gestu, motu, plurimum gratiae: in statura et incessu heroicus quidam decor, in quem verissime illud valeret, *vera incessu patuit Dea* (41): si loqueretur, nil poterat dulcius, nil amabilius, illa voce audiri: si caneret, nam et hoc probabiliter factitabat, ut ex pulcro ore pulcrior etiam ad aures accidebat sonus. Ruhnkenius non erat novus in amore: expertus erat quid esset, et amare, et amari: sed adhuc magis fuerat elegans formarum spectator, quam amator: Aristippi (42) exemplo, solebat magis habere quam haberi. In hujus vero puellae ad-
121 spectum et colloquium quum forte veniret, captus est, nec modo captus, sed ingenti percussus amore. Erant qui tantam amoris vehementiam, ut alienam à doctrinae gravitate et magis puerili levitati convenientem, reprehenderent, eique illud *Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error* (43), objicerent. Nos eum Jovis exemplo excusemus, qui item apud Homerum,

Ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν.

Sed, omissa Poëtarum auctoritate, communes nostras delicias Platonem (44) sequamur, certe Ruhnkenius δεξάμενος τὴν τοῦ κάλλους ἀπορροὴν διὰ τῶν ὀμ-
μά-

(41) Virgil. Aen. I, 409.

(42) Cicero, Ep. Divers. IX, 26.

(43) Virgil. Eclog. VIII, 41. ex Theocrito expressum Idyll. II, 82: hoc item ex Homerico loco, quem apposuimus Il. ξ, 294.

(44) Phaedro, p. 346, F.

μάτων, ἐθερμάνθη, *suscepto per oculos effluvio pulcritudinis*, *incaluit:* in pulcro corpore pulcrum animum habitare ratus, hoc item Socratice ac Platonice, nil prius potiusque habuit, quam ut puellam sibi propriam assereret et in matrimonium duceret. Neque hac, profecto, in re ullus est reprehensioni locus; nisi si quis omnem à Literarum et doctore et principe amorem et uxoriam rem abjudicet. Ruhnkenius eo erat et aetatis et doctrinae modo, ut ei omnium consensu uxorem ducere liceret. Non pervulgatum morem sequebatur festinationis, qua plerique ingeniosi adolescentes omnem eruditionis progressum fructumque perdunt, qui tirones ac novitii in Literis ex harum studiis vix inchoatis, quo tempore maxime discere debebant, se in rei familiaris et uxoriae 122
curas difficultatesque conjiciunt, indeque per reliquam vitam in proletariorum turba delitescunt, ad illustrem aliquem Literarum censum numquam adspirant. Quod formosam maluit quam deformem, juvenem quam vetulam; reprehendant ii, qui amorem ad calculos adstringunt, in uxore et formae turpitudinem, et victus immunditiem, et morum asperitatem, et sermonis inficetias, et animi stuporem, cupide arripiunt patienterque ferunt, modo conjuncta sint ista vitia cum divitiis, opibus, honoribus. Ruhnkenio incredibilem natura tribuerat pulcri venustique sensum, ut neque in Literarum artiumque operibus, neque in mulierum formis, quidquam nisi vere pulcrum venustumque aut probaret, aut suum esse vellet. Aliud erat, quod eum nec sine ratione monebant amici, meminissetne pristinum suum propositum de uxore ducenda, quae aliquid rei afferret: ipse ajebat, eam afferre aliquid: hi reponebant, hoc aliquid pa-

rum esse. Haec aliaque iis monentibus ita satisfaciebat, ut eum dehortari desinerent, intelligentes se repugnando nihil efficere; puellae porro prudentiam interpretantes, quod à multis petita procis, aliorum juvenili levitati, Ruhnkenii provectiorem aetatem cum doctrina illam et virtute conjunctam anteposuisset:
123 denique ad ipsum puellae adspectum molliores redditi, veluti senes Trojani illud accinerent,

Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν (45).

Quod quidem dictum singulari quadam fati iniquitate in Ruhnkenio verum accidit. Nam cum uxore amanter, liberaliter, indulgenterque vivens, ac duabus mox auctus festivissimis filiabus, brevem ex ea percepit reliquum consuetudinis ac suavitatis fructum; ipsa, sexto conjugii anno, per apoplexiam, labefactata, ac primum loquendi facultate, postea etiam oculorum sensu orbata; ut nunc viro superstes, ex mirificis illis formae animique bonis, vix umbram et leve vestigium referat.

Matrimonium aliam vitam, alios mores, certe in studiorum temporibus mutationem, attulit. Ante solutior erat Ruhnkenius, genioque magis obsequens: tempus à scholis liberum tribuebat amicis, circulis, coetibus, conviviis, rusticationi, omnino relaxationi: et fere diurnam hilaritatem nocturna lucubratione compensabat. Jam haec omnia ad strictiorem erant redigenda modum, ad uxoris amorem et rei familiaris usum accommodanda. Jam suae cuique negotio statutae dabantur horae: studiis matutinae et vesperti-
124 nae. Surgere mane: duas plerumque horas Literis stu-

(45) Homeri Il. γ, 156.

studere: tum duas vel tres habendis scholis transigere: inter has vel domo exire, vel quidvis aliud domi agere: porro, prandere: inde aut ipse ad amicos ventitare, aut illi ad ipsum: ambulare: sub vesperam domum redire: horam fere Literis dare, coenare cum uxore et liberis: dormitum abire. Tres tamen per hebdomadem dies à scholis vacabat, eorumque unum fere alterumque, ut antea, ita et tunc et postea, venationi dabat. Si quis paucitatem brevitatemque temporis studiis relicti cogitet, item reputet quantopere id imminutum distractumque fuerit multorum necessitate cum officiorum, Academicorum quidem, sed nil cum institutione et studiis commune habentium, adventitiorum nec nisi bonas horas intercipientium: tum negotiorum frequentia extraordinariorum, partim suorum, partim alienorum: tum salutatorum aliorumque interpellatorum importunitate: haec igitur si quis cogitet, is profecto non miretur, Ruhnkenium non plura edidisse doctrinae suae monumenta, sed potius miretur eum tam multa edidisse, ut numero paucis nostrae aetatis doctis hominibus cederet, bonitate tantum non omnes superaret.

Ergo quidquid integrum intactumque ab his quasi
temporum studiorumque Harpyiis auferre sibi ac ser-
vare posset otii, hoc Literis tribuebat et maxime qui- 125
dem Latinis: recte judicans sibi jam harum profes-
sionem tenenti faciundum esse, ut quid in iis posset,
aliquo specimine ostenderet. Et vero elegit sibi quos-
dam Scriptores quos aliquando emendatos illustratos-
que ederet, quorum adeo aliis in Scriptoribus et an-
tiquis et novis legendis excerpendisque rationem ha-
beret. Hi tres in primis fuerunt: Rutilius Lupus,
Vellejus Paterculus, de quibus infra dicemus: ter-

tius, Cornelius Nepos. Hunc enim secundum Ciceronem simplicis nativaeque venustatis caussa, maxime mirabatur: hujus dotes, cum propter corruptelas scripturae, tum propter ignorationem vel materiae vel proprietatis, minus quam par esset à multis percipi, et dolebat, et ut quoddam bonorum studiorum damnum moleste ferebat: cui resarciendo edere parabat Nepotem ad communem intelligentiam patefactum; ita ut caeteris quidem emendandi interpretandique muneribus breviter satisfaceret, praecipuum vero et maximum locum daret Graecorum Auctorum, è quibus historiae materiam sumsit Nepos, locis apponendis, Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Polybii, tum vero perditorum, Theopompi, Ephori, Timaei, Plistarchi, et si qui alii sunt; ut Latini rivuli cum Graecis fontibus comparari possent: quale fuit institutum Fulvii Ursini in Virgilio comparatione
126 Graecorum Scriptorum illustrato. Et quandoquidem in scriptura et manu Nepotis restituenda, è recentioribus unus in primis egregie versatus fuisset Joannes Michaël Heusingerus, diligentissimae vir doctrinae: ejusque disciplinae alumnus, fratris filius, Jacobus Fredericus Heusingerus earumdem doctrinae laudum socius et heres, haec studia gnaviter persequeretur, hunc jam antea epistolarum officio sibi conjunctum et familiarem Ruhnkenius hortabatur, ut patrui schedas sedulo perscrutaretur, si quid forte ineditum animadversionis ad Nepotem inveniret. Ita Heusingerus ad Nepotis studium excitatus, è bibliotheca Guelpherbytana protraxit inedita quaedam Nepotis fragmenta, quae postea (1766.) recusa, simul cum libello Mallii Theodori de Metris, Ruhnkenio inscripsit, editione facta Lugdunibatavorum. De his fragmentis

Heu-

Heusingero lis ac disceptatio, publice agitata contra-
riis scriptionibus, intercesserat cum Christiano Adol-
pho Klotzio, qui ea germana esse negaverat. Inter-
cesserat jam antea inter patruum Joannem Michaëlem
Heusingerum dissensio mutuaque reprehensio et Au-
gustinum Staverenum Nepotis editorem, Gymnasii
Lugdunobatavi Rectorem, Ruhnkenio ex illa homi-
num Scholasticorum offensione subiratum, qui se
item doctoris umbratici nomine significari crederet.
Ita Ruhnkenius, qui Heusingerorum laudem amici-
tiamque tueretur, nulla sua ipse culpa, inimicitiam 127
adversus se cum veterem Stavereni resuscitavit, tum
novam Klotzii excitavit. De hac infra verbo dicemus.

Ex illis, quos dixi, tribus Latinis Scriptoribus
primum edere destinabat Rutilium Lupum: ejusque
caussâ denuo legebat Oratores et Rhetores Graecos.
Rhetorum omnium, certe plerorumque, nec dum
seorsim editorum, adhuc una est editio Aldina, ea-
que perrara, ut paucis in publicis, paucissimis pri-
vatis, exstet bibliothecis, et Hemsterhusius ejus
exemplum, quovis pretio emere cupiens ac dedita
opera quaerens, per sexaginta annos nullo in biblio-
polio, nullo cujusquam in auctionis catalogo depre-
henderit. Ruhnkenius duo, quibus haec editio con-
tinetur volumina, rara felicitate, diverso utrumque
et loco et tempore, sibi comparaverat: et librum,
ut suum, eo majore cum otio ac diligentia tractabat.
Legens Apsinem, qui unus est ex illis Rhetoribus,
animadvertit, subito se in aliam orationem incidere,
similem eam Longini multo sibi usu cognitam: hu-
jus, ut progreditur, ita deinceps nova vestigia de-
prehendit, locum etiam sub Longini nomine memo-
ratum ab inedito Commentatore Aristidis Joanne Sice-

liota: nullum porro dubium relinquebatur, quin haec
esset pars *de Inventione*, è perdito Longini opere *de*
Arte Rhetorica. Ut vidit, ita ad Hemsterhusium
128 suum volavit, non tam ejus judicium exploraturus,
quam rem exploratam nunciaturus. Hic item, ut audiit
et locum inspexit, ita rationes Ruhnkenii probavit,
eumque monuit ut hujus inventionis laudem sibi
vindicaret, mentione ac notitia ejus in Diario Eruditorum
Gallico prodenda. Fecit Ruhnkenius. Libellum
porro cum scriptis codicibus contulit, emendavit,
et ad editionem fere paratum reliquit moriens.
Et ne hoc fugiat harum Literarum studiosos, hic est
ille *Rhetor* et *Longinus*, quem simpliciter his nominibus
significavit aliis deinde in scriptis, maxime in
altera Timaei editione. Simile quid se animadvertisse,
mihi narrabat, apud Photium in Agatharchide,
cujus excerpta errore librarii in duo diversa capita
esse divulsa, ut, interjectis aliis aliorum Scriptorum
excerptis, alterum caput suo auctori subtractum et
in alienum nomen migraverit. Sed hoc quale sit nondum
satis judicare potui; quandoquidem neutra in
Photii editione, Hoeschelii et Schotti, quid ad marginem
notatum, nec in peculiaribus adversariorum
schedis quidquam à Ruhnkenio significatum, adhuc
reperi.

Mortuo Albertio, quaerebatur qui affectum alterum
Hesychii volumen absolveret. Huic provinciae omnium
exspectatione et voluntate destinabatur Ruhnkenius.
Igitur, occupatus quamvis novae cathedrae
129 studiis et commentationibus, noluit hoc sive pietatis,
sive Literarum, munus defugere: et cum antea
vivo Albertio multum profuisset ad ornandum Hesychium,
ita tunc illo mortuo, egregiam eamque du-

pli-

plicem huic volumini dotem adjecit, alteram Animadversionum, cum in ea parte ubi defecerat Albertius, tum in Auctario ad calcem additarum, Praefationis alteram. Nam ab edito primo volumine ad obitum editoris sedecim fuerant anni: et interea Ruhnkenius insignem illam ineditorum copiam Grammaticorum cum aliunde, tum è bibliothecis Parisiensibus nactus erat, quorum comparatione Hesychium emendaret: in his Lexicon Rhetoricum, cujus compilator è pleniore, quam nunc est, Hesychii exemplo plurima sumsit, unde ejus scriptura et corrigatur et locupletetur. Quod Ruhnkenius in Praefatione manifesto demonstravit, ostendens Hesychium proposito suo, quod in Epistola ad Eulogium profitetur, satisfecisse, Lexicon ipsum postea ab aliis mutilatum et interpolatum esse. „Exortus enim erat," ut Ruhnkenii verbis utar „vir longe eruditissimus, et in Graecis Literis familiam ducens, qui, cum vidisset Hesychii Lexicon non respondere Epistolae ad Eulogium, statueret Lexicon quod nunc habemus, non esse majoris operis Epitomen, sed sic de auctoris sui manu exiisse, Epistolam autem ad Eulogium ab impostore Graeculo, qui dotes libri, quisquiliis à se 130
aucti, verbis exaggerandas et mendaciis commendandas putaret, illiberali mendacio esse confictam. Contra Albertius acutissimis viri excellentis amicique rationibus, quamvis etiam atque etiam à se perpensis, non movebatur, sed plura argumenta, quae receptam ab omnibus sententiam tuerentur, in praefatione huic volumini praemittenda expromere in animo habebat." Hoc igitur egit Ruhnkenius, Albertii sententiam explicans multisque rationibus confirmans. Erat autem ille *vir familiam in Graecis Literis ducens*, Valcke-

na-

narius, qui in Epistola ad M. Röverum, hanc suam suspicionem prodiderat, in eaque se postea perstitisse testatus est ad Theocritum Digress. IV. p. 299. Caeterum, Ruhnkenius in Animadversionibus et Auctario cum alios Hesychii locos expedivit, tum *de festis Dionysiorum diebus* praeclaram illam prodidit disputationem, qua eorum rationem impeditam antea et obscuram, varioque doctorum hominum dissensu turbatam expedivit et illustravit. Atque utraque disputatione illustre exhibuit specimen criticae facultatis illius, quae non solum in emendando, sed et interpretando ac disserendo cernitur, et propositam caussam ex argumentorum latebris et involucris per ancipites ac difficillimos dubitationum anfractus ad liquidum planumque deducit. Utramque probavit Hem-
131 sterhusio suo: nam is anni h. s. sexagesimi et quinti mense Augusto, quo Ruhnkenius Praefationi et operae Hesychianae finem imposuit, et corpore satis valebat, ut octogenarius, et ingenio vigebat ad judicandum, si quidem à monitore excitaretur: itaque ab hoc excitatus multas cum eo, et alias, et ad Hesychium ornandum, animadversiones communicavit. Sequente demum anno 1766, mense Aprili, diem obiit supremum.

Nam is fuit exitus Hemsterhusio, ut ei inscio nec sentienti mors obreperet: fuit enim haec ejusmodi quam Graeci *ἄβληχρον θάνατον* (46) vocant: non certus

(46) Homer. Od. λ, 132: ψ, 282. Plutarch. Pericle, p. 173. Aelian. Nat. Animal. IX. 11. ap. Suid. Voc. Ἄβληχρος. Hippocrates formam βληχρὸς sequitur: vid. Foesius Oecon. Hippocr. in Vocc. Valckenarius ad Theocriti Adoniaz. p. 218.

tus apparebat morbus, vires leniter sensimque deficiebant, succedente paulatim stupore. Ruhnkenius eum quotidie visitabat, et, ut antea, ita tunc, quoad cum eo agi posset, hortabatur, ut egregias animadversiones suas, quas scriptas in commentariis servabat, aut sibi daret, aut bibliothecae Lugdunobatavae legaret, aut certe quovis modo caveret ne interciderent. At Hemsterhusius etiam tum quum adhuc vigebat, quo magis aetate progrediebatur, eo sibi minus in Literis inventisque ipse suis satisfaciebat: et, licet quotidie in Antiquis Scriptoribus legendis versaretur, multorumque et emendationes et explicationes locorum continuo pareret, partasque annotaret scribendo, tamen inventa sua non digna censens quae
in lucem proferrentur, in commentariis ea premebat, 132
nec fere nisi diuturno convicio efflagitatus cum aliis communicabat. Atque tale fuisse Hemsterhusii jam inde à multo tempore negotium, duodecim ante illius mortem annis significavit Ruhnkenius in praefatione ad Timaeum. Huc accedebat, quod nullos haberet certos adversariorum libros, omnia singularibus in scidulis, veluti Sibyllae foliis, notaret: quas ipse senior, nisi multum quaerens, reperire non posset. Quae scidulae quum vivo Hemsterhusio vel extorqueri ei, vel ab aliis quamvis doctis hominibus investigari nequirent; Ruhnkenius filio illius et heredi, Francisco, persuasit, ut ipse patris commentarios et adversaria testamento bibliothecae Lugdunobatavae legaret, ejusque promissi fidem in Elogio patris (47) pu-

(47) Elog. Hemsterhusii p. 68. Caeterum, quae hic scripsi, corrigenda sunt aliquantum ex iis, quae postea in hoc libro prodidi p. 204.

publice testificari se sineret. Ibi enim hic locus, quasi testimonii auctoritate, ad communem omnium notitiam proditus est. At Ruhnkenii spem laboremque successus destituit. Nam vel filium Franciscum, qui obiit anno h. s. nonagesimo, mors occupavit anteaquam de promisso efficiendo cavisset, vel patris illa adversaria interciderunt: heredes certe nil ejusmodi invenerunt, quod ex testamento tradere bibliothecae Lugdunobatavae deberent. Ita magno et nostro dolore et Literarum damno, ille thesaurus, quod proverbio dicitur, in cineres abiit.

133 Hemsterhusio in Literarum Graecarum et Historiae Patriae cathedra successit Ludovicus Casparus Valckenarius, vir in paucis magnus, dignus tanto et decessore successor, et magistro discipulus. Ac si quod fuit tempus, quo auream Literarum aetatem censere posset Academia Lugdunobatava, hoc profecto fuit, quo collegam habuit et Hemsterhusius Ruhnkenium, et Ruhnkenius Valckenarium: sed magis etiam posterius hoc tempus. Nam prius illud et breve fuit, et in extremos incidit Hemsterhusii annos, quos torpor senilis obscuravit. Nunc succedebat Valckenarii vigor, non nisi septem annis Ruhnkenio majoris, aetate nisi florente, certe vegeta et ad omne Literarum disciplinaeque munus efficaci. Et vero, quamquam haec Academia inde fere ab ipsius incunabulis una omnium Academiarum maxime antiquae venustatis ac Literarum altrix et fuit et habita est, maximosque in eo genere habuit heroës, Lipsium, Scaligerum, Salmasium, Gronovium, Perizonium; tamen numquam tantos in utraque simul cathedra doctores habuit: quos non vereor dicere, habita quasi aestimatione ingenii, doctrinae, copiae, elegantiae, acuminis, et uni-

universae Literarum criticaeque facultatis, subductis rationibus, factaque totius laudis summa, illis heroibus nullo modo postponendos, immo nonnullis nominibus anteponendos esse. Sed Ruhnkenii Valcke- 134
nariique in pari fere laude dispar fuit ratio. Profecti ex eadem Hemsterhusii disciplina, hic in eam venerat ab Orientalium et sacrarum initiis Literarum è Schultensii et Venemae institutione: ille à Romanis Literis, Historiis, Jurisprudentia, è Ritteri Bergerique schola. In Graecis Literis haud facile dixeris quid alteri defuerit quod alteri adesset: et erat tamen quod alter altero magis tractasset. Uterque et Antiquos Scriptores omnes ea, quam laudavimus, ratione, eorumque recentiores interpretes criticos et antiquarios legerat omnes. Sed erat naturarum, et ipsorum inter se, et magistrum, dissimilitudo. In Hemsterhusio ratio dominabatur, ad inventionem sensim et quasi comparandis calculis progrediebatur. In Valckenario fere omnia erant ingenii, subito et velociter ad inventionem ferebatur, caussarum momenta magis sentiebat quam ponderabat. Ruhnkenius mediam inter utrumque habebat naturam: aderat impetus ingenii, aderat quae impetum regeret ratio: nec disserendi diligentia cedebat magistro, nec conjiciendi solertia condiscipulo: utraque illa dote valebat profecta ex pari et acuminis celeritate, et judicii subtilitate. Valckenarii mira fuit sagacitas in Poëtarum fragmentis per omnia Antiquitatis monumenta dispersis ac latentibus investigandis, excitandis, instaurandis: quo in Critices munere primus excelluit Scaliger, tum Bentle- 135
jus: cui ut Valckenarius, ita huic proximus fuit Ruhnkenius. Hic non contentus editis Veterum libris, ineditos etiam consectabatur omnes: Rhetorum,

Gram-

Grammaticorum, Scholiastarum, glossas cognitas perspectasque habebat, earumque fontes et quasi successiones unus omnium maxime tenebat. Valckenarius minus aliquanto ineditorum cupidus librorum, editis fere contentus, omnem item ex iis omnibus materiam excerpserat, eamque praeterea retulerat ad interiorem Linguae, Dialectorum, Analogiae et originum scientiam, qua ipsum adeo magistrum vel superaret vel certe aequaret. Idem in Critica etiam sacra, Historia Ecclesiastica, Patribus, valebat. Ruhnkenius, exceptis Patribus iis, qui aliquam cum doctrinae elegantia conjunctionem haberent, reliquum hoc genus leviter attingere maluerat, idque abunde compensabat Philosophorum, Interpretum Platonicorum et Aristotelicorum, Jureconsultorum, Historicorum, Antiquariorum, Numismatum et Inscriptionum, cognitione. Neuter tam praeclarum quid ediderat, quin alter, quoad naturarum diversitas ferebat, idem facere potuisse videretur, si eodem in argumento laborem operamque ponere voluisset: nec dubium erat quin alter alterius cathedram ornare posset, si ei ob-
136 tigisset. Hujus rei documentum Ruhnkenius facto et scriptis dedit: Valckenarius ut daret, locus tempusque non postularunt. Latinos Scriptores hic omnes legerat, indeque quidquid ad Graecos pertineret Scriptores illustrandos collegerat: Ruhnkenius, si quidem ea erat ei et muneris professio et juvenilis disciplina, uberius et ad interiorem criticamque rationem, in eoque genere princeps exstitit, quae ejus praecipua est laus: et Graecas, et Latinas Literas tamquam ἔργον et finem tractabat: Valckenarius Latinas ut πάρεργον, certe magis ut adjumentum, quam ut finem. Igitur, ut in robustissimorum pari athletarum, quo-

rum

rum alter est ἀμφιδέξιος, aeque manu valens utraque, alter dextera magis quam sinistra, summa tamen mensuraque virium in utroque aequalis constare videtur: ita hi viri, si in certamen invicem descendissent: quamquam ea erat in utroque et animi magnitudo, et mutua benivolentia, ut concertationis aut rivalitatis ne minima quidem in eorum mentibus vel cogitatio vel suspicio exsisteret: sed tamen si in certamen descendissent, in Ruhnkenio apparuissent et vires et concinnitas agilitasque in motu, quibus adversarium urgeret: Valckenarius suo ipse se pondere ac robore tueri, omnemque adversarii impetum confutare videretur.

Hoc in materia, majus etiam in forma erat discrimen. In scribendo explicandaque doctrina Ruhnkenius adhibebat delectum, ordinem, certam in rebus 137
disponendis ac disserendo rationem; unde in omnibus ejus scriptis legenti, quasi lux quaedam, oboritur perspicuitas intelligentiaeque facilitas: harum dotum Valckenarius nec rationem habebat, nec fructum consequebatur, expromendis reconditae doctrinae copiis unice contentus. Porro Ruhnkenius illi, de qua diximus, perspicuitati adjungebat Latinae orationis bonitatem, elegantiam, suavitatem, lumina, omnino eloquentiae commendationem; ut ejus scriptis nil in hoc genere sit vel jucundius lectu, vel magis ad alliciendum tenendumque studium legentis efficax; isque unus in paucis eorum sit, qui criticum argumentum scribendi dote exhilararent. Valckenarius Latinae orationis castitatem et elegantiam nec spernebat, nec prorsus negligebat, numquam tamen in ea assequenda praecipuum quoddam studium posuerat; igitur in scribendo neque curae multum neque temporis

M for-

formandae ornandaeque orationi tribuebat, verbis magis rarioribus ac poëticis quam propriis et usitatis delectabatur, et compositio fere dura impeditaque exibat; vix ut crederes, tantam in eo esse ingenii celeritatem. Huc accedebat alia diversitas. Valckenarius, ut magis etiam Hemsterhusius factitaverat, multos legebat hodiernos libros, et Belgicos et Francicos: Ruhnkenius etiam Italicos, Anglicos, Germa-
138 nicos, sed paucissimos, nec fere nisi eos, qui cum ipsius professione conjuncti essent, idque et breviter et celeriter, nec ad illas linguas discendas, sed ad res cognoscendas: à Germanice loquendi facultate desueverat, Belgicae Francicaeque linguae hactenus assueverat, quatenus satis esset ad quotidianum vitae communis usum: omnem scribendi diligentiam in una ponebat Latina oratione: et cum illa consuetudine, tum sua natura, id consecutus est, ut, quod ab initio diximus, immunis ab hujus saeculi labe, aurea Latinarum aetate Literarum in Latio natus institutusque videretur.

Sed haec erat eorum in scriptis diversitas: omnia in dicendo et agendo aliter apparebant. Ruhnkenii excellens orationis virtus minus agnoscebatur: non deërat dignitas in corporis forma, habitu, gestu, motu: aderant laterum vires, vox etiam aderat ampla cum robore et impetu: deërat vocis varia tractatio et soni suavitas, atque ita deërat, ut reliquis eloquentiae dotibus officeret. Valckenarius quum semel os ad dicendum aperuisset, nil jam in compositione impeditum, difficile, tortuosum apparebat: non quin adesset, sed quod naturali quadam agendi ac pronunciandi efficacia expeditum, facile, planum, redderetur: verba inusitata et poëticae dictiones jam decebant

bânt et ornabant prosam orationem. In vultu et oculis ea erat severitas ac sapientiae significatio, quae audientem exspectatione erigeret: vox gravis, sonora, 139
magnificentiae plena, ex intimo quasi pectoris fonte depromta, volvebat orationis flumen crebrum cum altis animi sensibus, tum sententiarum et luminibus et acuminibus, ut vere illud diceres, *Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore* (48): et cum per totam orationem audientes attentos et ex ore ipsius suspensos teneret, tum eos quasi tormento sententiae subinde percellebat. Memini me aliquando eum dicentem ita audire, ut, cum auferrer continuo orationis flumine, ad Euripideam (49) illam sententiam, quam Latine, nec nominato auctore pronunciabat, *Deus tacito ingrediens vestigio, secundum justitiam res tractat humanas:* hoc igitur memini ab eo ejusmodi affectu, eo oculorum quasi ardore pronunciari, ut veluti à Deo missum vatem et audire mihi et videre viderer, et, quod apud Poëtam (50) dicitur, *gelidus mihi per ossa curreret tremor.* Sed eamdem orationem legeres, nil jam sentires, frigeres: sensuum sententiarumque vim labefactabat dictionis compositionisque cum negligentia tum difficultas. Igitur Ruhnkenius lectus, Valckenarius auditus, magis placebat.

Caeterum in quotidiana vitae consuetudine quum uter-

(48) Horat. Carm. IV, 2, 8.

(49) In Troadibus, 886, celebratam à posteris:

Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν,
Προσηυξάμην σε· πάντα γὰρ, δι' ἀψόφου
Βαίνων κελεύθου, κατὰ δίκην τὰ θνητ' ἄγεις.

(50) Virgil. Aen. II, 120, *gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor.*

uterque suus nec alienus esset, nil affectationis haberet, mores, incessum, gestum, et omnino externum habitum ad nullius cujusquam, quem imitari vel-
140 lent, exemplum componerent, sed naturae ipsi suae obsequerentur; ita hominum tamen, qui eos non interius noscerent, diversa erant de utroque judicia. In Valckenario, ut fere in Hemsterhusio et Ernesto, natura omnia ad gravitatem finxerat; ut jam in juvene esset senilis forma: in Ruhnkenio contra, ad communem sensum ac facilitatem; ut, quod volebat, unus è multis videretur, et adhuc in sene juvenilis exstaret species. Itaque fiebat, ut vulgus, qui fere opinione et externo habitu movetur, Ruhnkenium Valckenario minus doctum putaret. Uterque praejudicatas vulgi opiniones et gloriolae vanitatem contemnebat: Valckenarius alto etiam animo eas despiciebat, et oratione exemploque ipse suo confutabat; unde factum est, ut numquam corporis vultusque sui imaginem pingi fingique voluerit; Agesilai (51) auctoritatem sequens vetantis amicos, ne ipsius facerent μιμηλὰν γραπτὰν ἢ πλαστάν. Ruhnkenius hoc in loco facilior indulgentiorque erat; ut, paucis ante obitum annis, amicorum precibus victus, pateretur imaginem suam pingi, et aere excusam in vulgus edi. Ruhnkenii per totam fere vitam, ut Socratis, idem erat animus, idem vultus. Valckenarius, quod magnis praesertim et heroicis ingeniis accidisse constat, nonnumquam intemperie quadam afficiebatur, quam με-
141 λαγχολίαν Graeci vocant, ut per aliquod tempus excitatior ferretur, tum ad se rediret, subtristis quasi ac taciturnus: naturae suae et consuetudini restituto ad-

(51) Plutarch. Vita Agesil. p. 596, F, et alibi.

admirabile inerat temperamentum gravitatis et jucunditatis, ut nil eo amabilius diceres. Neque tamen utriusque aut haec, aut reliqua, naturarum diversitas amicitiam eorum turbabat; quum uterque sibi eumdem proponeret virtutis ac doctrinae finem, alter alterum Literarum caussa magni faceret, hujus judicium et constantia voluntatem ingeniumque illius in mutua benivolentia retineret.

Proximus ab eo, quo Hemsterhusius obiit, annus Ruhnkenii (1767) periit Literarum studiis, quippe occupatus munere Rectoris Magnifici: hoc enim est nomen Professori quovis anno magistratum et fasces Academiae habenti. Ruhnkenius, vivo adhuc Hemsterhusio, constituerat eum aliquando mortuum scripto laudare. Jam ejus rei tempus et opportunitas sequente deinceps anno, Februarii die octavo, incidit oratione habenda more majorum Rectori abeunti illo magistratu. Huic orationi Ruhnkenius argumentum fecit Hemsterhusium. Atque hoc est illud *Hemsterhusii Elogium*, quo nil in omni elegantis doctrinae et eloquentiae genere recentior aetas perfectius absolutiusque vidit. Nam quum perfectam Critici formam in Hemsterhusio spectandam sibi proposuisset, ita ejus ingenium, doctrinam, animum, mores, expli- 142
cuit, ita Criticae vim praestantiamque declaravit, ita nativa illa ipsique propria Latinae orationis castitate ac venustate rem argumentumque illustravit; ut, quum dubitemus, plusne sit in ea scriptione, suavitatis, leporis, pulcritudinis, nitoris, an prudentiae, gravitatis, dignitatis, majestatis, jucundiorne sit lectu an fructuosior exemplo et institutione, illud non dubitemus affirmare, vere aureolum esse libellum, in

quo formando et Musae omnes et Gratiae conspirasse videantur.

Eodem anno edidit Rutilium Lupum de Figuris Sententiarum, cum Aquilae Romani et Julii Rufiniani de eodem argumento libellis. Rutilii opusculum, ex opere Graeco nunc perdito Gorgiae, ejus quem M. Cicero filius magistrum eloquentiae habuit, Latine versum fere negligebatur adhuc ab hominibus doctis, quamvis laudatum illud subinde à Quinctiliano, ac probandum et orationis bonitate et praeceptorum diligentia, tum vero magni aestimandum frequentia exemplorum Latine redditorum è Graecis Oratoribus, non solum Demosthene, Lysia, Hyperide, Dinarcho, Lycurgo, quos veteres Grammatici in decem classicis censuerunt Oratoribus, sed vero etiam ex Hegesia, Demetrio Phalereo, Charisio, Demochare, aliisque ex illo classicorum censu exclusis. Aliquan-
143 to minoris sunt momenti Aquila Romanus, rhetor è saeculo secundo extremo aut tertio, qui ex Alexandri Numenii superstite nunc libello nomina ac definitiones Figurarum sumsit, suppositis in exemplorum Graecorum locum Latinis: et Julius Rufinianus è Constantini aevo, qui exempla non fere habet nisi Ciceroniana et Virgiliana: quos Ruhnkenius et propter argumenti similitudinem, et priorum editionum auctoritatem, adjungendos Rutilio censebat. Ergo hanc Rhetorum editionem ita ornavit, ut quivis unus harum rerum peritus intelligeret, neminem nisi à Graecarum scientia Literarum profectum, nedum istos harum ignaros, Ruhnkenii obtrectatores, aut simile quidquam proferre, aut omnino Latinarum Literarum muneri professionique satisfacere posse. Principio, horum de Rhetorum rebus ac scriptis, antea fere igno-

ratis, in praefatione docte exquisiteque exponitur. Deinde ipsi libri ita tractantur, ut loci et corrupti acute emendentur, et obscuri docte illustrentur, et manifesto appareat Ruhnkenium in Latinis item Literis eadem, qua in Graecis, valere critica cum facultate tum doctrina, nullum non veterem Scriptorem Latinum, nullum non recentiorem Criticum et Grammaticum ab eo lectum, pertractatum, excerptum esse. Denique, quum interpretis et editoris partes provinciamque ita explevisset, ut accessioni nullus relictus 144
esse locus videretur, cumulavit etiam munus praeclara illa et singulari Historia Critica Oratorum Graecorum. Cujus quod fuerit consilium, quae caussa, utile et jucundum sit elegantis accurataeque doctrinae studiosis cognoscere.

Nam apud Graecos tempore adhuc Solonis, sexcentis ante vulgarem aeram annis, libri erant et pauci et rari, et hi fere oratione carmine ac numero ligata: docti, qui fuerant, homines, magis suo ipsi ingenio, studio, experientia, quam librorum lectione, exstiterant. Deinceps accedente prosae scriptione, utriusque orationis scriptores indies prodierunt multi: et crescente paulatim legendi scribendique studio, jam Aristotelis ac Demosthenis, et omnino Alexandri Macedonis, aevo, tantus ferebatur librorum numerus, ut eorum cognitio, interpretatio, censura, peculiarem postularet doctrinam et quasi provinciam, quam Grammatici et Critici sibi vindicabant. Porro, Graecis Literis totam obtinentibus Asiam et Aegyptum (52), constituendis instruendisque bibli-

(52) Quae per Alexandrum ejusque successores Graecis colonis frequentatae sunt. Nam qui antea jam fuerant Grae-

 ci

bliothecis, cum aliis multis in locis, tum Alexandriae et Pergami, invalescente quotidie scribentium numero, ingens librorum cum multitudo tum varietas, obesse magis quam prodesse bonis Literis et Eloquentiae videbatur. Quod ut caverent detrimentum, duo
145 summo ingenio et infinita doctrina Critici, Aristophanes Byzantius et Aristarchus, centum fere et quinquaginta post Alexandri aevum, totidemque ante nostram aeram annis, illam librorum multitudinem certo numero circumscribendam duxerunt, et veluti censu agendo cujusque generis optimos quosque Scriptores in suas classes redegerunt: quibus inde *Auctorum classicorum* nomen additum est; quippe qui soli justae classis auctoritatem obtinerent, quae tamquam lex et norma bene scribendi valeret. Igitur in hunc ordinem relati sunt (53) *Poëtae Heroici*, Homerus, He-

ci incolae in Sicilia, Italia, et maritima ora Asiae, Africae, Galliae, Hispaniae, aut aliis in regionibus, hos à nobis non excludi à communione Literarum, per se patet: nec moneri necesse erat in ipso libro. Hac annotatione monemus, tironum caussa.

(53) Hunc Scriptorum censum exhibuit Ruhnkenius in Historia Critica Orat. Gr. p. 94. sequens Quinctilianum Instit. Orat. X, 1: Grammaticum Bibliothecae Coislinianae p. 597, quem repetiit J. A. Fabricius B. G. Vol. IX. p. 599: et Proclum Chrestomath. p. 340, seq. qui non nisi Poëtarum quaedam genera recenset. Nemo, quod sciam, Veterum hunc catalogum, qualis ab Aristophane et Aristarcho confectus erat, nobis servavit, aut hos diserte auctores catalogi prodidit. Unus Quinctilianus ita de iis loquitur, ut non nisi per conjecturam colligatur, eum in enumerandis Scriptoribus crisin et catalogum illorum sequi: et tamen duobus locis ea dicit, quibus fere in eam opinionem ducaris, duumviros illos

Hesiodus, Pisander, Panyasis, Antimachus: *Jambici*, Archilochus, Simonides, Hipponax: *Elegiaci*, Cal-

los non nisi Poëtarum censum habuisse. v. c. p. 893: *Aristarchus atque Aristophanes, poëtarum judices, neminem sui temporis in ordinem redegerant.* et p. 895, — *tribus receptis Aristarchi judicio Scriptoribus Jamborum.* I, 4, p. 38, bipertitam facit Grammatici professionem, *recte loquendi scientiam et Poëtarum enarrationem:* quibus subjicit duas alias partes, *emendatam lectionem, et judicium: quo quidem ita severe usi sunt* (inquit) *veteres Grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subdititios summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.* Hoc loco item dubium videatur, utrum *auctorum* nomine solos Poëtas significaverit, an prosae Scriptores quoque complexus sit. Hoc tamen probabilius videtur. Proclus quidem l. l. et Isaacius Tzetzes in Prolegomenis ad Lycophronem, solos Poëtas recensent; sed utriusque hoc erat propositum. Constat Grammaticos in scholis non solum Poëtas sed prosae Scriptores enarrasse. Callimachus Democriti scriptis criticam grammaticamque operam tribuit: et alios clarissimos quosque recensuit: vid. Jonsius Scriptor. Hist. Phil. II, 5. Diomedes Lib. II. p. 421, Grammatico non solum *Poëtas* sed et *Scriptores*, id est, eos qui prosa oratione scripserunt, subjicit, auctorem, puto, sequens Varronem. Judicium est κρίσις et censura; qualem prodiderunt etiam praecipui rhetores: et praeter Quinctilianum, Dionysius Halicarnasseus, Opp. Rhet. p. 122, sequ: et Hermogenes de Formis Orat. II, 5: uterque veterum Grammaticorum in *Poëtis*, sed magis in *Scriptoribus*, censum secutus est. Aristophanem Byzantium quidem in Philosophorum etiam censura ac judicio versatum esse, inde colligitur, quod Platonem in Trilogias distribuit, teste Diogene Laërtio, III, 61: et quod Epicuri stilum reprehendit, eodem teste, X, 13. Credam igitur, fuisse quidem an-

Callinus, Mimnermus, Philetas, Callimachus: *Lyrici*, Alcman, Alcaeus, Sappho, Stesichorus, Pindarus, Bacchylides, Ibycus, Anacreon, Simonides: *Tragici*, Aeschylus, Sophocles, Euripides, Jon, Achaeus: *Comici* antiquae Comoediae, Epicharmus, Cratinus, Eupolis, Aristophanes, Pherecrates, Plato: *mediae*, Antiphanes, et Alexis: *novae*, Menander, Philippides, Diphilus, Philemon, Apollodorus: *Historici*, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Theopompus, Ephorus, Philistus, Anaximenes, Callisthenes, Clitarchus: *Oratores*, decem Attici, Antiphon, Andocides, Lysias, Isocrates, Isaeus, Aeschines, Lycurgus, Demosthenes, Hyperides,
146 Dinarchus: *Philosophi*, Plato, Xenophon, Aeschines, Aristoteles, Theophrastus. At hic ordo jam illum, ut credibile est, in modum ab Aristophane et Aristarcho constitutus, à posteris etiam aliorum nominibus Scriptorum auctus, ita in Oratoribus auctoritatem obtinuit, ut non nisi decem illi haberentur classici, reliqui, et Oratores, et omnino Scriptores, in illum ordinem non assumti, paulatim vulgo in oblivionem abirent, nec nisi eruditiorum Grammaticorum Rhetorumque cognitione studiisque retinerentur, suum sibi judicium sequentium, et non mi-

antiquitus talem canonem Auctorum ab Aristophane Byzantio et Aristarcho confectum, sed eumdem sensim ita auctum et mutatum à sequentibus Grammaticis, ut quid illorum duumvirorum, et quid cujusque sequentium esset, non amplius appareret. Caeterum, in Ruhnkenii indice p. 94, nescio quo casu, omissi sunt Philosophi: quorum tamen rationem habuerunt Dionysius Halicarnasseus, Quinctilianus, et Hermogenes.

minus ab exclusis quam classicis exempla sumentium:
quorum è numero fuit Gorgias. Omisso Antiphon-
te, de quo antea (a. 1765) doctum juvenem Petrum
van Spaan, edita singulari dissertatione (54), dis-
putantem ipse praeses produxerat: omisso igitur An-
tiphonte, Oratorum, quorum scripta in illa Historia
recensuit, sunt ad quinquaginta, singuli per singu-
las disputationes, quamvis breves, tamen suis nume-
ris absolutas, descripti. Harum unam nominasse sa-
tis sit, eam de Andocide et Phaeace, in qua dispu-
tatur adversus Jo. Taylorum. Hic Andocidi Oratio-
nem adversus Alcibiadem abjudicare, Phaeacique ad-
judicare conatus erat tantis ingenii doctrinaeque adhi-
bitis praesidiis, ut sententiam Hemsterhusio proba-
ret: Ruhnkenius non minore ingenio doctrinaque,
majore etiam acumine et subtilitate, rationes Taylori
confutavit, ut assentientem haberet Valckenarium,
et habiturus etiam fuisset Hemsterhusium, si is ad- 147
huc vixisset. Ergo et in hoc Ruhnkenius princeps
exstitit doctrinarum genere, quod unum est ad inge-
nii fructum et cognitionis suavitatem uberrimum:
Historiam Literarum dico, quae in rebus et libris
Veterum Scriptorum recensendis versatur. In hanc
quum ab omni tempore multi involaverint compilato-
res, qui non dubitarent de Scriptoribus garrire, quo-
rum scripta non legissent; paucissimi fuerunt, qui
eam cum propriae doctrinae copiis et facultate tracta-
rent. Quorum è numero principes censendi sunt qua-
tuor. Nam, ut Jo. Meursius priores omnes diligen-
tiae laude superavit, ita mox plus aliquanto judicii
at-

(54) Disputationem recusam adjecit Reiskius editioni Oratorum Atticorum Vol. VII. p. 795.

attulit G. Jo. Vossius: plus etiam Jo. Jonsius, omnes
et majores et minores superaturus, si vita ei longior
obtigisset: denique illorum copias suis auxit, totam-
que materiam explicuit, duplici in primis opere Bi-
bliothecae cum Graecae tum Latinae, J. A. Fabri-
cius, eoque sane unus omnium hoc saeculo doctorum
hominum de harum Literarum incrementis studiisque
optime maximeque meritus. His jam quintus acces-
sit Ruhnkenius scripta Oratorum Graecorum Critica
Historia. Et quandoquidem hi fere Attici fuerant
Oratores, constituebat Rhodiorum item et Asiatico-
rum historiam eadem ratione persequi: jamque appa-
148 ratum instruere adgrediebatur: porro Fabricianum
utrumque opus denuo edere, ac supplementis animad-
versionibusque locupletare destinabat: et destinatum
perfecisset, si vel alius eum ad opus urgendum inci-
tasset, vel ipse suo judicio non ad alia opera dudum
affecta perficienda revocatus fuisset (55).

Venio nunc ad illud tempus, quo nostra exstitit conjunctio, quum ego Ruhnkenio adhuc ignotus me ipse conciliavi scripta ad eum *Epistola Critica in Julianum, Eunapium, et Aristaenetum*, Goettingae, anno h. s. sexagesimo et nono: quae notitia sensim ad consuetudinem, familiaritatem, et intimam amicitiam crevit. Fuit enim Ruhnkenius mihi, ut ipsi Hemsterhusius, novae veluti vitae auctor: atque ut ip-

(55) Quum discipulos Literis strenue operantes, illo tempore plures haberet, unus Joannes Enschedéus, disputationem de Tutelis et Insignibus Navium, ejus auspiciis, et scripsit, et publice defendit, anno 1770. Sed de Enschedéo satis est quod diximus Biblioth. Crit. Vol. III. P. IV. p. 90.

ipse magna fuit mei pars, ita ego nonnulla ipsius: et in ipsius vita narranda me mei ipsum mentionem praetermittere ut alienum est à proposito, ita apud plerosque vel animi ingrati, vel intempestivae modestiae notam subeat. Nec tamen amplius de me dicam, quam ad Ruhnkenii res cognoscendas pertinet: quandoquidem de initiis studiorum meorum alio in libro tantum dixi, quantum temporis locique illius ratio postulabat.

Ego undeviginti annos natus, lecto Xenophonte, ad alterum Socraticae suavitatis fontem accedens Platonem, mirifico quodam hujus studio capiebar, non
solum ut legendo satiari non possem, sed ut animad- 149
versiones etiam in plerosque Dialogos, pro meo quidem captu illas et juveniles, sed, quoad ejus fieri posset, diligenter conscriberem, haud secus ac si scholas in Platonem habere constituissem. Hoc dum ago, venit forte ad me familiaris meus et amicus J. M. Hassenkampius, is qui superiore anno (1797.) in Rintelensi Academia Professor diem obiit, haud mediocri sane et meo cum dolore, et eruditioris Theologiae detrimento: is igitur ad me veniens libellum adfert, de cujus nec auctore nec editore adhuc vel in libris legeram, vel fando audiveram, *Timaei Lexicon Vocum Platonicarum cum animadversionibus Davidis Ruhnkenii:* narrat, se hunc sibi libellum comparasse ea opinione et spe, ut per eum juvaretur ad intelligentiam Dialogi Timaei, quem cognoscendi Platonis caussa legere instituisset: sed Dialogum quidem Timaeum non dilucidiorem reddi ope Lexici Timaei, et singularem habere difficultatem atque insolentiam rationum Mathematicarum: „his, inquit, difficultatibus fatigatus à Platonis lectione destiti: igitur hunc li-

libellum tibi do, cui forte plus utilitatis adferet, quip-
pe qui totum Platonem legere adgressus es." Et erat
ingeniosissimus juvenis Hassenkampius, Linguae
Graecae peritus ad eum finem ut legendis Scripto-
ribus res ac sensum facile assequeretur, et vero
150 Mathematicis studiis probe exercitatus, sed nimirum
in eo deceptus, quod legendi Platonis initium non à
Grammatica interpretatione, deinde quod à Dialogo
Timaeo, duceret. Ego libellum ut in manus accipio,
ita evolvo: miror commentarios amplos et eruditos,
quales numquam videram: quaero voces mihi notas
et à me meis in animadversionibus tractatas: paucas
invenio: sed quas invenio, eas video ejusmodi ratio-
ne expositas, ea luce illustratas, qualem quantamque
adhuc non cognoveram. Tum vero intelligere coepi
non solum per se ipsam fructuosam esse Platonis
lectionem ad mores, animum, ingenium, orationem,
disserendi elegantiam, interiorem Philosophiae et Li-
terarum Graecarum cognitionem: sed vero longe fru-
ctuosissimam ad omnes posteros et Graecos et Lati-
nos Scriptores recte intelligendos, quippe per hos
omnes et per universum antiquarum doctrinarum or-
bem longe lateque diffusam. Inde per complures dein-
ceps annos Timaei Lexicon mihi fuit enchiridion,
quod è manibus numquam ponerem, cujus mihi tam-
quam instrumento Platonis cognitionem patefacerem.
Nam hujus acriori in dies studio incitabar, ut eum
jam non solum animi sensu amarem, sed ratione ju-
dicioque diligerem. Ruhnkenium autem et amabam,
propter communem Platonis amorem, et diligebam
151 propter doctrinae fructum quotidie ex ejus Timaeo
perceptum: Ruhnkenium dies noctesque cogitabam:
Ruhnkenium in oculis ferebam: Ruhnkenium, ut
uni-

unicum doctorem et alterum patrem, colebam ignotus, et subinde legens ejus animadversiones, cogitationi ipsi meae indulgens, coram cum eo colloqui mihi videbar, mox à mentis errore ad me rediens illud usurpabam,

Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextrae jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces (56)?

Igitur non diutius vanum desiderium ferens, in animum induxi primo quoque tempore me ad viri notitiam proferre, scribendo ad eum edendoque libello. Sumsi Julianum, mox Plutarchum, aliosque illius aetatis Philosophos et Rhetores, quos ex Antiquis, in primis Platone, emendarem, exemplo ipsius Ruhnkenii in Animadversionibus ad Timaeum proposito. Biennio postea Goettingam veni, operaeque pretium feci, cum legendis Graecis Scriptoribus Scriptorumque editionibus iis, quibus adhuc aegre carueram, tum vero etiam conciliando meis studiis Heynio: qui, quum consilium ei aperuissem meum, me currentem incitavit, narrans quid ipsi officii gratiaeque cum Ruhnkenio intercederet: addens, se per literas meum ei libellum commendaturum: idque mox praestitit. Cae- 152
terum Ruhnkenius et nondum viso meo libello, ad literas meas humanissime respondit: et accepto lectoque, adeo mihi amanter scripsit, adeo ad laudem honorifice, adeo omni mea spe, opinione, merito, cumulatius, ut nil supra esse posset. Saepe in memoriam redeo ejus diei, quo die has accepi literas: ut eas legi, relegi, exosculatus sum: ut me per complures deinceps dies insolitus quidam nec stupori dissi-

(56) Virgil. Aen. I, 407.

similis, fatebor enim, placidae voluptatis affectus tenuit. Nec mirum. Diuturna quatuor annorum exspectatione, et quasi animi contractione, subito solvebar. Neminem adhuc habueram, qui meam operam agnosceret: paucos parcosque laudatores: multos mei studii reprehensores, ut inutilis ad vitae usum: omnem spem reposueram ad illud tempus, quo meam operam Ruhnkenio, Valckenario, horumque simillimis viris probassem, hujusque laudis exspectatione omnem et laboris mei aerumnam et imperitorum reprehensionem toleraveram. Nunc exspectatum illud tempus aderat, et uberrimum laudis animique fructum adferebat. Proximo anno (1770) Lugdunum veni. Quis meus fuerit sensus ad Ruhnkenii Valckenariique adspectum, quos absens ut Deos colueram, dictu est difficile: difficilius etiam, quae mea fuerit admiratio, quum tantam divinitatem cum
153 tanta humanitate conjunctam viderem. Cognoveram antea aliis in populis Professores, qui apud discipulos et indoctiores, saepe etiam apud aeque doctos ac doctiores, gravitatis et reconditae cujusdam sapientiae speciem affectarent. Tales ego homines numquam ferre poteram. Sed tamen, mecum ipse cogitabam, si ferendi sunt isti mores, in solis eos feram Lugdunobatavis duumviris: his concedam; hi si faciant, sumant superbiam quaesitam meritis. At nil quidquam istiusmodi in horum inerat moribus, nil supercilii, nil simulationis, nil nisi verum, simplex, modestum, nil non ad civilem et communem aequalitatem exactum, quam nemo ignorat, nemo non amplectitur, qui ex Veterum scriptis verum sapientiae fructum quaerit. Quae utriusque viri in me exstiterint beneficia cum doctrinae, tum amicitiae, referre

longum est. Lugduni annum fui, ventitans in eorum scholas, caeterum instruens editionem libelli Plutarchei De Sera Numinis Vindicta, libris nondum lectis legendis, et hujus bibliothecae scriptis codicibus conferendis. Interea Remonstrantium Societas quaerebat qui Amstelodami in illorum schola, magnorum sane Doctorum nominibus celebri, Literarum Philosophiaeque professionem susciperet. His ut mihi eam offerrent, mihique ut oblatam acciperem, persuadent
duumviri. Quam cathedram quum per octo annos 154
tenuissem, in aliam traducor Philosophiae in Illustri Amstelodamensium Athenaeo instauratae (1779): eamque sexto anno (1785) item commuto cum Literarum et Historiarum in eodem Athenaeo cathedra: post illum decimo quarto, altero post Ruhnkenii obitum, anno, hoc ipso nonagesimo nono, Lugdunum migro successor mortuo illi, cui vivo saepe collega destinatus invitatusque fuissem. Ac per totum illud Amstelodamense tempus, quum Amstelodamum primo patriaeque loco mihi esset, ubi nil desiderarem eorum quibus literati hominis otium ac felicitas censeretur: Lugdunum, una ex omnibus reliquis Batavae terrae urbibus, secundo mihi loco fuit, quam et amarem, ut studiorum meorum altricem, et lubenter inviserem, ut magistrorum meorum, amicissimorum virorum, stationem ac domicilium.

Caeterum, quae ante meum in hanc terram adventum fuerunt Ruhnkenii res, has cum ex ipsius, tum ex aliorum, sermonibus acceptas et memoria custoditas retuli: quae postea secutae sunt, earum ipse testis fui. Versabatur tunc in animadversionibus ad Xenophontea Socratis Memorabilia et Longinum conscribendis: his Toupii, illis Ernesti in gratiam. Igi-

tur et me sui caussa hos libros relegere, et si quid novae emendationis interpretationisve pepcrissem, cum ipso communicare, jubebat. Feci: measque no-
155 notulas ita ei tradidi, ut suo ipse judicio, nulla mei facta mentione, iis uteretur. Sed de ejus in Longinum animadversionibus postea dicemus: nunc de Xenophonteis verbo monendum videtur.

In plerorumque Veterum Scriptorum exemplis ad marginem cujusque loci notare solebat, cum suas, tum magis etiam aliorum emendationes, quae in illa editione non essent memoratae. Xenophontem peculiari quadam cura tractaverat, et in margine exempli Leunclaviani non modo illius, de quo diximus, generis annotationes scripserat, sed etiam omnes Grammaticorum ac fere Scriptorum locos notaverat, qui locos Xenophontis attigissent. Igitur ad Veteres plerosque Scriptores tractandos etiam si subito accederet, numquam imparatus accedebat. Porro Ernestum vehementer diligebat, cum quod ab illo ipse diligeretur, tum quod eos quaedam animi et elegantis doctrinae similitudo conjungeret: et quandoquidem is Xenophontea Memorabilia saepius edidisset, sed pro more ipse suo et levi apparatu; cupiebat Ruhnkenius Ernestum nova editione operae pretium facere suaeque ipsum existimationi apud peritos quidem judices consulere, eique, ad ornandam novam editionem, varias codicum scriptorum lectiones et suas ipse animadversiones submittebat: porro Valckenario persuadebat, ut et ipse suas annotationes adjungeret.
156 Sed hoc negotium similem fere, atque in Callimachea editione, habuit exitum. Nam Valckenarius dum Xenophontis locos attingebat, simul reprehendebat Ernestum, idque candide et simpliciter, sicubi eum

in

in priore editione errasse deprehenderet: itaque correctiones non magis in Xenophontem, quam in Ernestum, scribebat, sperans ea se diligentia bonam potius quam malam apud hunc gratiam initurum. Quod paulo secus evenit. Haec Ernesto censura minus grata accidebat: parum aberat quin totam Valckenarii operam ab instituta editione excluderet. Ruhnkenii tamen arbitrio factum est, ut partis, qua ipse corrigeretur, rationem haberet quantam ipse vellet, omissa Valckenarii mentione: at sub hujus nomine adderet libello reliquas annotationes, quae ad ipsum Xenophontem referrentur. Hae igitur unde ad hanc paucitatem ac brevitatem redierint, jam intelligitur. Ab illo tempore Valckenarium inter et Ernestum, quamquam nec antea fuerat amoris ardor, magis etiam fuit frigus et suspicio: quae ne sensim in majorem animorum disjunctionem abiret, mutua et cum utroque communis Ruhnkenii benivolentia effecit: qui naturali illa ipsique propria facilitate ac liberalitate utriusque erga ipsum amorem amicitiamque perpetuo retinuit. Adolescens utrumque ornaverat sibique conciliaverat inscribenda cuique Epistola Critica. A Val- 157
ckenario nil retulit ornamenti: nec inique tulit, vere judicans non voluntatem illi, sed opportunitatem defuisse. At retulit ab Ernesto, qui (1762) ad eum scripsit *Narrationem de Vita J. M. Gesneri*, repetitam postea in illius *Opusculis Oratoriis*. Cumque multae sint Ernesti hoc in genere scriptiones, per quas multorum civium suorum memoriam posteritati commendavit, eaeque omnes doctrina, ratione, oratione, egregiae: haec una inter omnes excellit eo nomine, quod in his Literis non modo à principe, sed de principe ad principem, scripta est.

Ad hoc usque tempus, quo primo Lugdunum ve-
ni, Ruhnkenio sospes fuit et incolumis domus. Uxor
adhuc florebat formae integritate: duae erant festivis-
simae filiolae ad praeclaram maturitatis spem succres-
centes. Ruhnkenius vulgo felix habebatur pater.
Ecce! unius anni proximi (1771) fatalis quaedam ca-
lamitas illam felicitatem in perpetuum afflixit. Uxor
tentatur aqua intercute: minor filia cum vitae pericu-
lo aegrotat: hac restituta, pater gravi morbo corri-
pitur: è quo vixdum convaluerat, quum uxor apo-
plexiâ quassatur, quae loquendi eam facultate, deni-
que visu, privat: mox minor filiola et ipsa oculorum
sensum penitus amittit. In tanta mali atrocitate, ca-
158 rissimorumque capitum clade, quis non pater aut
mente concidisset, aut moerore extabuisset, aut cer-
te dolori succubuisset? Ruhnkenium naturalis quae-
dam corporis nervorumque firmitas, et illa, de qua
saepe diximus, animi facilitas aequitasque sustentavit.
Principio ad repentinum quasi fulminis ictum attoni-
tus, stupore defigitur. Unde quum ad se ipsum et
consueta vitae negotia rediisset, ejusdem stuporis
subinde incidunt reditus, qui eum inter docendum
adeo è frequenti discentium auditorio abire cogunt.
Paulatim spes eum erigit restituendae uxoris et filio-
lae, quamquam vana illa; nam exhausto consumto-
que omni remediorum usu et experimento, utraque
in eadem clade hodieque vivit: sed tamen spes eum
erigit: huic succedit ratio, denique tempus et con-
suetudo, in quibus lenissimam efficacissimamque do-
loris medicinam aegris mortalibus constituit optima
parens natura, ejusque sapientissimus auctor Deus.
Ruhnkenius suae sensim sorti assuescit, uxoris filio-
laeque cladem integritate et flore majoris filiae com-

pen-

pensat, intermissa Literarum studia repetit, renascentem subinde dolorem suavitate doctrinae abstergit.

Et quasi fortuna omnia experiretur quibus Ruhnkenii constantiam labefactaret, sub idem ei tempus alias objecit aegritudinum caussas, leviores quidem, sed tamen haud mediocris illas momenti ad deprimendum animum, si ad graviorum pondus calamitatum 159
accesserint. Homines quidam docti, partim inimici, partim laudum ejus obtrectatores, in libris publice editis cum acerbitate et malevolentia in eum invehebantur. Erat illorum temporum aequalis Christianus Adolphus Klotzius, homo perelegantis, sed inquieti et contentiosi, ingenii: qui per libellos cum Burmanno bellum gerebat, sociosque sibi Ernestum et Ruhnkenium adjungere cupiebat: quorum in utroque frustra fuit. Ruhnkenius, quamquam à Burmanno laesus, tamen nec bellum volebat, nec vindicem adolescentem recens evolantem, in quodvis argumentum et quosvis homines involantem, ipse jam veteranus et accuratae doctrinae, tamquam gravis armaturae nec velitariae, ordinem ducens. Huc accedebat, quod ipsius amico, Jacobo Frederico Heusingero, aliquid inimicitiae, ut supra dixi, cum Klotzio suberat. Igitur hic non desinebat Ernestum et Ruhnkenium lacessere: erat enim eo ingenio, ut medios etiam, ac neutram partem sequentes, hostium numero haberet. Uterque tacebat. Norant enim, se nulla re alia nisi silentio ulcisci posse hominem, qui quovis pacto in alterutram partem, sive amicus sive hostis, nominari ac memorari vellet, neque quidquam iniquius ferret quam taceri se nullamque sui rationem haberi. Igitur scripsit alicubi, Ernestum nullo in numero esse Criticum, qui nil nisi *notulas* 160

adspergere Auctoribus sciret: hanc enim dictionem Ernestus in titulo Homericae editionis posuerat. Ruhnkenii autem reprehendendi occasionem arripuit prodenda in Actis Literariis iniqua et malevola censura Amoenitatum Literariarum Medenbachii Wakkeri, juvenis doctissimi, nunc Zwollano Gymnasio praefecti meritissimi, qui Ruhnkenio praeceptori suo hunc libellum inscripserat. Paucis mensibus interjectis obiit Klotzius, dubium majorine Literarum bono an damno: bono, si quidem in eadem lacessendi libidine perseverasset: malo, quippe si aliquando deferbuisset, ad sanioremque rationem rediisset, magnum Literis emolumentum futurus. Secuti sunt deinceps alii reprehensores magis acerbi quam festivi, Burmannus Anthologiae Latinae volumine altero, Schraderus in Emendationibus, uterque recente adhuc domestico vulnere Ruhnkenii, quorum ipse quasdam sive observationes sive emendationes reprehenderat in animadversionibus ad Rutilium Lupum. Sed illos omnes facile contemnebat. Magis movebatur animadvertens amicos quosdam suos inimicis arridere, ipsum irridere. Nolo horum nomina prodere: erant certe qui se Ruhnkenii amicos dici haberique vellent, iique in Literis haud obscuri. Erat et alius amicus, homo semidoctus, qui et ipse aliquis esse
161 vellet, et à Ruhnkenio saepe admonitus, ut tum demum de Literis judicaret, quum eas bene didicisset, admonitionem inique accipiens, eam male dicendo ulcisci adgrederetur, arripiens calumniam sermonibus imperitorum jactatam de Ruhnkenii scholis ut minus jucundis ad sensum profectusque adolescentium, eique non modo Klotzium, Burmannum, Schraderum, sed nescio quem Scholae Rectorem anteponeret, qui

di-

discentium animos enthusiasmo, ut ajebat, incenderent. Atqui iste illorum laudator tantillus erat homunculus, qui, quanta in Ruhnkenio esset doctrinae copia, quantaque ingenii magnitudo, ne suspicari quidem posset: et tamen apud imperitos veluti censor de Professorum meritis laudibusque statuebat, magnaque auctoritate valebat. Quis nostrum, si istiusmodi judicibus subjiciamur, non

Ultra Sauromatas fugere hinc velit et glacialem
Oceanum (57)?

Ruhnkenius suae se virtutis conscientia et recte sentientium testimonio tuebatur. Omnium peritorum judicio ea erat aetate, ingenii doctrinaeque magnitudine, ut non amplius deberet erudire tirones, sed docere veteranos et ipsos doctores, ac tamquam Musarum antistes non rudem et profanam turbam instituere, sed initiatos ad ἐποπτικὰ et interiora mysteria adducere, omnino Atheniensium exemplo, ut civis de 162
patria egregie meritus, confectis stipendiis, publice in Prytaneo ali. Hoc se testimonio sustentabat. Attamen durum accidebat amicos experiri perfidos, quos fidos duxisset. Quid enim nisi perfidos appellemus istiusmodi amicos? si quidem vera amicitia nullam fert ἐπιχαιρεκακίαν, nullam malevolentiam, nullam invidiam, irrisionem nullam. Hoc unum satis valuisset ad domesticae calamitatis sensum augendum, nisi tanta ipse fuisset animi constantia. Quid igitur? cognita istorum perfidia, hunc dolorem magnitudine veteris doloris obruebat, Ulyssis (58) exemplo,

Στή-

(57) Juvenal. Sat. II., 1.
(58) Odyss. υ, 17.

Στῆθος δὲ πλήξας, κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ,
Τέτλαθι δὴ, κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο πότ' ἔτλης.

Ruhnkenius intermissa Literarum studia repetens (1772), Vellejo praecipuas tribuit partes, cui edendo jam pridem proximum quodque destinaverat tempus: nec tamen opus uno tenore urget, ad aliud deinceps et aliud inductus, tamquam viae diverticulum; cum ad locupletanda poliendaque vetera, Epistolas Criticas et Timaeum, tum ad affecta perficienda, in quibus erant in primis Longinus et Scholiastes Platonis. Nam Scholia Veterum Grammaticorum in Platonem (59), quae adhuc nulla erant edita,
163 sed in codicibus scriptis vel peculiaribus, vel Platonicis, exstant, magna cum cura, omnibus fere Europae ex bibliothecis collegerat, eaque unum in corpus digerere et commentariis illustrare constituerat. Accidit tunc, ut ei nil tale exspectanti literae rederentur Parisini juvenis adhuc ipsi ignoti, Villoisoni, Scholiorum illorum accessiones mittentis, caeterum scribentis se Apollonii Lexicon Homericum (60) propediem edere, et porro Graecis Literis operari, constituisse; igitur utriusque propositi rite perficiendi se consilium rationemque unice à Ruhnkenio expe-

(59) Pars eorum illa, quae exstat in codice Veneto, prodiit nuper in formae octavae libello, inscripto, *Anecdota Graeca è praestantissimis Italicarum bibliothecarum codicibus descripsit Joann. Philipp. Siebenkees: edidit et praefatus est Joann. Adam. Goez. Norimberg.* 1798.

(60) Prodiit Parisiis, 1773, forma quarta. Jam antea edendum sibi sumserat, et edidit anno 1788, in octava forma, Hermannus Tollius, vir doctissimus, quondam collega meus in Amstelodamensi Athenaeo.

petere, Hic tanta juvenis eruditione et humanitate magnopere laetatus, ei nec monendo nec docendo defuit, eumque, quantum potuit, non destitit in rectam studiorum viam convertere, relictam ab ejus civibus hoc saeculo, sed antea tritam et frequentatam, è qua Scaligeri, Casauboni, Salmasii, Valesii, aliique multi prodierunt, qui et Galliam et bonas Literas illustrarunt. Et vero in aliis Europae regionibus juvenes Literarum studiosi complures excitati fama ac doctrina Ruhnkenii, se ad ejus auctoritatem contulerunt; nam idem hoc tempus et Villoisonum ei conciliavit, et Herelium Noribergensem, et Hottingerum Turicensem, elegantissimae adolescentes doctrinae, multis in publicum proditis speciminibus claros nunc viros. Hujusmodi notitiarum amicitiarumque ultro oblatarum suavitas multum valebat ad moerorem do- 164
mesticae calamitatis, subinde revirescentem, paulatim sanandum et penitus abluendum.

Attulit sequens annus (1773), gratum literatae civitati munus operâ in primis Ruhnkenii. In Literarum statoribus et interpretibus Ciceronis qui saeculo decimo sexto floruerunt, magnum est nomen Sebastiani Corradi, cum aliis in hoc genere operibus clari, tum edita *Quaestura*, libello et elegantissime scripto, et ad Ciceronis intelligentiam utilissimo. Hujus duas esse partes, in neutrius titulo significatum erat; unde factum, ut prior pars in hominum oblivionem abiret ejusque exempla fere interirent. Hoc non fugiebat Ruhnkenium: unde Ernestus et didicit, et alterius partis exemplum accepit, et utramque uno volumine edidit Lipsiae, beneficii auctorem in praefatione memorans his verbis: „omnibus aliam, quam quae vulgo fertur, Quaesturam ignorantibus, —

mihi Davides Ruhnkenius, vir tum aliarum, tum Graecarum Literarum scientia exquisita praeditus, indicavit esse et aliam Quaesturam, ignoratam doctissimis hominibus, sine qua manca esset nova illa; ejusque exemplum se ab amico sumturum missurumque, si vellem, promisit. Cujus promissi mox fidem liberavit, nobisque facultatem hanc dedit, ut Quaestu-
165 ram totam edere doctosque homines munusculo, ut speramus, non ingrato afficere possemus." Caeterum in hac Ernestina editione accidit negligentiâ vel librarii vel aliorum, ut posterior Quaestura priori praeponeretur, et plura, quam par erat, operarum vitia relinquerentur. Amicus ille à quo Ruhnkenius librum sumsit, erat Nicolaus Hopfius (61), Bernas Helvetius, civis meus, vir elegantis doctrinae, cum universae, tum Graecae et Latinae, qui tum privatus senectutem Hagae in literato degebat otio. Hujus familiaritatem et amicitiam studiose colebat Ruhnkenius, eumque sibi, post Bergerum quidem, ducem ad rariorum librorum cognitionem exstitisse, praedicare solebat. De Hopfio memini patrem mihi meum narrare, quum diceret, se puerum Bernae illum jam adolescentem Graecarum Literarum laude florentem cognovisse, ejusque exemplo ad eamdem laudem capessendam incitatum fuisse. Sed de patre meo, optimo viro, cui, quod ipsa vita majus est, Literarum amorem excolendique ingenii initia debui, non
est

(61) Videatur Christoph. Saxius, Trajectinae Academiae et omnino Antiquarum Literarum, egregium decus, idemque rarum exemplum vegetae et studiis exhilaratae senectutis: in libro utilissimo, Onomastico Literario, Vol. I. p. 155. et Vol. VII. p. 93.

est quod hoc loco plura dicam; quandoquidem alibi dixi de illius Elogio, quod scripsit J. Christianus Bangius (62), egregia vir et Antiquarum Literarum scientia, et Latinae orationis facultate, sed exteris magis quam civibus ipse suis cognitus.

Venit denique tempus, quo Ruhnkenius illam etiam
doctrinae suae partem, quae exquisita librorum co- 166
gnitione constabat, publico munere et profiteretur et expromeret, mortuo Abrahamo Gronovio (1774) succedens in praefectura bibliothecae Lugdunobatavae. Huic adhuc vivo quum Curatores successorem destinare vellent; uterque Literarum Professor, et Ruhnkenius et Valckenarius, provinciam petebant, nulla illi obtrectatione aut invidia, quae in hos viros non cadebat, sed potius certo judicio et amicitia, ut eo certius alter omnino eam auferret. Igitur et Valckenarius huic delatam praefecturam ex animo gratulatus est: et Ruhnkenius, cum illi, tum reliquis Professoribus gratissimum fecit, partim facilitate in impertiendo expediendoque librorum usu, partim gratia apud Curatores in impetranda extraordinaria pecunia emundis bonis libris. Caeterum in augendae locupletandaeque bibliothecae studio perstitit, quam diu sperabat fore, ut illa tandem ex hac loci angustia in amplius et cum ipsius praestantia, tum Academiae fama, dignum domicilium traduceretur. Quae spes quum aliquoties eum fefellisset, quumque animadverteret quotidie, libros ita constipandos esse, ut vix usus et cognitio eorum amplius constaret, nec in hac angustia se operae pretium facere posse; curam instruendae, disponendae, explicandaeque bibliothecae,

(62) Biblioth. Crit. Vol. II. Part. II. p. 138.

cae, futuro successori reliquit. At item deinceps
167 successor successori hanc relinquere curam cogetur,
quamdiu his in loci angustiis bibliotheca relicta fuerit.

Deinceps fuit saecularis Academiae Lugdunobatavae annus alter (1775). Acti sunt dies festi duo Nonis Februariis et postridie. In iis Ruhnkenii, quod quis miretur, quamvis Eloquentiae Professoris, nullae fuerunt partes vel in dicendo vel in scribendo: fuerunt quaedam in praefectura spectaculi pyrotechnici. Sed ipse agnovit, in distribuendis temporibus, personis, actionibus, quaedam admissa fuisse, quae posteritas caveret. In Oratoribus dubium erat, utrum dicentium an audientium patientiam magis mirareris. Accidebat illud Horatianum (63),

> Si foret in terris, rideret Democritus: —
> Dicentes autem narrare putaret asello
> Fabellam surdo: nam quae pervincere voces
> Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra:
> Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuscum.

Qui primus in suggestum adscendit Professor, per tres horas dixit, nemine audiente; et post hunc item alii. Insolita multitudo exterorum, et doctorum hominum et indoctorum, adfluxerat ex tota undique terra Batava, haud secus atque apud Graecos ad ludorum Olympicorum celebritatem. Hospitum nulla habebatur ratio: Professoribus aliarum Academiarum
168 locus ad sedendum non erat datus: si quidem audire
vellent, debebant se stanti turbae immiscere et dubiam experiri sortem. Hos aliosque errores secum reputans Ruhnkenius. „ Ista, ajebat, ne rursus accidant, posteritas monenda est; neque enim sua fe-
stis

(63) Ep. II, 1, 194.

stis diebus hilaritas constare potest, nisi si adsit modestia, opportunitas, varietas, elegantia, hospitalitas."

Animadversiones suas in Longinum miserat Jo. Toupio, Britanno, novam illius Scriptoris editionem molienti. Postea subinde eum facti poenituit. Primum, animadverterat illum priorum Criticorum copiis parum liberaliter uti: qui, licet ipse acutissimo ingenio et interiore Graecae linguae scientia praeditus, quibus propriam sibi gloriam parere posset, tamen alienam saepe surriperet. Sunt enim in ejus emendationibus haud paucae hujusmodi in quibus Antiqui Scriptoris locum jam à Casaubono, Valckenario, Ruhnkenio, aut aliis, egregie emendatum, levissime addito τε vel δὲ, similive correctiuncula, mutat, tum totum veluti à se solo perpurgatum, apponit, cum tali fere formula, *ita legendus hic locus*, *in quo emendando magni viri parum viderunt*. Ruhnkenius quidem postea in altera editione Epistolarum Criticarum et Timaei, suas ipse correctiones vindicavit, Toupii morem leniter perstringens: tunc vero verebatur, ne Longinianis animadversionibus idem 169
eveniret. Porro, non ferebat tarditatem editionis, jam ultra sextum annum tractae. Igitur Dissertationem *de Vita et Scriptis Longini*, quam antea, item scriptam, Toupio mittere constituerat, seorsum ipse edidit Lugdunibatavorum anno h. s. septuagesimo sexto. Hanc equidem non dubito immortalem appellare. Similem operam Porphyrio, condiscipulo et aequali Longini, navaverat superiore saeculo Lucas Holstenius, eruditissimus vir: et, judice Ruhnkenio, ita rem gesserat, ut primus hujusmodi historiae bene scribendae exemplum daret. Ruhnkenius Holste-

stenium cum materiae copia, tum certe formae ele-
gantia superavit. Nam, in materia nullum erat vete-
rum genus monumentorum, nullum Graecorum Lati-
norumque Scriptorum, nullum Grammaticorum Scho-
liastarumve, cum editorum, tum ineditorum, genus,
quin id Ruhnkenius legendo pertractasset, unde re-
conditas, nemini cognitas, fere emortuas, cum re-
rum gestarum notitias, tum doctrinarum reliquias ex-
promeret. Deinde in forma, disponendis partibus ad
perspicuitatem, et quasi membris ad quamdam cor-
poris integritatem componendis, ad historicam ratio-
nem conformandis, Ruhnkenius et natura et usu va-
lebat: alter de hoc officio ne cogitasse quidem vide-
tur: et à bene scribendi facultate, quae in Ruhnke-
170 nio summa fuit, tantum abfuit, vix ut ad eam adspi-
raret. Denique à judicii sanitate et elegantia illum
superstitio saepe avertit; Ruhnkenium quod averte-
ret, nil fuit. Igitur hic ejus libellus apud intelligen-
tissimos judices, triplicis artis, Historiae, Criticae,
Eloquentiae, palmam tulit.

Bibliothecam Criticam scribere instituenti (1777), primum dissuasor mihi, deinde suasor fuit consilii: cujus postea neutrum poenituit. Nam nisi publice Literarum studiis profuit, privatim certe nostra invicem sermonum epistolarumque commercia frequentiora reddidit: quibus et ille, quo erat erga me amore, magnopere se delectari fatebatur, et ego cum scribendi exercitatione, tum illius monitis ac praeceptis aliquantum ad judicii, doctrinae, et orationis, facultatem profeci.

Tum Burmannus Secundus, abdicata Amstelodamensi cathedra, reliquum vitae otiaturus in Santhorstanum suum concessit, ac per viciniae opportu-

ni-

nitatem, opera communis amici Laurentii Santenii, cum Ruhnkenio in gratiam rediit. Cathedram ejus tres in primis petebant candidati. Ipse Curatoribus commendabat Santenium: me Valckenarius, et grata quaedam civium opinio, quod per sex annos juventuti Literarum et Philosophiae institutione profuissem. Tulit Tollius. Ruhnkenius nemini trium operam suam praestare voluit; quod peraeque ejus fuissemus 171
discipuli: mihi tamen in aurem dicebat, se ampliori me loco destinasse: hoc ejusmodi erat, ut aut ipsi aliquando, aut Valckenario succederem.

Oderici libellus quo Graeca Inscriptio, scenicam Didascaliam continens, illustratur, et Ruhnkenii sententia de festis Bacchi Atticis, prodita in Auctario ad Hesychium, reprehenditur, Romae editus (1777), et recens ad nos delatus, jucundus ei magis fuit propter doctrinae elegantiam, quam injucundus ob editoris dissensum. Omnino leniter ferebat dissentientes, si cum rerum scientia modestiam adferrent. Quo lubentius partes ab eo mihi delatas suscepi, ut Bibliothecae Criticae Vol. II. Part. III., sententiam de libello dicerem et libere pronunciarem, sive secundum ipsum, sive secundum Odericum. Feci: et ponderatis omnibus Veterum locis ad certamque interpretationem exactis, Ruhnkenii sententia *Lenaea* eadem esse quae Anthesteria, probabilior mihi visa est, quam Oderici aliorumque opinio *Lenaea* eadem esse quae Rustica. Dico, probabiliorem eam mihi visam esse. Nam postea saepe intellexi, vanum esse eorum studium, qui in Historia et Antiquitate certum quid pronunciant de rebus monumentorum vel penuria obscuris vel dissensu impeditis: ubi unum est Critici munus judicare quae, ex pluribus dubiis opinio-

172 nionibus, minus quam reliquae sit dubia. Caeterum Ruhnkenius paucis ante obitum mensibus non sine voluptate cognovit, sententiam suam nuper confirmatam esse nova auctoritate Inscriptionis antea ignotae, primum editae à Barthelemio, illo Anacharsidis scriptore, egregiae sene doctrinae, qui non multo post ipsum eamdem proposuerat sententiam in Memoriis Academiae Inscriptionum, Tomo XXXIX.

Accidit ei mox novae suavitas notitiae cum Christiano Friderico Matthaei, viro in his Literis excellenter versato, Gymnasiorum Universitatis Moscuensis Rectore: qui Ruhnkenio ignotus duos à se repertos misit Hymnos Homericos: de quibus postea dicemus. Et vero Matthaei industria et humanitas in excutiendis et prodendis Moscuensium Bibliothecarum scriptis codicibus, egregie merita est ut de multorum doctorum hominum in Veteres Graecos Scriptores, tum de meis in Plutarchum, studiis: cujus beneficii gratum ei animum ut in Praefatione Plutarchea testatus sum, ita nunc quoque testor.

Toupii Longinus tandem prodiit (1778): nec exemplum editoris nomine ad Ruhnkenium venit, qui suo id aere emere debuit, licet plurima editioni ornamenta contulisset, Dissertationem de Vita et Scriptis Longini supra memoratam à nobis, et Animad-
173 versiones quae paginas viginti explent, tantumque medelae ac lucis ab exquisita doctrina ductae afferunt Longino, quantum vix ullus attulerat Editorum. Sed de his non est quod plura nunc dicamus; quandoquidem vim praestantiamque earum explicuimus peculiari censura prodita Bibliothecae Criticae Vol. I. Part. III.

Valuit tum Ruhnkenii amor et auctoritas, ad me in Batava terra retinendum: absque eo factum esset, ut

eam

eam relinquerem. Vitae commode agendae illo, quo eram, loco difficultas: superioris anni offensio subinde animo objiciens illud, *Nil profuit pietas* (64): oblatae apud exteros stationes per opportunitatem itineris ad patrem senem suscepti: haec omnia vehementer me movebant. Vehementius tamen movit Ruhnkenii et libertatis Batavae cogitatio.

Per idem tempus Cornelius Oudendorpius, Francisci quondam Professoris Lugdunibatavi filius, sacerdos pagi Sassenhemi, Frontini editionem à patre factam, novis ejusdem animadversionibus auctiorem emendatioremque repetere instituebat: eoque in opere multum se à Ruhnkenio consilio et re adjutum fuisse, professus est in praefatione novae editionis, quae proximo anno (1779) prodiit, et à nobis censa est Bibliothecae Criticae Vol. I. Part. IV.

Vellejum jam ante quadriennium edere instituerat, prima plagula excudenda, speciminis loco. Charta 174
erat proba et candida: sed ejus copiam dum frustra exspectat librarius, excudendi negotium differtur. Ruhnkenius moram ad locupletandas animadversiones confert: tamen ejus impatiens, editionem urget; unde factum, ut minus proba, certe subfusca, in charta protruderetur Vellejus (1779). Hoc Ruhnkenii opus non dubito palmarium appellare; quippe quo prioribus editoribus, in iisque ipsi Latinarum Literarum principi, Justo Lipsio, palmam eripuit. Huic enim quum nec emendandi felicitate, nec Latinae ora-

(64) Proverbiale: ductum è similibus Veterum. v. c. Virgil. Cul. 224: *Praemia sunt pietatis ubi?* Propert. III, 18, 11: *Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi mater* —.

orationis interiore scientia et apparatu, nec exquisitis omnis Antiquitatis et Historiae copiis cederet; in Graecis certe Literis, sine quibus Latinae sibi constare nequeunt, tantum praestitit, quantum mediocriter tincto perfectus. Nolo nunc reponere, quae in hujus operis censura, Bibliothecae Criticae Vol. I. Part. IV. copiose exposui. Illud non injucundum sit, ipsius verbis cognoscere quid de Goettingensi recensione, cujus exemplum tum recens allatum ei miseram, mihi responderit: sic igitur scripsit: „Multum Te amo de recensione Goettingensi, in qua plus laudis mihi tribuitur, quam speraram. Quod censor dicit, me chronologica parcius attigisse, nolui recoquere quae bene et copiose disputata essent ab aliis Velleji interpretibus. Numeros etiam mendosos,
175 sicut erant in editione principe, dedita opera reliqui, ubi nullus certus numerus, qui reponi posset, sive à me, sive ab aliis, erat repertus. Semper tutius est in hanc partem peccare. Caeterum, censor sibi visus est non nulla glossemata post me in textu deprehendisse. Quorum ego ne unum quidem pro glossemate habeo. Neque enim licet verba corrupta, tamquam glossema, ejicere, nisi demonstrari possit cui rei explicandae inservierint, et quomodo de margine in textum venerint. Illud autem mihi permirum accidit in monstrosis verbis (II, 82) *Libium in Caesare et rep.* glossema quaeri, nec sentiri emendationis meae praestantiam. Adeo pauci sunt, qui de bonis correctionibus bene judicare possint."

Tria sibi hoc anno laeta obtigisse narrare solebat. Primum, quod sua commendatione Schultensium nostrum, patri mortuo successorem, ex Amstelodamensi cathedra in Lugdunobatavam traduxisset; hic

enim

enim ipsum haud secus ac parentem colebat, et ipse illius candore et suavitate summopere delectabatur. Alterum, quod me firmiore jam vinculo ad Batavam terram adstringi vidisset, delata mihi in Amstelodamensi Athenaeo Philosophiae professione, ubi ipse me in potestate et conspectu haberet. Tertium, quamquam illud et levius, et subtriste Burmanni obitu, superiore anno mortui, quod ex locupletissima ejus bibliotheca, per auctionem divendita, multos 178
optimosque libros Lugdunobatavae bibliothecae comparasset.

Hymnos Homericos edidit sub initium proximi anni (1780), ita ornatos politosque critica doctrina, ut tam brevi tempore nemo posset, nisi qui rerum scientia, et infinita propemodum, et illa promta ac parata, valeret. Mox cognito, versus defuisse complures in exemplo scripto ad se misso, ac proinde item deësse in hac editione; eam abolevit, et aliam integramque Epistolis Criticis mox denuo edendis adjiciendam destinavit.

Cibo potuque, si quis alius, modicus, cruditatem contraxit, incertum qua caussa: unde coeliacus morbus vehemens et summo cum vitae periculo. Sanitati restitutus curâ Doevereni collegae et Archiatri, quo et medico utebatur propter artis peritiam, et amico propter animi sinceritatem cum pari conjunctam prudentia: sed sanitati restitutus, vitae secum fragilitatem reputans, necdum se testamentum fecisse, et illud Catonis in tribus sibi poenitendis factis tertium censentis quod unum diem intestatus mansisset, me tum in Helvetia absentem et ipse et per alios crebro monuit, ut primo quoque tempore redirem de gravissimis secum negotiis deliberatum. Redux meo

tempore, continuo eum conveni, quaerens ecquid illud esset tam magnum quod me vellet. Tum ille
177 „ Testamentum, inquit, facere cogito, teque ac Schultensium tutores instituere filiabus meis, si forte, me mortuo, nondum in tutelam suam venissent." „ Atqui, inquam, jucundum narras et honorificum nobis negotium, qui tantum nostrae fidei tribuas: et poteras sane facere vel absente me nec admonito, quem pietas omnia tui caussa facere jubet." Caeterum locus tutelae non fuit; Deo O. M. eum per duodeviginti annos porro nobis Literisque servante.

Saepe rogatus à compluribus Vitarum scriptoribus editoribusve, ut rerum suarum commentarios ipsis impertiret, unde ipsi Vitam ejus conscriberent, ac tanti nominis specie et commendatione libellis suis ornamentum conciliarent, recusavit, dicens, satis sibi esse è scriptis suis ipsum cognosci. Tum idem rogatus ab Hakenio vetere cive suo et aequali, Pastore primario Stolpensi scholarumque Ephoro, notitiam Ruhnkenii in libro Germanice inscripto, Analectis Pomeranis, prodere cupiente, recusare amplius noluit, misitque brevissimam illam vitae suae librorumque à se editorum notationem: et fecit ita breviter cursimque, ut facile appareat, eum nil gloriolae dedisse, nil nisi humanitati et cuidam erga veterem patriam pietati satisfacere voluisse. Scripsit Latine, quandoquidem à facultate Germanicae linguae dudum desueverat. Vitae notationem Hakenius Germanice à
177 se versam, literas ad se datas, Latine, ut erant, edidit. Has mendose et cum grammaticis vitiis ex illa officina prodiisse indignabatur Ruhnkenius, idque eo magis, quod sibi occasio hujus flagitii publice corrigendi expurgandique deësset: igitur eas, ab ip-

ipso quondam emendatas, hoc loco referendas censuimus. Simili in caussa stomachari eum memini de negligentià, qua Elogium Hemsterhusianum in Harlesii, V. Cl., *Vitis Philologorum* repetitum dicebat, cujus in primo verbo turpe vitium/esse istud, *Dum mihi magistratum academicum deponenti publice dicendum esset, perfectam Critici formam in Tiberio Hemsterhusio spectavi*, loco ejus, quod ipse scripsit, *Cum mihi mag. cet:* nam hujusmodi in orationis nexu illud *Dum* non minus esse vitiosum ac *vir bona*, *mulier bonus*, et similia. Sed literarum ad Hakenium hoc est exemplum: „ Plurimum reverendo et doctissimo viro Chr. Guil. Haken. S. P. D. David Ruhnkenius. Jamdudum humanissimis literis tuis respondissem, nisi nautas Dantiscanos aut Pomeranos, quorum fidei libellos à Te expetitos committerem, exspectandos putassem. Verum cum nulli ab aliquo tempore Amstelodamum venerint, aut, si venerint, notitiam meam effugerint, libros quidem plures, quos petiisti, alia occasione ad Te mittam, scribendi vero officium non patiar diutius à Te requiri. Quod scribis 179
Te ingenium et doctrinam ad res Pomeraniae illustrandas contulisse, dicere vix possum, quam gratum id mihi acciderit. Adhuc ille ager incultus jacet. Nec quidquam in hoc genere erudite scriptum vidi praeter Schurtzfleischii Origines Pomeraniae, quae sunt in ejus Operibus Historicis. Haec bonorum Historicorum penuria facit, ut ego, quamvis et Pomeranus et Historiae Universalis Professor, nullius tamen gentis historiam minus teneam, quam patriae meae. Quandoquidem vero Tibi, Vir praestantissime, placet me quoque in eruditis Pomeranis recensere; vitae meae narrationem, sed breviter strictimque scriptam, ad-

jeci. Neque enim aut eorum, qui nunc sunt, aut posterorum, interest omnia minutiora scire. Haec tamen si cui non sufficiant ad me totum cognoscendum, is reliqua petat è libris meis. Vale, vir plurimum reverende, et quid rerum agas ad me subinde perscribe. De me sic Tibi persuadeas, non esse hominem ad omnia officiorum genera paratiorem, et talium virorum, qualis Tu es, amantiorem. Dab. Lugduni Batavorum. d. 4. Nov. 1780."

Incidit bellum Britannicum et simul initium dissensionum civilium, quibus adhuc patria agitata est; quamquam initium fuit vetus, et discordia, tamquam ignis sub doloso cinere latens, modo erumpens, mo-
1780 do repressa, tandem illo excitata bello, in manifestam vim flammamque exarsit. Quae dissensiones cum per omnes civium ordines manarent, cognationes, familias, amicitias dissociarent, ut difficile esset iis non implicari; operae pretium est cognoscere qualem se Ruhnkenius istis in difficultatibus gesserit. Sed res ab initio est repetenda.

Ruhnkenius adolescens in Germania, quid essent civiles dissensiones, non nisi ex historiis cognoverat, in Bataviam delatus, re et facto experitur. Videt duas esse in re publica sectas adversarias: amorem patriae et communis utilitatis studium utramque prae se ferentem, alteram Nassavicam, alteram Optimatum. Putabat, hoc nil ad se pertinere, posse se novam patriam amare ejusque commodis consulere instituenda juventute, neutri deditum sectae; quippe quae magis privatam quam publicam utilitatem spectarent. Mox intelligit difficile esse negotium, homini in frequentia et consuetudine hominum, praesertim superiorum, versanti, eorum sibi gratiam conciliare

ac

ac tueri, non item iisdem, quibus ipsi, partibus fa-
venti. Igitur, ut a principio in Literis aliisque om-
nibus studiis, ad Hemsterhusii se auctoritatem con-
tulerat, constituit eumdem civilis sectae auctorem se-
qui. Hic Nassavicarum erat partium. Adolescens,
Professor Amstelodamensis, Optimatum sectam pro-
baverat; et quia is tunc rei publicae status, et quia 181
illa civitas semper hujus sectae patrona erat. Sed in-
cidit, quae eum ab utraque in perpetuum abaliena-
ret, offensio. Flagrabat adhuc bellum de Hispanica
successione adversus Gallos. Epistola intercipitur in
Galliam data, nescio quid suspecti et adversus rem
publicam habere visa, et scriptorem, quantum ex no-
mine apparebat, Hemsterhusium. Vocatur ad judi-
ces. Venit: continuo excipitur convicio et longa re-
prehensione, minis etiam poenarum, qui tantum fa-
cinus ausus esset. Finita oratione, hic breviter et
placide: „*At priusquam reprehenderer, debebat con-
stare, me esse scriptorem epistolae: cedo epistolam.*
Datur ei in manus: inspicit: *Et vero*, inquit, *nec
manus haec mea est, nec nomen hoc meum.* Ita erat:
simile quoddam, sed aliud exstabat nomen. Hem-
sterhusius aliquam excusationis comitatem exspecta-
bat. Isti ne verbum quidem, nisi, *ilicet.* Abit in-
dignans imperiosam superbiam: quae inde ei perpe-
tuo sedit alta mente reposta. Itaque lubens Frane-
queranam sibi oblatam cathedram accepit: prae qua
numquam Amstelodamensem relicturus fuerat, nisi
gravis offensio subesset. Frisii, in quibus est Fra-
nequera, Nassavicas partes tuebantur; quippe ex hac
gente suos sibi Gubernatores retinuerant. Et, is qui
postea totius rei publicae fuit Gubernator, Guiliel-
mus IV, Franequerae studiis operam dans, Hemster- 182

husii quoque disciplina utebatur, eumque, ut virum non minus morum elegantia et comitate jucundum, quam rerum usu et civili prudentia praestantem, magnopere diligebat; et Hemsterhusius Guilielmum, ut discipulum adeo sui studiosum, ac tam animo quam stirpe generosum, vehementer amabat; ut in illa rerum conversione, qua hereditarius totius rei publicae Batavae principatus ei delatus est, eum et opera et consilio juvaret. Ita enim judicabat, et rei publicae opus esse Gubernatore, qui totum ejus corpus curaret atque ad consensum dirigeret, et civibus quasi Tribuno plebis, qui eos adversus patriciorum dominationem ac libidinem tueretur. Item et Ruhnkenius et Valckenarius judicabant. Postea, quum optima instituta praesidiaque libertatis à publico ad privatum commodum traduci, et bello Britannico imperia ac successus praevaricando eludi viderentur; uterque partes Optimatum probare coeperunt, ut solas vindices gloriae ac prosperitatis Batavae adversus hostilem injuriam. Sed de his rebus nostrum et hujus loci est, non judicare, sed, quid Ruhnkenius aliique judicaverint, referre. Et quae deinceps secutae sunt cum partium, tum rerum civilium et bellicarum vicissitudines, notae sunt in vulgus, nec nostra scriptio-
183 ne repetendae. Ruhnkenius quidem usque ad extremum vitae tempus secutus est partes libertatis, honestatis, dignitatis, probitatis, communis salutis: in quibus quum recta via et constanter pergeret, et candide profiteretur, quid ipse sequeretur, quid in utraque caussa et probaret et improbaret; factum est, ut ab omnibus, etiam diversa sentientibus, id quod erat, idem et bonus vir, et bonus civis, et haberetur et nominaretur.

Sed

Sed dum bellum ac dissensiones multum destinati Literis otii et familiarium quoque materiam sermonum occupant, Ruhnkenius tamen statas horas matutinas ac vespertinas domi in bibliothecam se suam abdens, Musis operabatur. Et cum ejus operum duplex esset genus, editum et edendum: cumque natura ei incredibilem tribuisset decori perfectique sensum et appetitum, ut omnibus in rebus spectaret, non quid vulgus laudaret, sed quid suo ipse judicio probare posset, et, quod de Hemsterhusio (65) ipse scripsit, nil à se nisi omnibus absolutum numeris vellet exire; factum est, ut magis ad edita retractanda, quam ad inedita prodenda duceretur, et haec interea seponeret, dum illa ad summam, quoad ejus fieri posset, perfectionem locupletasset ac polivisset. Igitur, anno proximo (1782) altera editione renovavit duos illos Hymnos Homericos, cum duabus Epistolis Criticis ante triginta annos primum editis: quibus tanto temporis intervallo quantum incrementi 184
accesserit, vix credibile sit, cum in copia et materia, tum in operis perfectione et lima: cum in vetere argumento de Hymnis Homericis, Hesiodo, Callimacho, Apollonio Rhodio, Orpheo: tum in novo, de Eumeli, Phanoclis, Hermesianactis, Varronis Attacini, reliquiis: non solum de singulorum locorum scriptura, sed de carminum auctoritate, auctorumque antiquitate et fide, sive emendandi felicitate, sive disputandi subtilitate: sive ex ingenii velocitate et acumine, sive ex doctrinae facultate exquisitae et reconditae, sive ex abditis ineditorum librorum, in primis Grammaticorum, recessibus. Quae omnia infi-

(65) In Elogio p. 65.

finitis partibus uberiora esse, quam ut hoc loco à nobis significentur, facile est ad suspicandum iis, qui acerrimum illud Ruhnkenii studium, cum pari ingenio doctrinaque conjunctum, cognoverunt. Neque nostrum est actum agere, qui de libri hujus argumento accurate copioseque exposuimus, Bibliothecae Criticae Vol. II. Parte IV: ubi etiam Hymni auctoritatem et antiquitatem vindicavimus adversus reprehensiones Nicolai Ignarrae, viri doctissimi.

Solebat haud exiguam subsecivae operae partem tribuere perlegendis catalogis librorum, sive per auctiones divendendorum, sive in bibliothecis publicis
185 servatorum; unde factum est, ut rariorum cognitionem librorum, jam in Bergeri disciplina perceptam, continuo augeret, multosque cum sibi privatim, tum publice bibliothecae Lugdunobatavae libros compararet: nec facile eum fugeret locus, ubi ineditum Antiquitatis monumentum lateret. Veluti hic eum annus egregio beavit munere. Nam ex inscriptione Johannis Damasceni in Catalogo bibliothecae Mediceae, luculentam capturam subodoratus, ea potitus est absens aliorum in describendo usus opera, retulitque insigne supplementum Florilegii Stobaeani, locuples illud ac refertum ineditis iisque praestantissimis et disputationibus Philosophorum et sententiis Poëtarum. Atque hoc sane loco dubitemus, quid magis miremur, studiumne in indagando et consectando, an liberalem et pecuniae contemtorem in re et fortuna mediocri animum, ad sumtus, quamvis magnos, Literarum caussa faciundos.

Edito illo Hymnorum et Epistolarum Criticarum volumine, proximus erat, quem promeret et ad editionem instrueret, Plato (1783). Hunc, ut antea

Ti-

Timaei caussa iterum iterumque lectitatum, et postea quotidie versatum, recente memoria tenebat: et quidquid legendis aliis Scriptoribus ipsi oblatum ad Platonem facere videretur, sedulo annotabat. Edenburgensibus novam editionem molientibus ante viginti
annos, eumque rogantibus, ut operam ipsis suam ad- 186
diceret, ita responderat, ut se ab eorum instituto non alienum ostenderet. Dialogo Alcibiadi Priori, Francice reddito opera T. Fabri, et repetito Amstelodami 1766, nonnullas interpretationis correctiones adjecerat. Sed et haec levis opella, et illud irritum fuit institutum. Nunc suam ipse rem agebat: in Platone, ut Philosophorum principe, ornando et edendo, princeps ac palmarium sibi opus proponebat. At propositum effectu caruit; quippe confutatum eodem illo, de quo supra dixi, summae perfectionis sive studio, sive errore. Is aderat apparatus, ut editionis dote satisfacere aliis omnibus doctis hominibus posset, sibi ipse non posset. Locos corruptos, obscuros, difficiles, longe plurimos expediverat: restabant haud pauci, de quibus expediendis ipsi nondum liquebat. Hi plus apud eum valebant ad abjiciendum editionis consilium, quam illi ad persequendum. Respiciebat Timaeum suum: animadvertebat, quantum huic ad perfectionem deësset: nulla dies abibat, quin lectio aliorum librorum multa ei objiceret, quibus animadversiones in Timaeum et augerentur, et carere non posse viderentur. Igitur constituit Platonicam omnem materiam tripertito libro complecti, cui *Platonica* nomen inscriberet: primam partem faceret *Timaeum* cum animadversionibus auctis et emendatis:
alteram, *Scholia Platonica*, item animadversionibus 187
illustrata; tertiam, *Miscellanea Platonica*, quae om-

nem

nem reliquam emendationum, observationum, variarum lectionum, sylvam contineret. Ac de Timaeo quidem, quod constituerat, perfecit. Scholia typis dudum descripta sunt, animadversionum non nisi una pagina: reliqua pars nec conscripta, ita in commentariis adumbrata ac per adversariorum libellos dispersa jacet, ut ab operis successore, non nisi bene versato in Graecis Literis et Platonico argumento, nec nisi multo cum labore multaque diligentia, conscribi probabiliter possit. Sunt haec Scholia è Grammatico genere eo, quod et res et verba persequitur. Exstant singularibus in codicibus complurium bibliothecarum, in primis Florentinarum, Venetae, Vindobonensis, aliarum. Est sane eorum usus ad constituendam Platonis scripturam: nec doctrina est contemnenda: habent multa in aliis jam editis Grammaticis prodita, habent haud pauca etiam nova nec aliunde cognita. Illud non dubium, quin maxima libro commendatio à Ruhnkenii animadversionibus accessura fuisset. Et vero auctarium ei addere destinabat, collectis interpretamentis grammaticis ex scriptis et commentariis Platonicorum Philosophorum, qui raro grammaticum
188 genus attingunt, veluti Porphyrii, Procli, Hermiae, Olympiodori, aliorumque nondum editorum.

Sed licet ab editione Platonis ad triplex illud opus, tamquam ex longiore stadio in brevius se contulisset, ne hujus quidem finem contingere fata eum siverunt. Nam dum totus in hoc argumento versatur, subinde cum naturali illo ipsique proprio profectionis desiderio ad expolienda vetera, Elogium Hemsterhusianum et Vellejum, revocatur: tum vero (1784) novo etiam consilio ad edenda Mureti opera convertitur. De his infra dicemus. Tum quoque Himerius

Werns-

Wernsdorfianus, adhuc scriptus, dudum in Germania jactatus, et bibliopolis frustra oblatus, ad Mutzenbecherum virum reverendum ac doctissimum delatus, ab eoque mihi traditus, bibliopolam Batavum quaerebat, nec, quamvis à Ruhnkenio et me item commendatus, reperire poterat. Ruhnkenio vehementer displicebant notulae multae, ut ajebat, pueriles: volebat, eas à me circumcidi et expurgari: ego mihi tantum in alieno opere arrogare nolebam: sed, ne expurgatum quidem et ad voluminis brevitatem redactum recipere volebant bibliopolae: quod mirandum in opere Graeco, numquam antea edito. Prodiit demum sexennio postea, Goettingae.

Attulit idem annus quaedam in utramque partem
insignia Ruhnkenio. Uxor gravi morbo afflicta, dein- 189
de sanitati restituta. Luctum ex optimi Doevereni obitu susceptum levavit notitia successoris, Paradysii nostri, quo non minus ob praeclaram artis medicae scientiam, quam ob doctrinam cum nostrarum Literarum elegantia conjunctam, delectari solebat. Mox gratissimus advenit hospes Thomas Burgessius, Britannus: cujus excellentem Literarum scientiam rara quaedam ornabat animi probitas morumque modestia; unde amicitia cum praesente nobis conciliata, deinde cum absente epistolis officiisque viguit.

Memini me Ruhnkenium illo tempore monere, ut vitae suae argumenta scripto notaret; ut esset, unde eam alii conscriberent, ipso mortuo, eumque me futurum profiteri, si quidem me illi superstitem fecisset fortuna. Ille, voluntatem sibi meam non ingratam esse ostendens, promisit se facturum quod peterem. Interea ille nil horum facere: ego subinde instare: denique ille respondere, satis me res suas sci-

re,

re, satis etiam sibi esse è scriptis suis cognosci. Ergo eo magis operam dedi, ut res ejus cognoscerem, cum ex ipso in primis percunctans, tum alios etiam interrogans. Cujus cognitionis auctoritate fretus nunc hanc Viri Vitam memoriae prodo.

Valckenarius diem obiit insequente anno (1785) mense Martio, multis ille mihi nominibus lugendus:
190 et Literarum caussâ, exstincto earum altero veluti lumine et oculo: et mei non minus caussa, amisso altero doctore et amico, incrementorum meorum fautore atque adjutore. Huic nemo successurus erat, nisi quem Ruhnkenius commendasset: atque is me dudum Valckenario, ne ipso quidem nolente, successorem destinaverat. Ego quominus oblatam cathedram accipere vellem, factum est rerum mearum temporisque illius rationibus; quod in Amstelodamensi Athenaeo recens a Philosophia ad Historias, Eloquentiam, Literasque et Graecas et Latinas traductus, ampliorem, in quo excurrerem, campum nactus essem, nec minus urbis diuturna consuetudine, quam comitate magistratuum, tenerer. Si quid mihi tunc, repudiatae conditionis caussa, succensuit Ruhnkenius, hoc et breve fuit, et cum amore conjunctum, et vetere mox benivolentia obliteratum.

Caeterum, sperati collegii convictusque frustrationem invicem porro compensavimus invisendi frequentia: et compensavit novus collega J. G. Te Water, Theologus, qui quo in genere censendus esset, ipse ostendit et aliis scriptis, et oratione de *Theologo erudito*, postea habita. Hujus absentis doctrinam cum aliis è speciminibus, tum è consilio edendi Arnobii perspexerat Ruhnkenius: hujus item praesentis humanitate et consuetudine gaudebat: eidemque editio-

nem

nem opusculorum P. E. Jablonskii, unius omnium 191
hoc saeculo Theologorum eruditissimi, commendavit. Nam haec ab ejus filio sibi missa edere receperat: mox animadvertens, opus esse editore in Orientalibus Literis versato, Schultensio ea tradidit: cujus immaturo obitu iterum orba tutelae commisit eruditissimi item collegae Theologi. Sunt vero illa opuscula partim antea edita quidem, sed multis partibus ab auctore locupletata: veluti *Disquisitiones de Lingua Lycaonica: Dissertationes de terra Gosen, et Remphah Aegyptiorum Deo: Exercitationes de Nestorianismo:* partim sunt nondum edita: veluti *Dissertationes ad varia Antiquitatis Christianae capita pertinentes:* tum vero exquisitae opus doctrinae, quo plurimis Scriptorum cum sacrorum, tum Graecorum Romanorumque, locis nova lux affunditur, *Collectio vocum Aegyptiacarum, quarum apud Veteres mentio occurrit*, describi coepta anno 1722, absoluta 1740. Nos, ut et Jablonskianae et Arnobianae absolvendae editioni, cum bibliopolam tum vero otium nanciscatur praestantissimus editor, Literarum caussa optamus. — Tum quoque praeclare meruit de Celso, Indice verborum locupletissimo Georgii Matthiae, Professoris quondam Goettingensis, et brevi praefatione, bibliopolae nomine scripta, addendis editioni, quae Leidae apud Luchtmansios facta est a. 1785, forma quadrata.

Fructuosus fuit annus ad studia doctorum hominum auctione bibliothecae Gronovianae, quae inde ab laudis auctore, Joanne Frederico, per filios Jacobum et
Laurentium Theodorum, et nepotem Abrahamum, 192
Jacobi filium, ad tot non modo editorum librorum, sed ineditarum animadversionum, volumina, ad tantum

tum codicum veterum scriptorum, editionum prin-
cipum, collationum, numerum creverat, ut in hac
urbe cum publica contendere, certe privati censum
superare videretur: porro à dominis haud secus at-
que religiosissimum et inaccessum servabatur fanum,
quo nemini non modo ingredi, sed vel adspirare,
liceret. Vulgaribus editisque libris jam ante decen-
nium venditis, reliqua pars, qua rariores omnes
et scripti continebantur libri, necquidquam ingenti
pretio venditata universa, per auctionem divendita
est minimo in singulos libros aere; hominum vulgo
studiis ad emendum frigentibus: cum quidem paucis
postea diebus, mandata Catharinae II, Russorum Au-
gustae, adferrentur, amplam dignamque illius magni-
ficentia pecuniam offerentis. Ita Ruhnkenius occasio-
ne solerter usus, maximam optimamque librorum
Gronovianorum partem, parvo pretio, bibliothecae
Lugdunobatavae vindicavit.

Appuleji Oudendorpiani pars Metamorphoses con-
tinens, per sedecim annos chalcographorum manibus
tractata, tandem (1786) prodiit cum praefatione
Ruhnkenii. Nam quum Oudendorpii in Scriptoribus
Latinis operam, ut doctam et accuratam, magni fa-
ceret, nolebat committere ut opus, in quo expolien-
193 do ille triginta fere annos consumsisset, diutius à
publica luce et utilitate cohiberetur, petieratque ab
Oudendorpio filio, ut sibi facultatem daret Appuleji
in lucem proferendi: eaque impetrata facultate, re-
perit librarium qui reciperet, se Metamorphosin
primo excusurum, deinde, si haec cupidos emtores
invenisset, reliquos libros, Florida, Apologiam,
Philosophica, additurum. Igitur Ruhnkenius com-
mentarios Oudendorpii digessit, priorum animadver-

sio-

siones interpretum, Colvii, Wowerii, Stewechii, Elmenhorstii, et aliorum adjecit: in praefatione de Appuleji dictione, de Oudendorpii opera et subsidiis, tam diligenter eleganterque exposuit, ut haec quoque in celebratis censenda sit praefationibus. Reliqua Appuleji pars adhuc in scriniis continetur: et est sane idonea materia, in qua tractanda ac prodenda doctus aliquis juvenis doctrinae fructum laudemque consequatur. Plura de hoc libro diximus in relatione, quamvis brevi, Bibliothecae Criticae Vol. III. Part. I.

Idem ei tempus conciliavit notitiam amicitiamque G. L. Spaldingii, eleganti ingenio doctrinaque juvenis, per aliquot menses apud nos peregrinantis. De quo quum idem utriusque nostrum fuerit sensus, non possum facere quin apponam locum ex ejus ad
me data epistola mense Novembre anni 1786: „Non 194
dubito" inquit „quin saepe videris Spaldingium. Is ingenio et humanitate sua me mirifice cepit. Utinam talis juvenis, misso studio Theologico, se totum Literis nostris dicaret." Haud vanum fuit optatum. Ille mox Professor Gymnasii Berolinocoloniensis factus, Literisque nostris vindicatus, bene de iis meruit complurium librorum scriptione, et nuper perdocta Quinctiliani editione, cujus primum volumen superiore anno (1798), eo ipso, quo mortuus est Ruhnkenius, prodiit: de quo quid Spaldingius in praefatione posuerit, non omittendum videtur. Primum illius literas ad se d. 20 Octobr. 1793. datas refert has: „Bibliotheca Leidensis tibi tot ac tanta rei bene gerendae praesidia suppeditabit, ut praeterea non ita multum requirendum videatur. Nam post editum à Burmanno Quinctilianum, in bibliothe-

cam publicam venerunt duo codd. mss. nondum excussi, plures collationes mss. partim à summo viro Jo. Frederico Gronovio, partim à Laurentio Theodoro Gronovio factae. Denique ipse apparatum, quem Ernestus collegerat, care redemtum in eamdem intuli bibliothecam." Quibus haec subjicit ipse Spaldingius: „ Erat summa mihi gratificandi voluntas in Ruhnkenio, viro à nobis, quotquot per Europam veteres Literas colimus, pro horum sacrorum antistite, venerando. Neque minores ei gratias
195 habeo, quod tantum concedere voluit homini cognito ex brevissima in docta urbe commoratione; etsi temporum nostrorum iniquitas invidit mihi hasce opes, laetiore fortasse Europae fortuna usurpandas."

Secutus est annus (1787) memorabilis, partibus quibus Ruhnkenius favebat oppressis, ipsique ad dolorem insignis. In quo quam constans fuerit ipsius ratio, quam leve vulgi judicium, operae pretium est cognoscere. Senatus Academicus ipsum et Pestelium oratores legavit ad exercitus Borussici, adjutoris Nassavicorum, praetorem, Ducem Brunsvicensem, qui ei Academiam commendarent, peterentque, ut omnem ab ea hostilem vim arceret. Ecce! exorti sunt, qui eum reprehenderent, quod cum collega, adversariarum patrono partium, ad suarum oppressorem legari se pateretur. Homines inepti et rerum imperiti! Quasi vero Senatus in oratorum delectu aliud quid spectasset quam aetatem, auctoritatem, ac doctrinae famam, quarum rerum commendatione duo hi excellebant: aut, quasi Ruhnkenius delatum sibi munus defugere honeste potuisset. Deinde Gubernatoris major filius, Guilielmus Fredericus, patri destinatus in rei publicae principatu successor,

stu-

studiorum caussa in hanc urbem habitatum venit.
Ad hunc subinde ventitabant salutatum cum alii cives
utrarumque partium, tum Professores: in his Ruhn-
kenius, qui propter illorum frequentiam, et veterem 196
suam in celebritate versandi consuetudinem, hoc offi-
cium omittere non poterat. Atque eum Guilielmus
Fredericus, licet ejus scholis non uteretur, tanta
semper humanitate excepit, ut eum insigni prae aliis
loco haberet, nec tamquam cum salutatore officio-
so, sed de Literis, ut cultor earum cum antistite,
studiose ac reverenter colloqueretur. Hoc quosdam
pungebat, et Ruhnkenii, ut parum constantis, re-
prehensoribus aggregabat. Ille vero judicii con-
stantiaeque optimas sequebatur duces naturam ac pru-
dentiam. Recente adhuc casu ac dolore, haec mihi
scripsit d. 8. Januar. 1788. „ Utinam vel horam una
essemus, ut, qui tuus in hac servitute sensus sit,
cognoscerem. Me quidem adeo poenitet Hollandiae,
ut si Soram vocarer, sicut olim in simili rerum con-
versione Jo. Meursius, conditionem acciperem. Nec
quidquam hoc reip. statu me delectavit praeter Bi-
bliothecam tuam Criticam — in primis animadversio-
nes in Julianum, scriptas ad eam rationem, quam tu
fateri soles meis in Timaeum notis tibi esse demon-
stratam." Egregius sane mihi ad voluptatem fructus
studii, è quo tantum solatii fructum Ruhnkenius
meus perciperet! Respondi, me nunc in primis De-
mosthenis Philippicas et Ciceronis Epistolas ad Atti-
cum legere. Interjectis aliquot mensibus, quum eum
inviserem, „ Equidem" inquit „ et ipse nunc legi 197
Ciceronis eas partes, quae ad bellum civile referun-
tur: movit me temporum similitudo: et sane iisdem
locis legendis alias aliter afficimur. Quum in rebus

ad voluptatem aut dolorem insignibus versamur, et inter legendum in similem nostris rebus locum incidimus, is dudum quamvis cum ingenii oblectatione lectus, tamen ut novus nec antea cognitus accidit, incredibiliter sensum percellit, ab ingenio cum animo communicatur, in eumque alte defigitur ac penitus insinuatur. Veluti nuper locus è secundo de Divinatione mirifice me advertit, ut eum quasi manu injecta mihi vindicarem et vivendi legem constituerem: en verba Ciceronis: *cum esset in unius potestate res publica, neque ego me abdidi, neque deserui, neque afflixi, neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus: neque ita porro aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae poeniteret: id enim ipsum à Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à singulis.*" Et vero hanc rationem constanter tenuit Ruhnkenius.

Sed ut Ciceroni rei publicae conversio discipulos attulit, ita Ruhnkenio abstulit. Certe ab illo tem-
198 pore et scholae illius, et qui eis nomina darent, minus frequentes fuerunt. Ipse caussam tribuebat civili odio: quod studiosa juventus fere victricibus faveret partibus, et victarum partium multi patres filios vel domi retinerent vel alio mitterent: quodque ipse suam de re publica sententiam non dissimularet. Quamquam in scholis numquam de praesente rei publicae statu loquebatur, nec diserte nec oblique: in quo multi sibi placent ac sapientes videntur: recte statuens, civilem prudentiam ultro exsistere è certa Antiquitatis interpretatione, hanc unam debere tradere doctorem, non discentium judicia auctoritate

par-

partium occupare. Et quando in schola jam minus quam antea Literis prodesse poterat, eo magis operam dabat, ut earum detrimentum resarciret prodendis suis ipse doctrinae monumentis, et amicorum studiis juvandis. Profuit tum Schweighausero, viro doctissimo, impertienda collectione Gronoviana ad Polybium: ut ante eidem profuerat in Appiani editione. Cumque neminis cujusquam res tam ad se pertinere existimaret, quam meas: in primis ei laetum accidit, quod Academia Oxoniensis Plutarchum meum excudendum recepisset, eo cultu, qui et meo et ipsius studio responderet; quandoquidem ipse mihi auctor suasorque fuisset Plutarchi edendi, et ipso illo tempore adjutor cum consilio, tum commodandis veteribus libris bibliothecae Lugdunobatavae.

Effecit quoque ut communis noster discipulus et
amicus, Henricus Hana, Gymnasio Amisfurtano 199
Rector praeficeretur, affirmans Curatoribus, eos non solum de sua, sed de Literata, civitate bene merituros ipsis tali doctore asserendo. Eumdem paulo antea cohortatus, ut à Theologia ad Literarum, in quibus excellenter versabatur, studium se totum converteret, ita ad me scripsit: „ Quibus rationibus praestantem juvenem, Hanam, ad Literas nostras traducere sim conatus, ex ipso arbitror te cognovisse: — à me habebit Phrynichum Arabium, ut eo edendo familiaritatem cum Scriptoribus Atticis contrahat, et nomini suo commendationem quaerat. " Hunc item ante hos tres annos, in adipiscendo Gymnasii Amstelodamensis Rectoratu, gravissima testimonii sui auctoritate adjuvit. Ab hujus igitur viri doctrina et industria novum et ineditum adhuc Literarum munus, Phrynichum Arabium, exspectamus: cui edendo, in

tam occupata vita, ut otium obtingat doctissimo editori, optamus.

Sed Ruhnkenius, quum suo semel operi manum admovisset, hanc veluti incudem tanta alacritate et assiduitate tutudit, ut proximo anno (1789) triplex simul ejus proventus exiret, Timaeus, Elogium Hemsterhusii, Mureti Opera, de quibus omnibus quum dixerimus Bibliothecae Criticae Vol. III. Parte II, de duorum autem priorum prima editione prodideri-
200 mus in praesente hoc libro, eo breviore nunc commemoratione defungi possumus.

Timaeus (67), ex quo tempore eum retractare coepit Ruhnkenius, epistolas mutuo nostras et confabulationes multum frequentavit. Eum ita locupletavit, ut vetus editio sui dimidio à nova superetur, nec tamen quidquam alieni, nil nisi cum re praesente conjunctum, nil nisi novum, exquisitum, reconditum, accesserit. Itaque et ipse illo tempore verissime ad me scripsit: „ In Timaeo, quem ita emendavimus, ut ne serae quidem posteritatis judicium extimescere debeat, singulae paginae aliquid novi habent: " et ego in Praefatione ad Animadversiones Plutarcheas, paucis ante ejus obitum mensibus scriptas, Timaeum, ut unicum à renatis Literis exemplum operis perfecti, et, quoad ejus in hoc genere fieri potest, absolutissimi, laudare non dubitavi.

Elogium Hemsterhusianum castigatius prodiit, compluribus locis ad proprietatem, perspicuitatem, effica-

(67) In Relatione de hoc libro, Bibliothecae Crit. Vol. III. Part. II. p. 111, operarum vitio relictum est *primo* pro *prima*, in loco Propertii. Ne semidocti, qui caeterum, quid bene secusve dictum sit, non intelligunt, reprehendendi materiam capiant.

caciamque dictionis reformatis: quod vix fieri potuisse videatur in libro, qui jam è prima editione tam cultus politusque exiisset. Sed nimirum triginta annorum intervallum et orationis scientiam auxerat, et limam acuerat. Adjectae sunt duae antea ineditae epistolae Bentleji ad Hemsterhusium, palmariae ad emendandi solertiam in Comicorum fragmentis à Polluce servatis.

In Mureto plane novam eamque criticam navavit 201
operam. Scripta viri omnia, et edita et inedita, quotquot reperiri potuerunt, unum in corpus collegit, ad optima exemplaria exegit, subinde animadversiones in primis censendae dictioni adjecit, utilissimas illas Latine scribendi studiosis ad proprietatis probitatisque cognitionem. Unus enim recentiorum fuit Muretus, cujus oratio proxime ad optimorum Veterum, maxime Ciceronianam, formam accederet, qui de tenui argumento ornate, de obscuro dilucide, de gravi magnifice, de omni pure, emendate, suaviter scriberet. Cumque vulgo nostra aetate, qui se Veterum interpretes ferunt, nullam magnopere bene scribendi vel rationem vel facultatem habeant, cumque turpissimum sit iis, qui Veterum elegantias aliis enarrent, ipsos uti sermone barbaro et lutulento; Ruhnkenius hunc extraordinarium celebrandi Mureti laborem suscepit; ut haberent exemplum, in quod intuentes, de rebus sive antiquis, sive novis, antique scribere discerent.

Sed veluti ager quamvis fecundus, quo plures uberioresque deinceps generosae frugis segetes tulit, eo diutius situ et quiete recreandus est anteaquam denuo seratur: ita Ruhnkenius, edito triplici illo proventu, quasi vires profudisset suas, longiore ad eas reficiendas opus habuit otio: sed speratum otii fru-

ctum, pristinam alacritatem, ingravescens paulatim
202 senectus intercepit. Scholarum, lectionis, ambulationis, celebritatis, convictus, venationis, omnino consuetudinis ac vitae quotidianae, idem erat opus, idem studium. In epistola, quam ad me solito longiorem scripsit d. 5 Januarii, a. 1791, haec etiam posuit: „ Caeterum et animo et corpore ita vigeo, ut, nisi me apoplexia rapiat, videar posse ad eamdem aetatem, quam mater mea attigit, id est ad annum 86, pervenire. Ante paucos dies ingressus sum annum 69. Incidit enim natalis meus in secundum Januarii 1723. Nec ulla alia re senem me fieri sentio, nisi pigritia in literis scribendis." Sed tamen ad unum et continuum opus edendi libri minus patiens, magisque tardus fiebat. Solebat et antea, edito, qui eum exercuisset, libro, ab animi intentione se relaxare et paululum quiescere. Et nullus non, quem ederet, liber, usque dum editus esset eum exercebat; quippe qui typographica specimina ipse tractare soleret, et inter tractandum multos locos retractare, iisque corrigendis mutandisque, multa evolvere, legere, commentari. Et otium ei erat, operae non cessatio, sed mutatio: vacabat certo penso edendi alicujus libri: lustrabat scripta sua edita, inedita, absoluta, inchoata: haec eum observatio ab alio ad alium legendum librum ducebat, multa obiter animadvertentem,
203 emendantem, in adversariis annotantem. Et hujusmodi fere studio per reliquum deinceps vitae contentus fuit.

Accedebant, tempora nec publice nec privatim opportuna longiori suscipiundo operi. Incredibilis illa nec exspectata Francici regni conversio, cum sua magnitudine et novitate remotissimos etiam populos advertebat: tum vero vicinos, in primis Batavos, vehementius commovebat, et in ejusdem vicissitudinis

so-

societatem tractura videbatur: nostros utique homines anxia rerum exspectatione suspensos tenebat, pro partium diversitate, vel metuentes Francorum adventum, vel optantes. Ruhnkenius nullius non populi commodis ac libertati favebat; igitur illorum res perpetuo eum sollicitum habebant, adversae affligebant, laetae erigebant. Et talis fere ejus fuit animus ac sensus per id quod supererat aetatis spatium. Promit Scholiastam Platonis insequente anno (1791). Vix manus admoverat operi, quum inde avocatur filiae majoris morbo gravi sane et periculoso, qui eo vehementius eum angebat, quod sola haec ei erat familiae pars integra, cujus incolumitate se recreabat ac sustentabat in uxoris et minoris filiae calamitate. Vix dum illa revaluerat, cum novus accidit dolor ex obitu Francisci Hemsterhusii, quocum ei fraterna propemodum necessitudo intercedebat et caritas, haud
secus atque adoptato filio cum germano. Quod su- 204
pra dixi de adversariis patris, non ita accipiendum est, ac si ea intercidissent. Inventa sunt quidem, sed spe pauciora: libri, ejus manu notati, complures subjecti sunt cum reliquis auctioni, sed emtione vindicati bibliothecae Lugdunobatavae. Tempus rebus secundis adversisque mixtum, ut magis laetum quam triste videretur, effecit arcessitus è Franequerana cathedra novus collega, Jurisconsultus, Smallenburgius. Hic ante paucos annos discipulus in primis probaverat ei studium elegantis in Jurisprudentia rationis à Graecarum Latinarumque Literarum cognitione ductae: nunc Ruhnkenius collegam eum sui studiosissimum expertus, eo magis praeclara ejus doctrina, amore, ac familiaritate delectabatur.

Redit denuo ad Scholiastam Platonicum (1792): ac denuo inde avocatur, vetere illa perfectionis opi-

nione ac spe ad Vellejum traductus. Inde ab eo edito, per tredecim annos multum ipsi novae emendationis subnatum erat: hujus nonnulla occupaverant interea alii viri docti: ipse nil minus ferre poterat, quam exstare quoddam suum opus, cui quid deësset. Igitur alteram editionem facere instituebat: at operi alius intervenit nec opinatus labor, Lexico Latino Schelleriano insumtus, utilis quidem ille ad studia juventutis, nec tamen in materia Ruhnkenio digna, aut nisi indigna, certe intempestivus et aliis mandan-
205 dus. Desiderabatur dudum probae Latinitatis Lexicon puerorum adolescentiumve captui accommodatum; quandoquidem in Pitisciano, quod vulgo juventutis manibus teritur, nec verborum significationes accurate definiuntur ac distinguuntur, nec Latinitas sincerae tantum aetatis, sed, ut in aliis plerisque Lexicis, admixtis multis labentis aevi sordibus, apponitur: quae semel teneris juvenum ingeniis quasi adspersae, adeo pertinaciter adhaerescunt, ut nulla in posterum quamvis diligente cura elui possint. In priore officio Schellerus operae pretium fecisse videbatur: in posteriore pervulgatum errorem secutus erat: utrumque tamen ejusmodi erat, ut facile nostrorum hominum usui aptari posse videretur. Ergo bibliopolae negotium dant homini idoneo, ut interpretationes vocabulorum locorumque Latinorum Germanicas Belgice verteret: porro, Ruhnkenium rogant, ut materiam libri suo judicio emendaret et formaret, probe scientes plurimum ab ejus nomine commendationis libro accessurum. Is hominibus, in re quae ad Literarum studia pertineret, quamque ipse acerrimus probae Latinitatis vindex ac stator diu desiderasset, deësse noluit, operamque suam addixit,

ra-

ratus eam delendo et omittendo, magis quam adden-
do corrigendove, contineri. Quamquam, ut mihi sae-
pe fassus est, ipsius spe et opinione plura fuere cor- 206
rigenda, plus etiam laboris exantlandum in expurgan-
dis istis sordibus; tamen lubens perrexit, cogitatione
beneficii in Literas conferendi, quo studiosis earum
provideretur et caveretur. De quo beneficio ipsi
propediem judicare poterunt harum rerum periti,
quum liber, quod brevi fore speramus, è chalcogra-
phia Honkoopiana in publicum exierit.

Fuit hic extremus ab eo Literis publice navatus la-
bor: quem quominus alii sequerentur labores, prae-
ter memoratas caussas, alia accessit. Adhuc bene
valebat, et fortuna sua contentus: vigebat mente,
animo, sensibus, omnibusque corporis officiis. Inde
ab anno aetatis sexagesimo tentabatur fere quotannis
per aliquot dies podagricis et chiragricis affectioni-
bus: quibus licet illud effici videretur, ut reliquum
tempus eo rectius valeret; tamen paulatim dextra ma-
nus debilitabatur, ut in dies magis scribendi officium
recusaret, nec id nisi tremula et multo negotio pera-
geret. Quae difficultas quantum impedimenti attulerit
studiis, quae non modo ingenium et oculos, sed
manum et calamum exercent, quantumque scribendi
cum facultate voluntatem minuerit, nemo non intel-
ligit. Nec edendorum porro librorum consilium pe-
nitus abjiciebat: sed legendo, et quoad poterat ex-
cerpendo et annotando quotidie pergebat; si forte
manus ad officium reditura, aut ipse literatum homi- 207
nem nactus esset, cujus manu uteretur. Ita sequen-
tes anni, caeterum ad veterem consuetudinem, trans-
acti sunt: ex quibus proximi deinceps duo (1793 et
1794) luctuosi fuerunt et ipsi, et mihi, et huic Aca-
demiae, et Literis, obitu egregiorum mihique caris-

si-

simorum hominum, Schultensii ac Nieuwlandii, quorum neutrum ego

meis
Chartis inornatum sileri (68)

fas mihi duco; fuit uterque mei amantissimus, uterque ingenio animoque integrum incorruptumque naturae opus; adeo nil pravum, humile, invidum, nil nisi sanum, benivolum, habebant: prorsus, ut idem ait poëta,

animae, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter (69).

Schultensium pater J. Jacobus, Lugdunobatavus Professor, filius magni illius Alberti Schultensii, unicum habebat natum, eumque jam ab incunabulis, si res ita ferret, destinabat domesticae Literarum Orientalium laudi tuendae. Puero egregios in omni genere adhibuit magistros, non magno cum fructu: sinens eum genio obsequi, ac discere quantum vellet, non quantum posset; ratus liberalius habitum, nec
208 severae disciplinae adstrictum, progressu aetatis sponte in rectam studiorum viam ingressurum. Nec spes eum fefellit. Adolescentulus mox laudis doctrinaeque amore percussus, dedit se ad inchoatum Literarum opus persequendum, Graecarum Romanarumque ducibus Valckenario et Ruhnkenio, Orientalium patre. In his brevi tantos fecit progressus, ut viginti et quatuor annos natus, earum ei cathedra Amstelodami mandaretur: quam per sex annos tenuit, conjunctissime mecum vivens. Hinc patri mortuo successor Lugdunumbatavorum traductus, easdem Literas

(68) Horat. Carm. IV, 9, 30.
(69) Horat. Sat. I, 5, 42.

ras docendo egregie tutatus est: et avitam gloriam aequasset, si longiorem ei vitam fata concessissent. Raro quodam naturae munere, simul habebat utrumque illud, *εἶναι καὶ δοκεῖν*. In vultu et oculis expressa erat animi probitas, magnitudo, benivolentia, et nullius non virtutis significatio: habitus, gestus, motus, plurimum habebat decoris. Accedebat acerrimus pulcri verique sensus, mira comitas et affabilitas, nec minor sermonis orisque commendatio; omnia à natura tributa, nil studio quaesitum. Igitur pauci fuerunt, qui vel docentes vel dicentes majore cum voluptate et facultatis opinione audirentur: pauci, quorum privatim sodalitas et consuetudo vulgo magis expeteretur. Unde factum, ut Literis destinati otii nonnulla pars ei periret, occupata extraordinariis officiis; quum, per naturae liberalitatem, ipsius 209
cupidis ac rogantibus deësse nollet. Quam jacturam compensare aggressum, Meidanio, Arabe Scriptore, quem dudum ad editionem instruxerat, edendo, jam compluribus plagulis excusis, mors eum occupat quadragesimo quarto aetatis anno.

Nieuwlandius item unicus parentum erat natus, sed obscuro genere, angusta in re, patre fabro tignario in Amstelodamensi agro, homine probo; puerulus ac paene infans, in quosdam patris libros incidens, mira cupiditate eos legit: inde, quasi per lusum, solus suo ipse ingenio didicit Historiam Universam, Geometriam, versus quoque fundere Belgicos probabiles numero et acumine. Cujus rei fama excitati cum frequentes ex urbe homines venirent ad eum, tamquam miraculum, spectandum; magis etiam admirabile fuit, quod puer, praesens à praesentibus mirum in modum celebratus, nihil inde vanitatis conci-

ciperet; ut ne suspicaretur quidem esse in se aliquid
praeter alios homines praecipuum. E paterna domo
traductus in familiam et quasi tutelam eruditissimi
amicissimique nostri Hieronymi Boschii, ab eodem
Literarum Latinarum Graecarumque cognitione im-
butus est: meis etiam institutionibus ad eam faculta-
tem profecit, ut praeclarum specimen ejus, disputa-
tionem de Musonio, ederet. Nec longius in his Li-
210 teris progressus est. Ad totos continua lectione et
grammatica ratione tractandos Scriptores, deërat la-
boris patientia et constantia. Homeri dimidio lecto,
destitit: reliquum diversis temporibus raptim percu-
currit; licet Graecos quoscumque, quamvis subito
inspiciens, probabiliter intelligeret. In Belgicis car-
minibus, quae brevia nec pauca composuit, vix ul-
lam boni poëtae dotem desideres, ratione, oratione,
luminibus: nec majoris fere ei erat laboris ligatae,
quam solutae, orationis scriptio. Natura ipse sua et
voluntate ad Mathematicas disciplinas ferebatur: in
his vitae tabernacula ponere decreverat: et, excellen-
tissimis usus magistris, omnes discendo praecucur-
rit, ut, quod amplius eum docerent, non reperi-
rent: haud dubie princeps hujus artis futurus, si
maturior aetas laboris assiduitatem attulisset. Inge-
nio natus tali, qualia vix singula singulae ferunt ae-
tates, velocitate valebat ejusmodi, ut uno impetu et
quasi oculorum obtutu argumenta quamvis ampla
perciperet, et tamen rationes nexumque perspiceret:
memoria tanta, ut nil scripto notans, omnia tene-
ret, ac saepe diceret difficilius sibi esse oblivisci quam
meminisse; cum quidem novum librum, recentiore
lingua scriptum ac populari fama celebratum, nullum
non legeret. Pueritiae mores per reliquam vitam ser-

va-

vavit, simplicitatem, modestiam, innocentiam, et, 211
quod Graecis dicitur, τὸ ἀνειμένον καὶ παιδιῶδες, animi ad lusum remissionem; ut in doctrinarum studio non adstrictum se teneri pateretur, solutus vagaretur, ac tam discendo luderet, quam ludendo disceret: et, quod de puero Cyro in re haud dissimili ait Xenophon (70), τὸ σκυλακῶδες καὶ τὸ πᾶσι προσπίπτειν, catulorum instar in omnia involare, ita ille, si quo veniret, statim libros odorabatur, in manus sumebat, pervolvebat, saepe è vestigio perlegebat. Quatuor ultimos vitae annos ipse publice docuit: tres Amstelodami, Matheseos Lector: unum Lugdunibatavorum, Physices et Mathematum Professor. Obiit proximo post Schultensium anno, aetatis trigesimo: huic Academiae, et ipsi patriae, magis ostensus quam datus.

Cum utroque Ruhnkenius consentiebat in judicio de re publica, et in sensuum similitudine; cum utroque familiaris et paene quotidiana consuetudo ei intercedebat. Quo acerbior ei accidit ex utriusque morte dolor. Scripsit ad me, recente casu, die 25. Novembris 1794. „ Nieuwlandium unum ex multis delegeram, in cujus suavitate et amore, post ereptum nobis Schultensium, conquiescerem. Quo gravius est vulnus, quod mihi mors ejus imposuit. Recte hanc jacturam irreparabilem vocas. " Hoc obiter scribebat. Nam epistolae argumentum erat de praefatione mea ad Plutarchum. Hunc totum mei caussa 212
se denuo lecturum, mihi receperat, ut emendationes sibi inter legendum natas mecum communicaret, quo mea editio cultior redderetur. Verebar ut hoc aliquid

(70) Cyropaediae, I, 4, 4.

quid fieret, videns eum quotidie ad sua ipsum magis retardari. Nec vanus fuit metus. Dixit mox, malle se contextum Oxoniensem legere, quod huic meae emendationes, quas nondum vidisset, subjectae essent. Hoc edito, ejus exemplum ei dedi. „ Majus est opus ” inquit „quam pro animi mei remissione: legam praefationes et animadversiones tuas scriptas, antequam excudendas chalcographis mittas. ” Tum praefationem in manibus habebat, quam cum reliqua contextus parte Oxonium transmittere festinabam, antequam belli flamma muros nostros attingeret; victricibus Francorum armis magis magisque appropinquantibus. Erat hoc, si quod umquam, sollicitum tempus et acerbum; dubia impendente fortuna, ad publicam belli calamitatem accedente luctu et ingente jactura ex obitu Nieuwlandii.

Incidit mox sub initium anni (1795) altera rei
publicae conversio, superiori illi ἀντίστροφος, ejus-
que vicem rependens, Ruhnkenio optata, non item
efficax ad pristinam vel in Literis alacritatem ipsi,
vel discipulorum frequentiam scholis ejus, restituen-
213 dam. Civibus singulis et universis ad communem li-
bertatem tuendam, et patriae curam gerendam, vo-
catis; magna juventutis Academiae pars suam quo-
que rem agi putans, excitari, inglorium sibi litera-
tum otium ducere, malle rem publicam tractare quam
scholis vacare, agere quam discere. Principes aucto-
ritate viri, qui fere discipuli ejus fuerant, eum, ut
magistrum, suarumque partium fautorem, amantes,
frequentes ad eum ventitabant, consilia sermonesque
collatum: ventitabant et alii multi à Literis ad rem
publicam transeuntes, ejusque aliquam partem vel ge-
rentes vel gerere cupientes. Omnibus semper lenio-

ris fuit auctor sententiae, clementiaeque erga prostratas jacentesque adversarias partes: omnibus fuit suasor, ut, quod in proverbio (71) dicitur, quam quis artem nosset, tractaret, regere sineret eos, quos virtute et civili prudentia excellere constaret. Profecto, cum ad alia civitatis commoda, tum ad Academiae florem utile fuisset, si et hi qui res gerebant, et illi quorum res agabatur, eum aut magis consuluissent, aut consultum magis audivissent. Nunc, quum ille omnibus in rebus mitiorem prudentioremque rationem sequeretur; isti, qui dura calidave agitabant consilia, ad ipsum non referebant, probe scientes, se eum et dissuasorem et reprehensorem habituros.

Illo tam distracto agitatoque tempore, satis habebat ordinariam operam scholis habendis tribuere; nam 214
peculiariter recolendis studiis, operibusque editioni destinatis repetendis, parum relinquebatur otii. Tamen reditum ad Literas ei attulit, brevem quidem, sed tamen reditum, munus inexspectatum Fred. Aug. Wolfii, Homeri editionem ei publice dedicantis. Hunc virum è scriptis ejus, postea epistolarum officio cognitum, unum in primis exterorum accuratae Literarum scientiae caussa magni faciebat: ejusque Prolegomena Homerica, tum recens allata, singulari cum voluptate legit, etiam ubi ab eo dissentiret: velut in ea disputatione, quae magnam libri partem complectitur, qua ostendere conatur, Homeri carmina, non ab

(71) Cicero Tusc. I, 18: *Bene enim illo proverbio Graecorum praecipitur „Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.”* Ad quem locum J. Davisius Graecorum locos Scriptorum annotavit.

ab uno, sed pluribus Poëtis, variis aetatibus composita, non nisi rhapsodorum memoria cantuque servata, ignoto adhuc apud Graecos scribendi usu, Pisistratidarum demum aetate scripto mandata esse. Hanc sibi opinionem non probari ajebat Ruhnkenius: at vehementer probari designatam egregie viam carminum Homericorum ad criticam scripturae auctoritatem restituendorum. Et hac lectione excitabatur ad colligenda, quae de eodem argumento in adversariis sparsa habebat: sed, intervenientibus mox aliis negotiis, à proposito destitit.

Interea rem familiarem affligebant cum aliae bellicae
215 calamitates, tum annonae caritas: difficultas augebatur, decrescente cum discipulorum numero simul privato vectigali: iisdemque incommodis proximo anno (1796) manentibus, à Curatoribus additi salario trecenti floreni magis benivolentiae significationem, quam detrimenti compensationem, adferebant. Accedebat alia molestia. Dolebat suis doctoribus orbatas cathedras, Juris Publici, Graecarum Literarum, Physices Mathematum: his ornandis Professores quaerere, ipsi à Curatoribus mandatum, ejus et animum cura, et manum epistolarum officio, fatigabat: interea frustra quaerentem aliorum auctoritas intercipit. In primis de Graeca professione laborabat: primum, retinendo qui eam deposuerat; tum, illa spe frustratus, vocando novo doctore: necquicquam deinceps oblata mihi, Spaldingio, Wolfio: unde et ego in ejus offensionem incidi, ut qui, accipienda conditione, facile istam sollicitudinem à se avertere potuissem. Offensionem diutius, quam pro vetere amore, in animo ejus haerentem, tamen adventus meus, quum sexto inde mense, fama de ejus morbo ad me allata, eum in-

inviserem, ita abstersit quasi numquam suscepta fuisset. Morbus eum biennio post abstulit. Sed de hac postrema vitae parte et exitu dicendi erit locus in ipso hujus libelli exitu.

Et nos quandoquidem viri vitam, enarrandis ejus rebus, factis, scriptis, fortunae vicissitudinibus, 216
per annorum seriem ab initio ad extremam aetatem deduximus; quo interius eum, et, quoad ejus fieri potest, totum cognoscamus, quo certius ejus magnitudinem aestimemus, age eas naturae, doctrinae, animi morumque dotes ac virtutes, quae non ad unum quoddam tempus adstrictae, in illa, quam hucusque persecuti sumus, quasi annalium relatione, aut omissae aut leviter notatae sunt, sed per totam vitae actionem fusae late patuerunt, suos quosque in locos digestas, legentium cognitioni subjiciamus.

Ac primum quidem *intelligentiae* et *cogitationis*, quo nomine omnem cognoscendi facultatem significamus, naturalem habuit facilitatem: quae ipsi facilitas, ut reliquarum intelligentiae facultatum, ita animi dotum morumque, fons fuit ac principium. Sensus corporis erant valentes, cum reliqui, tum doctissimi illi, visus et auditus, ita acres, ut et longinquas res magno ex intervallo perciperent, et propinquas continuo non solum plene, sed etiam articulatim distincteque, complecterentur. Utrumque ad elegantiam adolescens acuerat, alterum Musices, alterum Graphices tractatione. Horum aciem sensuum haud fere externa res fugiebat: et mentis ea erat agilitas, ut iis statim moveretur, vimque suam vicissim in eas intenderet, earumque imagines in se, veluti in cera, expressas susciperet. Unde exsistebat 217
docilitas et celeritas ad arripiendum, capacitas ad

multitudinem rerum comprehendendam, fides ad custodiae diuturnitatem. Paucos cognovi homines, qui tanta memoria valerent. Quamquam hujus felicitatis adhibebat praecipuam adjutricem, lecta animadversaque annotandi et in adversaria referendi consuetudinem. Sed et aliarum rerum, quibus nulla adhibetur annotatio, tenax erat memoria, cum legendo, tum audiendo acceptarum. Veluti Historiam rei publicae Batavae, quamquam non tradebat in scholis, tamen, haud secus atque Historiam Universalem, tenebat: res gestas in editis libris nondum proditas, gentium illustrium cognationes, affinitates, arcana, ita norat, ut pauci quibus hoc unum est studium. Caeterum, et memoriam, et eas, quae ad inveniendum pertinent, mentis facultates, magis usu quam arte excoluerat: et, si quid adolescens temporis tribuit Philosophorum Mathematicorumque scholis, ex his non ipsas res ac praecepta, sed intelligentiae quemdam habitum ad via ac ratione disserendum, retinuit. Cumque multae sint inventrices facultates, eaeque duobus generibus discretae, altero *rationis*, quae judicio ac subtilitate nitens, veluti calculis computandis, pedetentim progreditur, altero *ingenii* (72), quod subito movetur, et in rem inveniendam quasi repentino volatu fertur; reperiemus Ruhnkenium
218 utroque genere excelluisse, ut et ingenii impetum ratione regeret, et rationis iter ingenio acceleraret. Et quando in definienda magnitudine earum virium (73), quae

(72) Harum facultatum comparationem institui in Praeceptis Philosophiae Logicae, II, 1, 14.

(73) Conferatur nostra sententia, prodita in Praefatione ad Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. Praefat. p. XI.

quae sub certam numeri, mensurae, ponderisve no-
tam revocari non possunt, nulla non utendum est de-
clarandi via, adhibeamus etiam exempla. Apud Pla-
tonem duo sunt homines, et suo nomine et natura-
rum diversitate insignes: alter Alcibiades, varius ut
nil magis, alternis modo incitatus ad laudis studium,
et ad agendum quidvis praeclarum subito involans,
modo deficiens, et ad omnem remissionem lusumque
delabens: alter Theaetetus, perpetuo conatu aequa-
biliter ad propositum virtutis finem pergens, et, ve-
luti oleum (74), tacito continuoque motu sine stre-
pitu fluens. Aut, veluti flumina, alia debilitantur
minuunturque per aestatem et siccitatem, ut prope-
modum deficiant, rursus invalescunt ingruente nim-
bo aut hieme, supra notas, ut Poëta (75) ait, ri-
pas aluntur, et proxima quaeque loca inundant: alia
perennia, constanti et aequabili, sed invicto tamen,
per omnem aevi diuturnitatem, tractu labuntur. Huic
sedatiori generi similior fuit Ruhnkenii natura. Me-
mini me aliquando simili comparatione inter se con-
ferre duos Britannos, Marklandum et Toupium (76),
ut illum ratione, hunc ingenio, Criticam factitare di-
cerem. Inter hos medium tenuit Ruhnkenius, ut in 219
sua utrumque facultate non modo aequaret, sed su-
peraret; quippe alteram facultatem altera, rationem
ingenio, et ingenium ratione, vicissim corroborans.
Tota Ernesti, quamvis egregia, doctrina magis ra-
tione quam ingenio constitit, magis judicando quam
in-

(74) Plato Theaeteto, p. 115. D: οἷον ἐλαίου ῥεῦμα ἀψοφητὶ ῥέοντος.

(75) Horat. Carm. IV, 2, 6.

(76) Biblioth. Crit. Vol. I. Part. III. p. 39.

inveniendo consumta est: emendationes locorum corruptorum, magnas quidem et acutas, per conjecturam haud scio an nullas protulerit. At egregia valebat judicandi facultate de aliorum inventis, de Scriptorum Editorumque dotibus et laudibus, de omni Antiquitatis studio; ut, si sola reliquisset Opuscula Oratoria et Philologica, solas item Praefationes (77), in primis Ciceronianam illam ad Stiglizium, immortaliter de Literis meruisse censendus esset. Cumque in convincendo errore duplex fere sit Critices munus, alterum corrupta emendare, alterum spuria discernere à germanis, et suo quodvis auctori vindicare opus, nec alienum ei tribuere; in emendando facilior fuerit Toupius Marklando, si quidem facilitas est ingenii dos: at in discernendo, quod est rationis, huic minime comparandus. Hujus in illo genere praeclarum exstat specimen, *Animadversiones de mutuis Bruti et Ciceronis Epistolis, et ejusdem aliquot Orationibus* (78); quibus in Animadversionibus id agens, ut

(77) Illam ad Stiglizium Dedicationis nomine insignivit, et in altera Ciceronis editione praemisit Voluminis quarti Parti secundae.

(78) Liber Anglica lingua scriptus, editus Londini 1745, forma octava, hunc habet titulum: *Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero: — with a Dissertation upon four Orations ascribed to M. Tullius Cicero: viz.* 1. *Ad Quirites post reditum.* 2. *Post reditum in Senatu.* 3. *Pro Domo sua ad Pontifices.* 4. *De Haruspicum responsis —. By Jeremias Markland —.* De Epistolis, jam ante Marklandum, dubia moverat Jacobus Tunstallus, in Epistola ad Middletonum, edita Cantabrigiae 1741. De his assentior: de Orationibus, non item. Sic adhuc quidem sentio.

ut illas Orationes et Epistolas ostendat esse spurias, insignem certe judicandi subtilitatem ostendit. Tou- 220
pius si quando hoc genus attingit, quod rarissime facit, minus feliciter rem agit: veluti, caeterum κριτικώτατος in emendando, insigne ἀκρισίας et fere ἀβλεψίας monumentum sibi constituit ad Longini Fragmentum, ubi inter principes Graecae eloquentiae, Demosthenem, Lysiam, Isocratem, ponitur *Paulus Tarsensis; quippe qui primus praefuerit opinioni argumentis non probatae:* quae verba à Graeculo Christiano esse, quum res ipsa loquatur, et monuisset Ruhnkenius ad Rutilium Lupum p. 88, ab ipso laudatus Toupio ad hunc locum, tamen ipse ineptissimum commentum ita tuetur, ut dicat, *Longinum ita scripsisse pro lubitu et gustu suo.* Plurimum sane valet cum ad judicandum, tum ad emendandum, frequente lectione Scriptoris cum eo familiaritatem contrahere, ejusque dicendi cogitandique forma et quasi sono tritas aures et sensum exercitatum adferre; ut quovis loco memoria menti statim subjiciat, quid Scriptoris consuetudo et ingenium postulet, quid respuat. Hanc facultatem ita tenuit Ruhnkenius, ita Scriptoris cujusque formam rationemque animo perceptam impressamque habuit; ut non modo spuria quaevis primo obtutu animadverteret, sed multis multorum Scriptorum locis sine illorum nomine deinceps positis, veluti in Stobaeo, sentiret continuo cujus Scriptoris quisque locus esset: et, in Anthologia, Epigramma, quodcumque 221
auctoris nomine omisso exstaret, semel eo lecto statim intelligeret non solum qua ex aetate, antiqua, media, an postrema, sed quod longe majus, cujus Poëtae esset, ex eo adeo genere Poëtarum, quorum

non nisi paucissima supersunt Epigrammata; quorum proinde quod cujusque sit, difficillimum est judicare. Sed emendationum conjecturas, nisi sponte et subito, facili certe partu, natas, non probabat: quae conjectoris cogitationem diu exercuissent, has *vultum nitentis* habere ajebat: quod Suetonius dixit de Vespasiano (79). Unam fatebatur, ex omnibus suis emendationibus, quas quidem adhuc putaret certas esse, multo sibi tempore constitisse, Velleji Paterculi, (I, 18.) proditam in Historia Critica Oratorum Graecorum, p. 37, qua mendosa scriptura, *Una urbs Attica pluribus annis eloquentiae, quam universa Graecia operibusque floruit*, ita corrigitur, ut legatur, *Una urbs Attica pluribus sanae eloquentiae, quam universa Graecia, operibus effloruit.* Mihi aliquando, complures unius loci emendationes ejus judicio subjicienti, adscripsit, *Sardi venales, alius alio nequior: verum non est nisi unicum.* Atqui ipse Hemsterhusius multas ejusmodi conjecturas prodidit, ut disserendo sensim ad corrigendum tendens, plures
222 ejusdem loci correctiones proponens, et in utramque partem de iis disputans, judicium lecturis relinqueret. At Ruhnkenius, ut Hemsterhusium ratione, Bentlejum ingenio, alterum alteri, praestare, et utrumque utraque facultate omnibus sui aevi Criticis longe antecellere, censebat; ita primas partes ingenio, ingeniique Bentlejo tribuebat: eique sua ipse na-

(79) In Vita Vespasiani, 20: *Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis. Unde quidam urbanorum non infacete, si quidem petenti ut et in se aliquid diceret: dicam, inquit, cum ventrem exonerare desieris.*

natura in omni Critices munere similior erat. Igitur utriusque in utraque facultate specimina exstant palmaria; cum emendationes felicissimae innumerabiles, tum disputationes subtilissimae complures: Bentlejanae (80) quidem, de spuriis Graecorum Epistolis, Phalaridis et aliorum: Ruhnkenianae vero, de Longino (81), Andocide (82), Antiphonte (83), Orpheo (84), aliisque passim auctoribus, et una omnium difficillimam caussam complexa de Festis Dionysiorum apud Atticos: denique omnes omnino Praefationes, prudentia omnique intelligentiae laude, haud minus atque Ernestinae, in principibus laudatarum Praefationum censendae.

Sed ingenio, ratione, caeterisque intelligentiae facultatibus, quamvis magnis, nemo quisquam magnus vir exsistat, nisi *doctrina* accesserit: nec doctrina accedit, nisi quis multa legerit, idque ordine et ratione, lecta commentetur et animo revolvat, memoriae mandet, scripto notet. Ruhnkenius, ut supra diximus, (p. 24. seq.) Hemsterhusii exemplo, ex illa infinita scientiae materia sibi unam elegerat, in qua elaboraret, 223
partem, Graecarum Latinarumque Literarum, item Historiae et Antiquitatis interiorem, id est criticam grammaticamque, cognitionem. Nam, quae alia puer aut adolescens didicerat vel gustaverat, in Orientali-

bus

(80) Anglice scriptae, Latine redditae à Joanne Daniele Lennepio, additaeque editioni Epistolarum Phalaridis, Groningae 1777. Vid. Biblioth. Crit. Vol. I. Part. II. p. 69, et seq.

(81) Vid. supra p. 169.

(82) Historia Crit. Oratorum Graecorum p. 47.

(83) Vid. supra p. 146.

(84) Epistola Crit. II. p. 228.

bus Literis, Philosophia, Mathematicis, Jurisprudentia, his semel perceptis nil porro studii tribuebat; et si quid eorum per se ipsum in memoria remanserat, hoc ne ipse quidem scire videri volebat: adeo erat alienus ab omni scientiae, quam non perfecte teneret, professione. Habet autem Literarum studium, si accurate tractetur, multum laboris et aerumnae, sine qua certus doctrinae ac suavitatis fructus percipi nequit; propterea, quod is fere exsistit ex innumerabilium, non modo rerum, sed et verborum, scientia; quae, ut lecta sunt, ita è memoria effluunt, nisi scripto notentur et in adversaria referantur. Et vero hanc diligentiam editis quidem Scriptoribus nemo non adhibuit, qui aliquod nomen in his Literis consecutus est. Ruhnkenius hanc diligentiam non tantum editis, sed ineditis etiam, tot tantisque adhibuit Scriptoribus, quot quantisque ante eum nemo. Incredibile est dictu, quanta ejus fuerit et fortitudo in suscipiendo labore, et patientia in ferundo. Cumque ea fere opinio plerorumque animos occupaverit, magna ingenia quasi soluta volitare, nec ad certum
224 operariumque negotium adstringi se sinere, delicata plerumque et fastidii plena; eo majus Ruhnkenii existimandum est ingenium, quod, in tanta et venustate et velocitate, tam improbos ac fere serviles labores perficere potuerit. Nemo enim umquam fuit, qui tot Scriptorum edita exempla cum tot scriptis codicibus contulerit, tot ineditorum Grammaticorum et Interpretum commentarios è tenebris in lucem protraxerit, excusserit, excerpserit, descripserit; recte judicans, magni ingenii esse, nullum critici muneris laborem vel extimescere, vel fastidire. Porro, si nostrates, qui postrema illa fuerunt aetate, Critici,

Hem-

Hemsterhusius, Valckenarius, Ruhnkenius, quique
ad horum praestantiam proxime accesserunt, Wesse-
lingius et Piersonus: hi igitur si cum aliis, veluti
Gesnero et Ernesto, comparentur, pauciora sane
ediderint, sed magis illa omni doctrinae apparatu ab-
soluta, suis locis expleta, omnis materiae veluti cum
pulvisculo exhaustae numero modoque cumulata. At-
qui Ruhnkenius Graecarum Latinarumque Literarum
tantam scientiam consecutus est, ut neque critica fa-
cultate, neque copiarum ubertate et amplitudine, cui-
quam aut aequalium aut priorum cederet; Antiquita-
tis vero et Historiae, cum reliquae, tum in primis
Literariae, quae ad res scriptaque Veterum cognos-
cenda, eorumque notitiam ex abditis antiquorum li-
brorum recessibus excitandam refertur, nemo ipsi 225
comparari possit, atque cum diligentia copiisque Fa-
bricii, subtilitatem rationemque Jonsii conjungeret,
utrumque vero critica facultate cum emendandi, tum
judicandi, longe longeque superaret. Nullus erat
Graecus Latinusve, Poëta, Philosophus, Historicus,
Orator, Rhetor, Grammaticus, Lexicographus,
Scholiastes, Commentator Platonicus aut Aristoteli-
cus, nullus cujuscumque generis sive editus sive in-
editus Scriptor, nulla denique docti historicive ar-
gumenti Inscriptio, nullum omnino eruditae Antiqui-
tatis monumentum, quin id cognitum, notatum, ex-
cerptumque in adversariis teneret: unde nullius non
Veteris rei hominisve emortuam memoriam excitare
et ad vitae lucem revocare, hujusque sylvae, tam-
quam acervi, partibus digerendis et invicem confe-
rendis, agitandis, terendis, abdita ignis semina eli-
cere, et quasi facem accendere, posset, qua obscu-
rissimos et nemini cognitos Antiquitatis recessus pa-
te-

tefaceret atque illustraret. Nec minus erat versatus in recentiore Literarum Historia; ut homines Graece Latineque doctos, Criticos, Antiquarios, Grammaticos, editores et interpretes antiquorum Scriptorum, eorumque editiones et commentarios, in numerato haberet, nec ullus fuit bonus liber tam rarus, ut ejus notitia ipsum fugeret. Quod si etiam reputemus,
226 eum, in hoc argumento tractando, et rationis et orationis elegantia proxime ad Veterum praestantiam accessisse, minus etiam dubitabimus principatum ei hoc in genere deferre. Sed bene scribendi facultas fuit in Ruhnkenio singularis quaedam doctrinae laus: de qua jam dicendum est.

Doctrinae studiosi homines sunt cives duarum civitatum: popularis, in qua quisque vivit: et literatae, dispersae ac diffusae per omnes populares civitates, quae tot sunt, quot sunt populi diversa ab aliis sibique propria oratione et lingua utentes. Literatae civitatis una est communis lingua Latina. Hanc linguam ita tenere ut hujus civitatis quamvis late patentis vinculum contineatur, ut te omnes cives et intelligant, et cum delectatione, animi affectu, doctrinae ac virtutis fructu, legant et audiant; nonne praeclara quaedam est facultas? Et hanc facultatem quum perfecte tenuerit Ruhnkenius, nonne haec laus, quamvis magnarum, ipsius laudum magna accessio haberi debet? Igitur quum à natura acerrimum, ut saepe significavimus, pulcri decorique sensum nactus esset, cumque continua Veterum lectione exerceret; necesse erat, ut ipse, si quid scriberet, Veterum optimis simillimus esse cuperet. Sed hac in caussa nemo non est, qui Latine scribit: nemo non cupit ad Veterum similitudinem accedere. Atqui eorum

qui

qui cupiunt, quam pauci hoc assequuntur? Nimi- 227
rum sensus pulcri decorique, quamvis acer, non satis per se ipse valet ad bene scribendi facultatem; oportet ut sit idem tener et mollis ad suscipiendam bonae Latinitatis formam, idem tenax ac firmus ad eam retinendam: porro accedat oportet diligens et continua cum lectio, tum scriptio. Et verò bene Latine scribere duabus, ut ipsum nomen significat, constat partibus, *Latine* scribendo, et *bene* scribendo: prioris haec est vis, ut oratio sit pura, sincera, emendata, nil habeat sordium à recentiore aevo, nil alienum à consuetudine Latina et Grammatica ratione: posterioris, ut et argumentum, de quo scribimus, accurate cognitum perspectumque nobis sit, et pura illa sinceraque Latina oratione explicetur opportune et accommodate ad triplex eloquentiae munus, id est, perspicue ad docendum, suaviter ad delectandum, graviter ad commovendum. Utrumque, et *Latine* et *bene* scribere, ingenio et labore paritur: ita quidem, ut in illo majores sint partes laboris, in hoc ingenii. In utroque qui excellerent, paucissimi fuerunt. Veluti, ut hoc utar, summus vir et Latinitatis scientiâ princeps, Jo. Fred. Gronovius, pure scripsit, bene non item; nam et perspicuitati et compositionis facilitati aliquantum deëst, et vero plurimum suavitati, quae una omnium praecipua est dos.
Muretus et Ernestus bene scripserunt, pure etiam in 228
habitu et forma; ita tamen, ut in singulis verbis ac dictionibus aliquid subinde sordium adhaeresceret, quod in Mureto notavit Ruhnkenius: in Ernesto item notare poterat, si hoc agere voluisset. Igitur docti homines plurimi tanta bene Latine scribendi difficultate absterriti, studium suum ad solam materiae re-

rum-

rumque cognitionem retulerunt, eaque contenti, ita
scripserunt, ut potuerunt. Neque dubium est, quin
stili limaeque curâ neglectâ, hisque debito tempore
ad lectionem collato, aliquanto doctiores in ipsa ma-
teria locupletioresque exstiterint. Quo magis admi-
rari debemus Ruhnkenium: qui, et in rerum accurata
cognitione, et orationis egregia facultate, et hujus
quidem utraque parte, et Latine et bene scribendo,
ita valuit, ut in principibus adeo harum laudum ex-
celleret. Qui ejus scripta legunt, homines etiam La-
tine mediocriter et ad vulgarem modum docti, conti-
nuo capiuntur perspicuitate, facilitate, suavitate,
sententiarum venustate et luminibus, qui vero prae-
terea gnari sunt bonae Latinitatis, haud minus mi-
rantur illam in omnibus verbis ac tota oratione pu-
ritatem, castitatem, sinceritatem, germanum illum
Romanae civitatis atque urbanitatis habitum et colo-
rem, illam in lingua antiqua, nec nisi libris ac scri-
ptis monumentis servatâ, haud secus atque in recen-
229 tiore lingua vitae hominumque quotidiano usu fre-
quentatâ et cultâ, copiam ac solertiam, ex illa mate-
ria, tamquam cera, egregiarum quarumcumque cogi-
tationum venustissimas imagines effingentem. Quae
laus, quamvis mirabilis, mirabilior etiam videbitur,
si reputemus quantis in Latinae linguae angustiis tan-
ta copia et ubertas orationis exstiterit. Ruhnkenius
in judicio ac scientia puritatis incredibile studium po-
nebat: singula verba et compositionem ad usum opti-
mae aetatis exigebat: huc referebat et annotabat quid-
quid vel ipse legendis Auctoribus animadverteret,
vel à recentioribus hominibus doctis, cum in com-
mentariis ad Veteres Auctores, tum in peculiaribus
de Latinitate libris, quales sunt Vossii, Scioppii,
Cel-

Cellarii, aliorum, quorum omnium scripta inventaque pertractata habebat, et quotidiano usu contere-bat, animadversum deprehenderet. Et in verborum dictionumque usu ac delectu non facile ad Senecae aetatem descendebat. Memini me subinde ab eo inter confabulandum dissentire, non adeo ex animi sententia et serio, quam discendi caussa, ut cum lacessens longiores ejus de hoc argumento sermones elicerem: cum dicerem, Latine scribendi facultatem nobis constare non posse, nisi multa è Senecae et posteriore etiam aetate assumamus, quaedam adeo ipsi nova fingamus, vel ad Latinae linguae analogiam, vel ad 230
Graecae consuetudinem; ejusque partim sententiae auctorem laudarem Muretum in Epistola, I, 36, et egregia illa disputatione Variarum Lectionum, XV, 1. Ipse affirmabat idem quod postea, ad hunc Mureti locum, et in Praefatione ad ejus Opera, scripsit, Muretum ipsum contra factitasse, sibi illum locum tamquam refugium parasse, quo se tueretur, si quid sibi aliquando scribenti minus probum excidisset: ex optima nobis aetate satis superesse monumentorum, unde nullius non rei cogitationisque significandae dictionem auctoritatemque repetamus. Recte etiam judicabat Latinae Linguae haud exiguam partem, adhuc ignoratam, è Glossariis antiquis bibliothecae Lugdunobatavae restitui posse. Quod ab eo judicium proditum in praefatione ad Appulejum censor Goettingensis quum non satis caperet, ignorantiam suam cavillatione dissimulavit. Sed hac de re statuere non est hujus loci: et suum cuique, et nobis nostrum, relinquimus judicium. Illud omnes confiteri oportet: Ruhnkenii, qui tam severo censu civitatem purgasset et ad verborum paucitatem redegisset, seque ipse tam

ar-

arctis Latinitatis finibus circumscripsisset, et tamen multa scripserit, et pure beneque scribendi officio ita satisfecerit, ut omnes recentiores hac laude superaverit: hujus igitur hominis scientiam, solertiam, facultatem, singularem et fere incredibilem fuisse. Ne-
231que vero suae orationis habitum et structuram ad Veterum unius alicujus exemplum dedita opera conformavit. Cum ipsius naturâ tum optimi cujusque Latinorum Graecorumque lectione effectum est, ut propriam quamdam orationis formam contraheret, pellucido et sine salebris labenti flumini simillimam: quae inter vim, copiam, pulcritudinem, gravitatem, majestatemque Ciceronis, et facilitatem, lenitatem, nativamque et simplicem venustatem Nepotis, quasi medium teneret: et ipse, quod initio diximus, immunis à sui saeculi labe, integer castusque à prisci sanitate aevi prodiisse videretur. Et dubitabimus adhuc, intelligentiae, doctrinae, Criticae facultatis, Eloquentiae, caeterarumque laudum aestimatione facta, eum omnium à renatis Literis aetatum principem censere? qui tam multa tamque egregia ediderit scripta, quorum unumquodque per se satis valeat ad scriptorem immortalitati commendandum: qui et in Latinis Literis Latinarum, et in Graecis Graecarum, principibus par exstiterit: utrarumvis principes vel alterarum scientia, vel orationis et bene scribendi laude, superaverit.

Haec ingenii doctrinaeque bona ita ad *institutionem disciplinamque* contulit, ut nec ipse labori parceret, nec labor fructu careret. Et quae publica fuit ope-
232ra, vel scholis habendis, vel libris scribundis, de hac supra satis diximus. Illud nunc intelligi volumus, quantum librorum scriptione absens absentibus, mul-

tis

tis et ignotis, per totum literatum orbem emolumenti
attulerit: in quibus et ego nomen profiteor meum, et
semper profitebor. Nullius enim, quotquot fuerunt
Literarum principes, scripta in legentium animos in-
fluunt tanta cum orationis suavitate, tanta cum doctri-
nae luce ac praestantia, tanto cum pulcri honestique
sensu. Neque vero minus privatim multos juvit, sive
praesentes sermone, sive absentes epistolis. In his,
ut omittam nostrates, Albertium, Piersonum, Len-
nepium, Koenium, Eldikium, alios; exterorum nemo
fuit ipsius aetate clarus in Literis vir, cui non vel
consilium de studiorum via operisve alicujus instituen-
di perficiendique ratione, vel aliquam animadversionis
lucem, vel aliquod editionis additamentum incremen-
tumve impertiverit. Quod ne cui forte, eorum no-
minibus reticendis, temere et uberius quam pro rei
veritate dixisse videamur, fuerunt ex horum numero,
Gesnerus, Ernestus, Heynius, Heusingerus, Mus-
gravius, Toupius, Herelius, Villoisonus, Hottinge-
rus, Brunckius, Schweighaeuserus, Matthaeus, Vos-
sius, Morellius, Rossius, Burgessus, Porsonus,
Edwardsius, Wolfius, Spaldingius: alii, quos no-
minare omnes infinitum sit. Nec quisquam fuit è no-
stratibus Literarum princeps, cui tam frequens cum 233
exteris eruditis epistolarum consuetudo intercederet.
Nemo, vel doctrina cognitus vir, vel ignotus adole-
scens, de quo bene auguraretur, eum per epistolas
quid rogavit, cui non benigne humaniterque vel re-
sponderet, vel satisfaceret. Fuerunt vero etiam, qui-
bus numquam responderet, quamvis saepe eorum epi-
stolis provocatus et oppugnatus; si quidem, cum
doctrinae penuria, superbiam postulandique importu-

nitatem et impudentiam adferrent. Discipulos, quibus aut ingenium aut voluntas discendi deësset, jubebat aliud quodvis quam literatum vitae genus sequi: quibus illa adessent, hos facile animadvertebat, privatim ad se domum vocabat, adhortatione incitabat, in optimam progrediundi viam ducebat. Nec minore facilitate excipiebat provectiores, licet scholarum ejus expertes, si quidem cum sincero Literarum amore se ad eum applicarent. Eorum, qui altius evolare et posse et velle viderentur, ita fere tentabat ac tractabat ingenia, prouti Hemsterhusium (85) factitasse, ipse scripsit in ejus Elogio. Dabat iis in manus egregium aliquem classici Auctoris locum, jubens eum accurate legere, sibique referre quid maxime animum pepulisset, quid maxime placuisset, quid exquisite dictum, quid obscurum ac difficile in-
234 tellectu videretur. Si nil magnopere referrent, alium deinceps vel ejusdem vel alterius Auctoris locum dabat, donec ejusmodi quid referrent, unde certo appareret, eos cum sensu veri pulcrique legisse. Saepe enim fit, ut qui in alio frigeant Auctore, iidem alio caleant. Sed ubi semel incaluissent, salva res erat: bene coeperant, dimidium facti habebant (86). Ipse partes loci difficiliores interpretando expediebat: unde discentium et progressus juvabatur, et studium incendebatur. Hi, tali ratione lecto loco, sponte sua ad totum Auctorem perlegendum ferebantur. Quod dum agebant, monebat eos item, ut diligenter animadverterent locos obscuros ac difficiles, de iisque

(85) In Elogio p. 57.

(86) Proverbiale. Vid. A. Schottus, Proverb. è Suida, III, 64.

que judicarent, utrum interpretando an emendando expediendi essent. Sed juvenile ingenium fere ad emendationem proclive est, ejusque audacia capitur: interpretationis veluti lentum iter fastidit. Est sane emendatio munus praecipuum Critices, ejusque tirocinio apta in primis materia, cum exercitatione ingenii, tum illecebris excitandi retinendique studii: sed est eadem, nisi ratione et judicio regatur, prona ad temeritatem ac libidinem. Igitur nolebat adolescentes adhuc rudes aliarum rerum, nec dum à judicio paratos, et lectione usuque Scriptoris tractandi probe versatos, emendationem factitare. His demum praesidiis instrumentisque quasi armatos, jubebat li- 235
brum lectum relegere, locos corruptos animadvertere, animadversos ipsi monstrare: monstratos ipse tractabat cum discente, docens eum judicare, qui sani, qui corrupti, essent loci. Quos, habito judicio corruptos esse constaret, ipse, inscio discente, tacitus emendabat, eique emendandos tradebat: monens ut totum locum saepius legeret, antecedentia cum sequentibus accurate compararet, ipse se penitus in Scriptoris mentem insinuaret, et, quam ea sententiam dictionemque postularet, quaereret. Discens hac judicii via ad inventionem quasi manu ductus, si aciem ad locum corruptum intenderet, ac Scriptoris usu tritum haberet sensum notanda ejus ratione et oratione, modo probabili memoriae facilitate valeret, sponte in veram emendationem incidebat. Aliter, et ab aliis, illo subsidiorum apparatu non instructis, emendationem tentari nolebat. Nam, quod apud Platonem egregie dictum exstat de adolescentulis recens Dialectica imbutis, eos, veluti catulos,

omnia carpere et lacerare (87), idem rudibus ac re-
centibus ingeniis in emendando accidere dicebat, ut,
veluti catuli nondum condocefacti, in emendationis
quasi venationem immissi, omnia corripiant, vellant,
turbent, et quidvis pótius quam feram capiant. Ita-
que valde reprehendebat, adolescentes, nulla aut per-
exigua doctrina praeditos, solo ingenio fretos, ad
emendandum se dare, partasque emendationes conti-
236 nuo in lucem edere: probans, quod ingenium exer-
cerent, non probans, quod immaturos ingenii foe-
tus, et quasi abortus, alerent, vestirent, et ad pu-
blicam notitiam producerent, ignorantiaque recti, coe-
coque sui amore, speratos lectores contemnerent,
quibus inficetas istas dapes apponere auderent. Fuit
aliquis ipsius Valckenariique discipulus, adolescens
bonae indolis ac spei: qui ab ineptis laudatoribus ad
sui ipsius admirationem vanitatemque elatus, quum
audivisset, duplex esse genus emendationum, alte-
rum ingenii, subito illud et sponte nascens, alterum
doctrinae, tempore ac labore quaesitum, ingenio isto
rerum inani et jejuno in emendandi quasi officinam se
conjiciebat, integra quaeque et sana corrigens: haud
obscure ingenium in absentia doctrinae ponens, ni-
mirum illud adesse sibi putans, hanc deësse sentiens.
Hic quidem postea, agnoscens suum ipse errorem,
ac

(87) Republ. VII, p. 490, D: οἶμαι γάρ σε οὐ λεληθέναι, ὅτι οἱ μειρακίσκοι, ὅταν τὸ πρῶτον λόγων γεύωνται, ὡς παιδιᾷ αὐτοῖς καταχρῶνται, ἀεὶ εἰς ἀντιλογίαν χρώμενοι καὶ μιμούμενοι τοὺς ἐξελέγχοντας, αὐτοὶ ἄλλους ἐλέγχουσι, χαίροντες, ὥσπερ σκυλάκια, τῷ ἕλκειν καὶ σπαράττειν τῷ λόγῳ τοὺς πλησίον ἀεί. De quo loco quaedam notavi ad Plutarchi libellum, De Sera Numinis Vindicta, p. 11.

ac doctrinae adquirendae cum necessitatem tum difficultatem, se à Literarum studiis ad aliud vitae genus contulit. Sed Ruhnkenius, ut acute animadvertebat, qui calcaribus, qui fraenis opus haberent discipuli (88): ita fraenum unum certissimumque censebat rationem à veri, recti, decorique judicio profectam: quod fraenum qui respuerent, eos sibi ipsis ac tempori relinquendos esse: qui reciperent, eos, ut ab 237
emendandi libidine, ita ab eruditionis profusione et ostentatione, cohiberi. Erat, qui de aliquo argumento libellum conscriberet, in eumque omnia quae sciret, etiam ab argumento aliena, effunderet, ac per digressiones interpositionesve inferciret. Hunc docebat, ad opinionem hominum laudabilius esse, aliquid in scriniis reservasse, quam omnia effudisse, videri: ac potius delectu existimationem abundantiae et judicii consequi, quam profusione in penuriae ac temeritatis reprehensionem incurrere. Ego, postquam Epistolam Criticam, et Plutarchum de Sera Numinis Vindicta, edidissem, porro alias animadversiones meas peculiari libro edere adgrediebar; ille hunc impetum reprimens, „Tu potius, inquit, studium omne tuum confer ad editionem omnium Plutarchi operum; tantus hic est campus, ubi omnibus tuis, bonis quidem, correctionibus locum des." At, inquam, interea alii partem earum occupabunt, mihi-

(88) Ut Isocrates fecit in Theopompo et Ephoro. Cicero Brut. 56: *Quare hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque: et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori, dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri fraenos.*

hique inventionis laus peribit. Tum ille, „*Pauperis est numerare pecus* (89): tua tibi semper manebunt inventa: et si forte alius unum alterumve praeripuerit, hoc, postea tuo tempore à te editum, ipso loco et habitu te inventorem testabitur." De hac ejus admonitione plura dixi nuper in Animadversionum Plutarchearum praefatione, quam paulo ante
238 obitum non sine voluptate legit. Erat aliquando, qui de argumento historico scriptum quoddam suum ei legendum daret, ubi testem laudasset Simsonum in Chronico. Huic ille: „Quid tibi, inquit, cum Simsono? quin tu ipsos antiquos lauda auctores, unde sua habet Simsonus: quibus interpretandis corrigendisve si is novi quid profert, aut veterem errorem nondum antea cognitum refellit, potest sane memorari, ut item Wesselingius in notis ad eum, ut alii Critici, qui critice Historiam tractarunt: non item, ubi res pervulgatas refert." Erat alius, qui de Romana Historia testem citaret Rollinum. „Apage, inquit, Rollinum, qui tironibus et indoctis scripsit: his praestat utilitatem jucundi narratoris, nobis non habet auctoritatem locupletis testis: valeat nobis quisquis unice fretus orationis commendatione, ut ait ille,

Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent quas fecisset fabulas (90)."

Ruhnkenius, quo erat decori sensu, indignabatur, homines adeo quosdam doctos ista consuetudine laborare, ut aliquem locum tractantes, alios omnes, qui eum tractando attigissent, ineptos homunculos ac

(89) Ovid. Met. XIII, 824.
(90) Terent. Prolog. Andr. vers. 5.

ac terrae filios, ad partes vocent, nec dubitent *stellis nebulam spargere candidis* (91); ne scilicet aliquid ignorasse videantur: recte judicans, istiusmodi testium sordibus ac faece, gravissimorum etiam aucto- 239
ritatem testium debilitari, iisque injuriam fieri, atque librum adeo ipsum inquinari: narrans cum joco, Bentleji illud superbum quidem, nec tamen à re alienum dictum: qui, quum in libro quodam nullam fecisset mentionem scriptoris cujusdam, eodem in argumento versati, ejus omissionis caussam interrogatus, cum stomacho respondit, *Nolui hominem aeternitati tradere.*

Qui ad eum, quem diximus, modum profecissent, his suadebat, et facile persuadebat, ut aliquid scriberent, quo facultatem suam publice commendarent. Hoc eo valebat consilium, ut semel susceptum scribenti necessitatem imponeret Scriptorum deinceps Veterum cogitate meditateque tractandorum, et recentiorum item optimorum quidem legendorum, unde doctrina argumento proposito accommodata colligeretur. Argumentum non omnibus ejusdem generis, sed, pro naturarum diversitate, aliis aliud proponebat: editionem Auctoris, vel Graeci, vel Latini: disputationem de ejus scriptis et vita: locum ex Historia vel Antiquitatibus: animadversiones criticas in unum aliquem, aut plures Auctores. Eos etiam, qui nullum scribendi propositum haberent, monebat ut Graeca legerent quantum possent, et, si nil aliud, certe Homerum ingeniorum principem, et Atticam Musam Xenophontem: è Latinis Ciceronem, 240
Nepotem, Livium, Terentium, ac Poëtarum prin-

(91) Horat. Carm. III, 15, 6.

cipes, Virgilium maxime et Horatium. Versus facere neminem hortabatur: hortabatur, ut optimos quosque Poëtas legerent: horum lectione qui mentem ad pulcri rectique sensum formasset, indeque Musarum et fonte repletus et instinctu excitatus ad carmen pangendum ferretur, si quidem ei adesset

> Ingenium, — mens divinior atque os
> Magna sonaturum,

hujus impetum regebat ratione, hujus studium praeceptis juvabat: qui illam spem non adferrent, hos monebat, ut intra prosae orationis fines se continerent. Omnium vero maxime perversum eorum improbabat morem, qui, quum nondum sciunt quid sit Latinum, nec Latinitatis Grammaticam rationem, nec prosae orationis probabiliter scribendae facultatem, tenent, tamen et ipsi versus faciunt, et indoctiores etiam ipsis discipulos versus facere jubent: quod aeque ridiculum esse, ac si è duobus, quorum neuter pedibus incedere posset, alter alterum saltare juberet. Omnino, ut emendandi libidinem, ita et hanc, ratione corrigendam esse: hujus corrigendae saluberrimum esse remedium lectionem Horatianarum de Arte Poëtica Epistolarum: has omnibus, et
241 facientibus versus et non facientibus, ediscendas commendabat: his qui non melior fieret, ei Anticyram abeundum esse. Et quod Horatius verissime pronunciat,

> Scribendi recte sapere est et principium et fons;
> Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae (92):

non modo res, sed rationem, in Socraticorum libris consignatam esse: nec esse aliud quidquam magis So-

(92) Horat. Art. Poët. 309.

Socraticum, quam adolescentium ἐκπνευματοῦν τὸν τύφον (93), inanem tumorem ac ventum ex animis detrahere, praejudicatasque opiniones expurgare, animique oculos in se ipsum, et ad sui ipsius cognitionem, convertere. Igitur discipulis, si quid aliud, suadebat ut Xenophonteos et Platonicos legerent dialogos: quippe qui non solum verissimam Atticae elegantiae normam, sed unicam certissimamque stultitiae arrogantiaeque medicinam, τὸν κριτικὸν καὶ καθαρτικὸν λόγον (94), judicandi, purgandaeque mentis, rationem continerent.

Ex hujusmodi ingenio, doctrina, institutionis ac vitae ratione, *animus* exsistebat his virtutibus consentaneus. Acerrimus ille, quem natura ei tribuerat, pulcri decorique sensus, mature et à prima inde pueritia ad actiones, officia, moresque traducebatur: mox alebatur augebaturque legendis continuo optimis quibusque Graecorum Romanorumque scriptis. Ita enim se, profecto, res habet, ut vere doctus et literatus, nisi vir bonus, nemo esse possit. Omnis 242
Literarum materia, verum, bonum, pulcrum, elegans, venustum, decorum, honestum, quidquid ejus est, ex eodem fluunt naturae fonte, communi vinculo continentur; ut, qui eorum unum negligat, in reliquis perfectus exsistere nullo modo queat. Porro, in tota rerum natura nil est pulcrius, nil amabilius virtute: nec quidquam vere pulcrum, sine virtute. Igi-

(93) Plutarchus De Audiendis Philosophis, p. 39, D: Quaestion. Platonic. I. p. 99 et 1080. Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. p. 20. seq.

(94) Plutarch. ibidem p. 999, F.

Igitur Criticus, veri pulcrique judex, sublimium in Scriptoribus Antiquis sensuum interpres, quo modo exsistat is, qui ad honesti sensum frigeat, nec virtutis amore incalescat? Qui virtutis nomen inane ducit; qui prudentiam, voluptatis et utilitatis, non veritatis officiique inventricem laudat: fortitudinem, temperantiam, justitiam, ad scholae umbram abjicit, nec vitae rectrices constituit; ecquod sibi tandem relinquit argumentum, in quo ingenium ad altitudinem extollat, et ad verae pulcritudinis judicium exerceat? Qui officiorum sanctitatem, morumque innocentiam, cavillando elevat, eorum fundamenta argutando labefactat, nullum divinum numen, aut si forte, nullum ejus imperium, nullam providentiam, majestatem nullam, esse putat: quomodo is illo magnitudinis sensu, illo divinitatis instinctu afflatuque afficiatur, quo Antiqui Scriptores incensi animatique fuerunt, qui adhuc in eorum scriptis et calet et spi-
243 rat, sine cujus communione bonus eorum interpres esse nemo potest? quomodo is, humili abjectaque mente, illum altitudinis ac divinitatis sensum concipiat? Et si vere dictum est à Veteribus, optimum esse interpretem, eum, qui proxime ad ejus, quem interpretatur, divinitatem accedat (95); vere videor con-

(95) Hoc à multis ductum: indeque profectum illud Ciceronis Divinat. II, 18: *Quorum* (divinationis generum) *omnium interpretes, ut Grammatici Poëtarum, proxime ad eorum, quos interpretantur, divinitatem videntur accedere.* Quo loco apposuimus *divinitatem:* quod et Hottingero, elegantissimi judicii viro, in mentem venerat, multoque nobis probabilius videtur quam vel id, quod postea ipse probavit, *dignationem*, vel vulgatum *divinationem.*

contendere, Ruhnkenium optimum fuisse interpretem. Neque Scriptor est ullus, in quem is interpretandi operam contulerit, quin illa in opera sensus quidam magnitudinis ac divinitatis impressus exstet. Neque ullus eorum Scriptorum, quos aliqua editionis dote ornavit, Longino est sublimior, cum ipso argumenti nomine, tum ingenii, doctrinae, sensuumque sublimitate. Neque ullus fuit Longini interpres, qui se ipse interius in ejus intelligentiam et abditas cogitationes insinuaret, ad ejusdem ingenii altitudinem extolleret; difficiles locos, doctrinae abundantia et acuminis solertia, explicaret: tum vero ejus vita enarranda scriptisque recensendis, totam aperiret ac legentibus spectandam exponeret viri divinitatem, ejusdemque communione et affectu animos eorum imbueret ac repleret. Itaque omnium intelligentium judicio, ex omnibus, qui fuerunt, Longini interpretibus, unus Ruhnkenius Longino simillimus, et alter ipse Longinus habitus est.

Hic ei sensus fuit et *morum fons* et *officiorum regu-* 244
la, qua contentus rationem non desideraret: nec probabat eos, qui quavis in actione suscipienda diligentes se officiorum ratiocinatores ferrent. Hanc officiorum rationem à Philosophis explicitam libenter cognoscebat: in actionibus, nisi valde dubiis, consuli nolebat; quod deliberatio vim atque impetum virtutis ad bene faciendum magis retardaret, quam regeret: et vero paucissimas in vita humana actiones dubias esse: plerasque tam evidens manifestumque à natura impressum habere recti pravive, sequendi fugiendive, signum et indicium, quod cuique non prorsus hebeti primo obtutu in oculos incurrat. Item judicabat de veri pulcrique sensu: emendationes locorum corrupto-

torum, interpretationes difficilium, sponte ac facili partu natas, suaque se simplicitate commendantes, verissimas judicabat: minus eas, quae longa cogitatione quaesitae, veri notam non in promtu positam haberent, sed assensum intelligentium longa rationum demonstratione quasi ambirent. In Veterum scriptis quid pulcre dictum sit, sua quemque natura, nisi stupidus sit, sentire, nec admonitione opus habere: vanos esse illos admonitores, qui de pulcri caussis dissererent in animadversionibus ad Auctores, eosque aestheticis, ut vocant, editionibus interpretarentur: Philosophorum Criticorumque esse,
245 rationem pulcri peculiaribus in libris explicare: Grammaticorum, grammaticam praestare interpretationem, id est, eam, quae, quid verum sit, spectat, pulcri caussas attingere, quatenus ad veri cognitionem pertinent. Atque ut veri cognitione exsistit prudentia, reliquarum omnium virtutum fundamentum; ita veritatis amor et professio, omnium ei fuit officiorum antiquissimum, caeterorumque origo ac principium. Erat plane, ut ille apud Theocritum (96),

Πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος.

Nec ipse umquam aliter loquebatur, quam sentiebat, nec eos qui secus facerent, ferre poterat: nec magis ferebat illos, licet non sermone, tamen re et facto mendaces, qui vultu, oculis, gestu, habitu, aliquam doctrinae, prudentiae, virtutis, speciem simularent: ab eaque vanitate tantum aberat, ut imperitis, qui fere opinione ducuntur, minus etiam, quam erat, eruditus ingeniosusque videretur, et se videri aequissime pateretur. Noscebat se ipsum: verâ

(96) Idyll. VII, 44.

râ sui aestimatione intelligebat, censeri se in principibus Literarum: eumque se esse, nec prae se ferebat, nec dissimulabat. Magis congruebat cum Achillis, quam Ulyssis, indole: semper in promtu habebat illud,

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος, ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει (97).

Eramus aliquando complures apud eum, et inter 246
confabulandum incidebat Villoisoni mentio, quantumque is de Literis mereret: tum ille, *Est sane*, inquit, *doctissimus juvenis Villoisonus: sed oportebat eum ad nos venire, meaque et Valckenarii disciplina uti.* Hoc nonnullis, ut postea mihi dixerunt, superbius pronunciatum videbatur. Atqui nil fuit in hoc dicto superbiae, nil nisi candor cum doctrinae magnitudine, ejusque conscientia, conjunctus. Erat instar Chrysippi (98), Stoicorum principis, φρονηματίας: qui interrogatus ab aliquo, cui filium in disciplinam daret, *Mihi*, inquit; *nam, si quem me meliorem nossem, ipse me ei in disciplinam darem.* Quamquam Ruhnkenius modestius agebat elegantiusque, cum alias semper, tum illo in dicto; quippe qui praestantiae laudem cum Valckenario communicaret. Sed Ruhnkenii candorem omnes agnoscebant, doctrinae magnitudinem pauci, etiam docti homines, interius perspiciebant. Ille vero virium suarum conscientia fretus, nec quod deësset sibi arrogabat, nec quod superesset derogabat: et Socraticum illud εἶναι καὶ δοκεῖν complectebatur: volebat talis videri, qualis erat, nec alius in scriptis, quam in sermone et vi-

(97) Homer. Iliad. ι, 312.
(98) Diog. Laërt. VII, 183.

vitae consuetudine. Nemo est adeo in Literis hospes, qui doctissimos homines Jacobum Gronovium et Johannem Schraderum ignoret. Gronovio in sermone
247 et congressu nil humanius, nil affabilius fuisse fertur: at simul calamum in manus sumsisset ad scribendum, quod publice ederet, totus erat mutatus ab eo qui modo fuerat, nil nisi rixas et contentiones spirabat; ut ei illud Electrae (99) ad Orestem subjiceres,

Οἴ μοι, κασίγνητ', ὄμμα σὸν ταράσσεται,
Ταχὺς δὲ μετέθου λύσσαν, ἄρτι σωφρονῶν.

Schraderi haud dissimile fuit negotium. In quotidiana vita et colloquiis tanta erat modestia, quae fere ad timiditatem accedere videretur: in Emendationum libro superbus vitilitigator exstitit, qui maximorum virorum, quod ait, errores de syllabarum modo colligeret, et in triumpho duceret; ut ei item Tragicum quid (100) occinamus,

Ὄλοιο, θνητῶν ἐκλέγων τὰς συμφοράς.

Ruhnkenius magnorum virorum errores non silentio praetereundos censebat, sed eo magis corrigendos, quo magis exemplo et auctoritate nocerent: reperto errore, dolebat magno viro humani quid accidisse: humaniter item leniterque monebat: non gaudebat, neque exsultabat, veluti laureolam in mustaceo quaerens. Omnino, vere sentiebat: ut sentiebat, ita loquebatur: ut loquebatur, ita scribebat.

Ne-

(99) Euripid. Orest. 253. Eodem dicto in simili caussa usus est Chrysippus apud Diog. Laërt. VII, 182.

(100) Exstat apud Plutarchum Opp. Moral. p. 520, B: 855, D: Lucianum T. II. p. 238. Videtur Sophoclis esse sententia, quam significat Diogenes Laërt. VII, 7: cujus obscura dictio hac animadversione lucem accipit.

Neque vero lenis lentusve in agendo progredieba- 248
tur: sed illa veritatis impulsione et vehementer excitabatur ad id, quod rectum faciendumque judicasset, capessendum: in eoque exsequendo ferebatur cum impetu, donec propositum perfecisset: Chaerephontis (101) Socratici similis, σφοδρὸς ἐφ' ὅ, τι ὁρμήσειε, vehemens in persequendo, quod peteret. Qualis in Literarum studiis, talis in amicorum negotiis: horum commodis consulere jucundissimum laborem censebat, quem saepe ultro, nec rogatus, susciperet: rogatus, si gratificari non posset, candide fatebatur: si posset, operam suam et benivole promittebat, et promissam sancte praestabat. Quae opera, ut in aliis multis rebus, ita in eo maxime versata est, ut sua commendatione homines idoneos idoneis in muneribus poneret, quibus strenue administrandis et ipsi sibi laudem fortunamque parerent, et patriae publice privatimque utilitatem adferrent. Longum, nec opus, est recensere, quam multis ejus profuerit commendatio: unum hujus generis locum praeterire nequeo. Constat Ruhnkenium, non modo Professorem, sed adhuc privatum, virorum in re publica principum, hujusque Academiae Curatorum, gratia floruisse: eamque gratiam maxime, quantum posset, ad hanc Academiam augendam illustrandamque contulisse: semper quodam quasi desiderio et cupiditate 249
flagrasse, hujus Academiae ad illud magnitudinis fastigium evehendae, ut alias Musarum sedes obrueret, certe ita caput inter eas efferret,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi (102):

Id-

(101) Apud Platonem in Apologia Socratis p. 360, C.
(102) Virgil. Eclog. I, 26.

Idque recte judicavit ita se maxime effecturum, si in vacuis quibusque cathedris praestantes doctrina Professores constituendos Curatoribus commendaret. Igitur in novis Professoribus vocandis, Ruhnkenii semper, vel commendando, vel probando, maxime valuit judicium.

Magni animi multa insigniaque dedit specimina, vel in negligendis aliorum injuriis et maledictis, vel in contemnendis divitiis, vel in fortunae iniquitate ferenda, vel in domesticis calamitatibus tolerandis. Delata ipsi Literarum cathedra aliorum invidiam excitaverat: ex hoc numero, qui venusti esse vellent, eum Epigrammatibus petebant, praesertim tempore ac nomine nuptiarum, Herculis cum Omphale negotium in ipsum accommodantes. Ipse istorum maledicentia adeo non commotus est, ut eos rideret, ac versus illos amicis per jocum recitaret, nec publice quid reponeret, privatim hoc unum diceret, *Istos quidem poëtastros non magis curo, quam muscas, Herculis exemplo, qui*

Οὐδ' ὅσσον μυίας στυγερῶν ἐμπάζετο μύθων (103).

250 Quid ei cum Burmanno, Schradero, Klotzio, intercesserit; à quibus laesus, quam leniter humaniterque eos ultus sit, supra diximus: de multis, aliis aliorum, in se injuriis ac maledictis, quae silentio confutavit, dicere non attinet. Reiskius, homo minime natura sua malus, sed fortunae iniquitate subinde ad maledicentiam impulsus, aliquo in libello Ruhnkenium Valckenariumque duos Hemsterhusii simios vocaverat: hi ridebant hominem, qui inveteratam bilem evo-

(103) Vetus Poëta apud Plutarchum Opp. Mor. p. 90, D: ubi plura adferemus.

evomeret: Ruhnkenius nil nisi, in Antiphontea Dissertatione, eum infelicem conjectorem nominavit: Reiskiumque, qui hanc Dissertationem, retento illo loco, in editione Oratorum Graecorum (104) repetivit, fortiter fecisse judicavit. Sed Ruhnkenius minus movebatur, si quis ipsum, quamvis immeritum, rustice iracundeque convitiis peteret, quam si, ipso praesente, magnos viros, aut recte facta, per vanitatem contemneret. Venerat ad nos Biörnstalius, Suedus, doctus quidem ille, sed importunus, homo: cujus adventus et salutatio nostratibus plerisque veteris Normannicae invasionis memoriam revocare solebat: lustrabat bibliothecam publicam, ipso praesente Ruhnkenio: qui quum ei in scrinio quodam condita scripta Josephi Scaligeri monstraret, iste exclamavit, *Hic est ille vir exspectans judicium*, alludens ejus sepulcrali elogio, serio tamen contendens, Scaligerum 250
judicandi facultate caruisse. Ruhnkenius subito ei intonat, *Aufer te hinc tuo cum stupore!* simul operculum scrinii impellens et occludens. Homo, quod raro ei accidebat, territus abiit. Venit alio tempore Germanus aliquis Professor, minus quidem procax et molestus moribus, animo non minus ventosus: hic à Ruhnkenio petens, ut bibliothecae publicae spectandae copiam sibi faceret, narrabat de Germanis quibusdam eruditissimis viris, eruditissimos item libros Germanica lingua scribentibus. Cui Ruhnkenius: *Mallem illi viri Latine scriberent, ut Gesnerus, Ernestus, Heynius, quo magis ab exteris legerentur.* Tum iste: *Tune etiam, o bone, illo in errore adhuc versaris, hac amplius aetate Latine scribendum esse?* Ruhnkenius tantam hominis vanitatem in-

(104) Videatur supra, annotatio ad p. 146.

indignatus, eum continuo dimittit, *Vale*, inquit; *Professor, quaere aliam bibliothecam, ubi Germanicos libros invenias.*

Multa ejus in multos exstiterunt beneficia: non
solum in eo, quo diximus, genere, ut munera iis
conciliaret, ac rei bene gerendae aditum patefaceret:
nec solum in eo, quod ipsius proprium erat genus,
ut Literarum scientia doctrinaque alios, et discentes,
et scribentes, juvaret: sed et in eo, quod minus
cum ipsius studiis erat conjunctum, ut amicis in
quocumque vitae negotio industriam operamque suam
252 praestaret: atque adeo, in quo minime ipse valebat,
ut aliorum inopiam pecunia sublevaret: saepe adeo,
ut divitum copias amicorum è sua ipse inopia auge-
ret. Quorum beneficiorum gratia illi à paucissimis re
et facto referebatur: si animo et recordatione habe-
retur, contentus erat. Patres multi, et clari et di-
vites, filios ita ad eum deducebant, ut eorum vitam
studiaque consilio et auctoritate regeret, sempiternas
ei gratias hujus beneficii caussa habituros relaturos-
que se, pollicentes. Ruhnkenius hoc iis et recipie-
bat, et fideliter praestabat: filios ad ipsum ventitan-
tes omni officio et humanitate excipiebat, saluberri-
mis praeceptis monitisque augebat: consuetudo his
valde placebat, et patribus mire satisfaciebat: sed,
ecce! in oblivionem abibat, decursis Academiae stu-
diis, urbeque relicta. Hos item obliviscebatur, quoad
ex oculis abessent. At subinde fiebat, ut iidem isti
forte alio tempore eumdem in locum, ubi ipse esset,
eumdemque in circulum venirent, veterem notitiam
dissimulantes. Tum vero Ruhnkenius, quo erat et
honesti sensu et candore, continere se non poterat,
ut tantam impudentiam tacitus ferret: salutans eos
compellabat humaniter quidem verbis ac specie, sed

ea

ea cum significatione despicientiae et indignationis, quae istis, quamvis impudentibus, pudorem ruboremque injiceret. Nam gratos etiam eos existimabat, qui gratiam, licet possent referre, non referrent, 253
modo eam animo haberent et beneficii memoria colerent. Habebat amicos, ut quidem amici vulgo nominantur, multos et nobiles et divites, quibuscum eum non adeo Literarum, quam venationis, rusticationis, musices, aliarumve rerum studium jungeret: ab his debitum pro filiorum scholis honorarium, quamvis urgentibus ac flagitantibus ut acciperet, accipere nolebat: itaque hi se ipsos debito officioque defunctos censentes, nil de alio muneris genere cogitabant: nec ipse quid exspectabat. De illis quid statuendum sit, alii judicent. De Ruhnkenio nemo aliter judicabit, nisi animum ei fuisse, in rei familiaris mediocritate, nimis fortasse generosum, at generosum tamen.

Neque enim aequam dignamque suis virtutibus habuit fortunam in tribuendis vitae facile largiterque degendae copiis. Quamdiu fuit caelebs, satis erat, unde non solum commode, sed et laute, viveret, genium placaret, et aliquid reliqui haberet. Maritus et pater desiderabat priorem copiam: idque primo celare per indulgentiam, deinde diligentia corrigere, et, quod deësset, parcimonia supplere, studebat. Interea duplex apud exteros, eaque diu exspectata, haereditas, procuratorum vel negligentia vel fraude, intercidit. Accesserunt et alia subinde rei familiaris damna. Quae ipse detrimenta, suarum magis, quam 254
sui, caussa dolebat; earumque dolorem et verbis et munusculis leniebat, suum ipse genium defraudans. Supervenit etiam uxoris et minoris filiae clades: quam

ille cladem ut et dolenter et fortiter tulerit, cum supra diximus, tum notum est in vulgus. Illa calamitas parcimoniam, ut magis necessariam, ita minus efficacem reddebat. Pater infelicem uxoris minorisque fiiiae sortem commiserans, et majoris integraeque filiae erga illas et ipsum pietate, cura, diligentiaque delectatus, mollior faciliorque erat ad obsequendum utrarumque voluntatibus ac desideriis. Ergo, si quaerimus qualis fuerit paterfamilias, utraque hujus officii pars seorsum est spectanda. Nam erga uxorem filiasque non minus prudenter, quam indulgenter amanterque se gessit: in his etiam, pro utriusque captu, instituendis, erudiendis, formandis, cum diligenter, tum liberaliter; ut nec operae, nec sumtui, sive ad cultum, sive ad mercedem adhibendorum magistrorum, parceret. At in re facultatibusque tuendis et augendis, quum non posset quod vellet, fecit quod potuit. Nam ad necessarios illos, quos modo diximus, sumtus, accedebant extraordinarii, quos honeste omitti non posse censebat. Habebat usum copiamque bibliothecae publicae, ut et
255 Professor, et illius ipse praefectus: neque suam sibi privatam domi bibliothecam minus locupletem necessaria librorum supellectile esse volebat: habuitque eam sane librorum cum numero, tum praestantia, non minus instructam refertamque, quam principes Literarum plerique ipso longe beatiores; igitur bonos libros, et veteres et novos, ex Antiquarum genere Literarum, quibus insignis ad usum inesset dos, fere omnes vel habebàt, vel emebat. Saepe etiam incidebat vel necessitas vel opportunitas veteris codicis scripti in extera bibliotheca conferendi, aut describendi: nec opus nulla mercede constabat: in eaque

offerenda et solvenda, ipse studium suum magis, quam facultatis modum, consulebat. Quum sua ipse natura facilis ac liberalis, consuetudine quoque sociabilis et hospitalis, longi temporis usu etiam multorum familiaritatibus implicitus esset; facere non poterat, quin eos, quibuscum ipsi quaedam notitiae, consuetudinis, officii, studiive, societas intercederet, libenter vel ad mensam adhiberet, vel convivio honoraret, vel hospitio acciperet. Musicam puer didicerat: postea ejus amorem retinuit, non ut eam factitaret, sed ut docte audiret ac judicaret: filiam majorem per optimos magistros ad egregiam canendi scientiam facultatemque erudiret; nec fere aut publicum symphoniacorum, aut singulare excellentis artificis acroama exhiberetur, quin id sua commendatione
ac praesentia celebraret. De venationis consuetudi- 256
ne, et diximus antea, et postea dicemus. Atque illorum oblectationem studiorum sibi caeterorum sumtuum parco, ut ad recreandum animum necessariam, ipse sumebat, et, ut justam debitamque, ab omnibus concedi existimabat. Erat sane in quotidiano victu, vestitu, et reliquis rebus, tenuis et sobrius: nec solutus, nec emax: minus etiam, quam res ipsa postularet, aedificator: rationi ac summae necessitati, non genio saeculi, serviens.

In primis vero bonus civis optimarumque partium, et fuit, et habitus est. Neutri adversariarum partium nomen suum dans, nec in coitiones ac sodalitia se aggregans, animo et oratione eas probavit, quas supra diximus. Sint fortasse, qui Solonis illam legem in eum valere putent, quae bonorum numero civium excludit eos, qui in seditione neutri se parti

adjunxissent (105). Quam legem homines vel calidi
vel imperiti vulgo perperam accipiunt, quum medios
ac pacis concordiaeque studiosos cives pro adversa-
riis habendos esse contendunt. Quasi vero Solon
eos neutrarum partium dixisset, qui patriam servari
cupientes, ea quasi per morbum in duas partes di-
stracta, neutris aegrotantium in morbi societatem
accedunt, sed ipsi sani integrique utrisque se medi-
257 cos praebent: ac non eos, qui commune periculum
nil ad se pertinere censentes, nulla ejus cura et sol-
licitudine tanguntur, nec rem operamque ad compo-
nendas lites conferunt: aut, quasi non suo ipse exem-
plo ostendisset, quam rationem probaret, utrisque
amicus, neutris inimicus, universos ad concordiam
redigens. Ruhnkenius utrarumque socios partium
ut cives amabat, et, si fieri posset, ad consensum
reconciliare studebat: intelligens nil profici, destitit
à

(105) Videantur, quos laudavimus ad Plutarchi libellum De Sera Numinis Vindicta p. 26: quibus addantur, J. Meursius in Solone p. 52. et sequ., J. Taylorus Lect. Lysiac. Cap. XI. p. 718. Ipse Solon, in Atheniensium seditione, fuit neutrarum partium, ita ut non unius partis adversus alteras esset propugnator, sed medius et omnium partium reconciliator: ut satis constat è Plutarcho in Vita Solonis p. 85, et seq. et memoratur item à Diogene Laërtio, I, 58, ut videtur, ex Apollodoro: *ἀλλὰ καὶ τῆς στάσεως γενομένης, οὔτε μετὰ τῶν ἐξ ἄστεος, οὔτε μετὰ τῶν πεδιέων, ἀλλ' οὐδὲ μετὰ τῶν παραλίων ἐτάχθη.* Qui locus Aldobrandino et Menagio non ita mirus et inexspectatus debebat accidere. Plutarchi disputatio in Praecept. Polit. p. 824, A, verissimam continet legis caussam: atque ex ipsa ratione grammatica, et potestate particulae *γὰρ*, quam alibi explicavimus, interpretandi, non reprehendendi, vim habet.

à vano labore: at non destitit à patriae amore: suum ipse officium secutus est: monendo, docendo, cavendo, egit quod utrisque communiter utile esset: animo et voluntate favit melioribus.

At quae sunt illae meliores partes? Messala (106) laudatus ab Augusto, quod ad Actium fortiter pro ipso adversus Antonium pugnasset, licet adversus ipsum ad Philippos acerrime pro Bruto dimicasset: *Ego vero*, inquit, *semper fui meliorum partium*. Egregia et homine Romano digna vox! Ita profecto se res habet. Pompejanus, Caesarianus, Brutianus, Antonianus, sunt hominum et sectarum nomina. Bonus civis rem ipsam consectatur: una ei est res, patriae salus. Hanc quaecumque secta maxime tuetur, quae honestatis, justitiae, legum caussam defendit, cupiditati, libidini, sceleri, maxime resistit, hanc probat, huic favet: haec si ab instituto ac professione virtutis ad pravitatem degenerat, non minus 258
eam deserit quam ab ea ipse deseritur, suum iter persequitur; et si quae alia existit ejusdem instituti et communis salutis patrona ac propugnatrix, eam laudat et sequitur. Ruhnkenius natus in Germania, sub dominatione regia, illum à natura sibi ingeneratum pulcri decorique sensum jam adolescens ad percipiendam libertatis civilis vim praestantiamque, Graecorum Romanorumque lectione Scriptorum, convertit et acuit: mox ad Batavos delatus, hanc sibi libertatem praesens experiundo usurpare visus est: ab eo inde tempore illas nostra demum aetate celebratas res, humani generis communionem, jura, aequalitatem, et animo tenuit, et quotidiana cum aliis con-

suc-

(106) Plutarch. in Vita Bruti, p. 1009, B.

suetudine observavit. Ac me quidem novum Lugduni advenam illud in Ruhnkenio, Valckenario, et plerisque doctis viris, manifestum civilis aequalitatis studium mirifice et advertit et cepit: quum eos viderem, non modo invicem, sed erga superiores et inferiores, tum vero erga discipulos eam tenere rationem, ut eos nullo discrimine haberent, divites, pauperes, nobiles, obscuros, patricios, plebejos, eodem honoris gradu censere, eos haud dubio solos caeteris praeferre, qui caeteris ipsi doctrina et virtute praestarent. Itaque tales viri, qui jam per se ipsi humanae naturae conditionisque aequalitatem colerent,
259 eo facilius ei sectae, quae se hujus rationis vindicem patronamque profiteretur, conciliabantur.

Sed, ut stirpibus aliena, ex eadem tamen radice, germina adnascuntur; ita humana natura cum virtutibus profert quaedam à Graecis dicta κατ' ἐπακολούθησιν παραβλαστήματα, habitus et inclinationes per sequelam adnascentes. Neque dissimulandum est, in Ruhnkenii animo tales, quasi egerminantes, affectiones ac proclivitates exstitisse, quae in virtutum numero non censeantur. Neque nos eum ut perfectum absolutumque hominem informamus, neque ejus Laudationem, sed Vitam scribimus. Igitur non dissimulamus, naturales illas virtutes facilitatis, candoris, liberalitatis, in quotidianae vitae negotiis et consuetudine, ejus judicio et acumini nonnumquam offecisse. Epicharmeum illud, μέμνασ' ἀπιστεῖν (107), in

(107) Apud Stobaeum Serm. III, p. 49. edit. Gesneri. ed. Grotii p. 24: qui reddidit: *Vigila, neu quid temere credas; nervi hi sunt prudentiae.*

in quo Hemsterhusium (108) tantopere laudabat, ipse non satis tenebat: facile aliorum sermonibus credebat: promissa sibi, quamvis ab hominibus minime certis facta, atque adeo speciem promissorum in amicis, uberius interpretabatur, datae fidei et jurisjurandi instar censebat. Plane in eo apparebat Demosthenis (109) dictum, ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται. Erat aliquis ejus amicus, qui eum libere ac serio moneret, ut aliquanto majorem, quam adhuc fecisset, rei familiaris curam gereret, nisi ipsius, uxoris certe ac filiarum caussâ: ,, nam, in- 260
quit, nisi tu ipse prospexeris, ut moriens aliquid tuis relinquas, neque ego, neque alii amici, quamvis cupientes, quidquam efficere poterimus; quare age, aperi nobis rationum tuarum tabulas, ut videamus cui parti consulendum sit." Ruhnkenius respondit, de hoc se praesenti satisfacere non posse, absenti per literas satisfacturum: tum interjecto tempore satis longo, iterum ab amico admonitus, ei scribit in hanc fere sententiam: *Quandoquidem mihi sancte promittis, te meorum curam, me mortuo, suscepturum; rei facultatumque mearum rationes tibi exponam: res meae sunt illae parvae quidem, sed liquidae: nec habeo multum, nec debeo quidquam:* nec aliud addens, unde amicus de toto negotio certior fieret, et quasi ei satisfecisset, ad aliud epistolae argumentum transit. Erat cui faveret et cathedram in Lugdunobatava destinaret Academia, quamvis alibi luculentiore conditione fruenti: de hoc ei communis amicus per jocum narrabat, illum eo loco, quo esset,

(108) In Elogio p. 75.

(109) Orat. Olynth. III. p. 37, E.

set, mansurum, quod ibi rem faceret ac senectuti, dum vigeret, subsidia pararet. Tum ipse, *Dii omen avertant!* inquit; *equidem antea semper liberalem hominis animum cognovi.* Omnino videbatur liberalitatem non modo in contemtu, sed in negligentia, divitiarum ponere: nec cogitare, quo ipse esset ad be-
261 neficientiam propensior, eo sibi magis providendum esse ut haberet unde aliis bene faceret. Ita illam ingenii aciem, quam in Literarum doctrinarumque genere nulla fraus et corruptela, nil pravum falsumque, nullus locus liberve spurius suppositusque, latebat, in communis vitae usu res etiam manifestae effugere videbantur; non quod eas cernere non posset, sed quod animadvertere nollet. Cujus sive consuetudinis, sive negligentiae, caussas si quaerimus, verissimas reperiemus has. Ut ipse natura erat candidus, simplex, apertus, ita et alios esse primum cupiebat, deinde sperabat, denique putabat. Erat liberalis atque adeo patiens in audiendis aliorum sermonibus; quos, etiam quum minime crederet, arguere ac disceptando dijudicare, molestum et illiberale ducebat; ita saepe fiebat, ut alii putarent eum assentiri, ubi judicium ipse suum cohibebat. Porro, ipse experiundo cognoverat difficillimum esse, vel uno in genere, in quo regnabat, in Antiquis Literis, judicare quid verum esset: igitur si in aliud genus egrederetur, eo sibi minus fidebat, et eo magis aliis, minus etiam ipso peritis, credebat. Veluti Jurisprudentiam adolescens tractaverat, suamque in ea facultatem intelligentissimis judicibus probaverat editione illa Thalelaei (110): postea hanc facultatem adeo non prae se tulit, ut de illa editione nec ipse loqueretur, nec

alios

(110) Vid. supra, p. 47.

alios loquentes libenter audiret, multosque minime secum comparandos tamen sibi praeferret et aliquo in 262 numero haberet. Adolescens Wittebergae creatus erat *Philosophiae Doctor et Liberalium Artium Magister:* mox in Bataviam delatus, hunc titulum adeo non prae se tulit, ut nemo quisquam resciscerct eum illo honore insignitum fuisse. Quinquagesimo deinde anno (1793), more illius Academiae solemni, *in saecularem memoriam impetratae ejusdem dignitatis ante hos quinquaginta annos cum potestate in hac Academia primum docendi, Philosophiae Doctor et Liberalium Artium Magister denuo appellatus est:* haec est formula editi hoc nomine programmatis, cujus exemplaria complura, cum honorificis literis ad eum scriptis misit Decanus Philosophicae Facultatis Fr. Godofridus Augustus Meerheim, V. Cl. Hujus item rei notitiam Ruhnkenius non nisi cum uno aut altero communicavit amico. Nimirum, qui sciret quam late pateret Philosophiae et Liberalium Artium munus, haud consentaneum suis moribus judicabat, titulum profiteri, cujus muneri satisfacere non posset. In circulis ac sermonibus, quorum fere argumentum est de rebus novissimis quibusque bellicis ac civilibus publice gestis, in quibus nemo est quin sapere sibi videatur; in his igitur ad recte judicandum praecipue valet locos terrarumque situs nosse, Regnorum Re- 263
rumque publicarum, caussas, constitutiones, formas, commoda, utilitates, necessitudines, foedera, pacta, vires, copias, perspectas habere, omnino civilem prudentiam historicam tenere. Hanc et in Ritteri disciplina perceperat, et suo postea studio coluerat: tamen, quasi ignarus ejus esset, homines de his rebus inepte loquentes, patienter audiebat; et libenter adeo, si quidem iisdem, quibus ipse, par-

ti-

tibus faverent, et aliquam in re publica personam gererent. Qui quidem mores proficiscebantur, cum ex naturali quadam animi benivolentia ac modestia, tum ex illa, de qua saepe diximus, facilitate, qua se, ut aliis, ita sibi ipse facilem praebebat. Igitur, posteaquam mentis aciem domi Literarum studiis intendisset, his relictis, eam remittere, et in communi vita ipse communis esse volebat. Scripseram aliquando (111), magnos viros à curis rerum, in quibus excellerent, se ita relaxare solitos esse, ut etiam infra mediocrium captum hominum sapere viderentur. Hic ei locus mirifice placebat: „ Hujusmodi, inquit, plane meum est negotium: ego finitis quotidie scholis, munerisque partibus peractis, Professorem depono nec foras mecum effero in publicum prodiens, aut amicos invisens: nec facio, quod nonnulli, qui ubique Professorem circumferunt et osten-
264 tant: ego aequalitatem amo, et inter alios homines unus ex multis esse volo." Igitur cunctis jucundus et amabilis erat: admirabilis non item, nisi iis, qui ejus ingenii doctrinaeque magnitudinem interius inspicerent: quod pauci poterant, etiam eorum, qui vulgo literati habentur. Quod ad rem faciendam attinet, sero demum, et extremis vitae annis, sensit ejus officii necessitatem, fructum ejusdem percipere non potuit: caeterum sibi ipse ignovit. „ Fateor, inquit, me in re augenda nec mihi nec aliis satisfecisse: sed quid facerem? feci quantum potui: si attentior etiam fuissem, nil tamen, quod operae pretium esset, ad summam consilii profecissem. Familia mihi ea est, cui honeste alendae mei quidem redi-

(111) Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. Praefat. p. XII.

ditus vix sufficiant. Aliarum rei faciendae rationum
facultas mihi defuit. Sunt qui studiosos juvenes in
contubernio habeant: hoc uti quaestu non potui,
propter domesticas difficultates. Sunt qui scribendis
edendisque libris divites fiant: quod de Ernesto aliis-
que fertur: hanc mihi viam ingredi non licuit; quip-
pe quam bibliopolae nostri non sequuntur in hoc Li-
terarum genere." Atque hanc orationem sane ne-
mini non aequo judici probabat. In libris autem ab
ipso editis, pro unico eoque postremo aliquid pretii
pactus est, Schelleriano Lexico: fuitque id pretium,
nec enim abs re est alios hoc scire, septingentorum
florenorum. Et vero juvat, quid ipse de hoc labore
ad me scripserit in epistola Calend. Januar. a. 1793, 265
ipsius verbis referre: „ Me adhuc exercet ingratus
idemque inglorius labor Schelleriani Lexici recensen-
di, et ad tironum usum accommodandi. Pro qua ta-
men opera, Wyttenbachium meum in Plutarcho (112)
edendo imitatus, mercedem exegi. Sero intelligo, me
hucusque ad omnia alia rectius sapuisse, quam ad
rem faciendam." Caeterum, si quis paulo severior
non acquiesceret in illa praeteriti temporis excusatio-
ne, sed ulterius ei ingereret, eum quavis alia ratione
fortunis uxoris et filiarum prospicere debere; tum
ille vultu oculisque fiduciam et indignationem signi-
ficantibus, *Non deerunt*, inquit, *amici*, *qui harum
difficultatibus consulant*; ut nemo non intempestive
sapiens eum amplius urgere, et hac spe reprehenden-
da senectutis ejus tranquillitatem turbare, in animum
ami-

(112) Editione Operum Moralium à me instituta, quae Oxonii, auspiciis Illustrium Delegatorum preli Clarendoniani. excuditur.

induceret. Neque vana fuit illa spes (113): habuit amicos, qui eam non fallerent: in his Curatores Academiae, qui magna ex parte eam ratam facerent, (d. 5. Decembr. 1798.) Senatui Reipublicae Batavae persuadentes, ut Ruhnkenii literatam supellectilem, locupletem illam cum optimis libris, tum ipsius adversariis et scriptis, tum vero ineditis Veterum codicum exemplis, vindicaret adderetque bibliothecae Lugdunobatavae, pretiique loco vectigal annuum viduae filiabusque duabus, quingentos in singulas florenos,
266 constitueret. Cujus humanissimi et in patriam et in Ruhnkenii domum beneficii caussâ, me omnesque bonos Senatui Reipublicae Batavae, et Curatoribus hujus Academiae, maximas habere gratias, quin haec scribens profiterer, committere haud potui.

Et quod saepe vitae facilitatem in Ruhnkenio praedicavimus, est illa profecto egregia et prope divina felicitatis pars; si quidem ab ea Homerus (114) Deos

(113) Honoratissimi cives, quorum in primis in perficiendo hoc negotio valuit auctoritas, fuerunt illi sane Literarum, non solum amore, sed et scientia, cogniti. Quatuor erant Curatores Academiae: tres, quibuscum Ruhnkenio mihique notitia intercesserat: P. L. van de Kasteele, Ictus, Reip. Senator: Fred. van Leyden, Ictus, Reip. Senator: J. G. Hahn, Ictus, Senatorius: quartus H. A. Bake, Medic. Doctor, magistratus municipii Leydensis socius. Senatus caussam, ab illis ad se delatam, tribus mandavit Senatoribus, qui de ea cognoscerent et ad ipsum referrent. Hi fuerunt, H. van Royen: Jo. Lublink, vetere mihi amicitia conjunctus, de ingeniis Literisque Belgicis egregie meritus: S. van Hoogstraaten. Caussa ab his probata, accedente reliquorum Senatorum voluntate, factum est in eam sententiam Senatusconsultum.

(114) Il. ζ. 138.

Deos immortales ῥεῖα ζώοντας appellavit: et Stoici (115), sapientes omnia quam facillime tractare, pronunciarunt. In homine quidem ita intelligitur, ut leni et secundo quasi flatu negotia fluant, in iisque tractandis subeundisve, animo, corpore, agendo, patiendo, non plus operae laborisque adhibeatur, quam quantum necesse est ac res ipsa postulat; et in vitae tamquam navigatione velis potius utamur quam remis, ventosque oblatos levi manu et gubernatione in rem nostram convertamus. Haec, à Graecis dicta εὐκολία, ut virtus, medium tenet inter duas contrarias vitiositates, δυσκολίαν, quae curis nimium, et εὐχέρειαν, quae parum afficitur. Ad illam virtutem felicitatemque cum multum valet ipsa cujusque hominis natura, tum vero plurimum futurarum rerum

(115) Hujusmodi fuisse Stoicorum παράδοξον, cum aliunde colligo, tum è Cicerone in Orat. pro L. Corn. Balbo, 1, — *nonnulli literis ac studiis doctrinae dediti quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia quae faceret, facillime tractare.* Quod non cum Manutio et Abramio universe ad illud Stoicorum, *sapientem omnium artium doctrinarumque peritum esse*, sed potius ad peculiare decretum de εὐκολίᾳ, referam. Hanc vitae actionumque facilitatem, vocabant item εὔροιαν, τὸ ἀκώλυτον, τὸ ἀνεμπόδιστον. Et est εὐροίας ac *facilitatis* conjuncta potestas; si quidem ex verborum notatione, quam Stoici consectabantur, ῥεῖα, *facile*, venit a ῥεῖν, *fluere.* Atque sic potius Homericum ῥεῖα ζώοντας, quam alterum, ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος, accipere debuisset Heliodorus Aethiop. III, p. 149. Caeterum, εὔροιαν Seneca Epist. CXX, ita interpretatur, ut plane cum *facilitate* conveniat: *Hinc intellecta est illa beata vita, secundo defluens cursu, arbitrii sui tota.*

rum casuumque, qui incidere possunt, praemeditatio (116), non anxia illa quidvis et appetens et metuens, sed prudens ex justa rerum aestimatione ac
267 solerti usu profecta, minimumque fortunae committens. Ruhnkenius, qui se his finibus intra necessaria negotia contineret, quae sponte fluerent, et naturale suum iter haberent, de futuro non erat sollicitus, magisque bona omnia sperabat, quam mala metuebat: ad utrumque paratus, censebat molestias non novis molestiis amovendas esse, quemque diem sua et incommoda et incommodorum remedia adferre. Porro, nullum ei tempus à Literarum studiis vacabat: semper aliquid agitabat et commentabatur, quod in publicum ederet; hoc, quidquid erat, alias curas, certe sollicitudines, ex animo abigebat: totus in hoc erat, quasi unum illud sibi subjiciens,

Musis amicus, tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis: —— (117)

Et vero eo magis miranda in ipso fuit illa facilitas, quod magnis eam in difficultatibus perpetuo servavit. Erat illa maxime quidem naturae bonitas, sed et exercitatio consuetudine vim naturae adepta, eaque per omnes vitae partes, ingenii, doctrinae, animi, morum, aequabiliter fusa, apparebat in omni et mentis et corporis actione motuque: spirat etiam nunc in scriptis viri, quorum nullus est locus, sive materiae et eruditionis, sive inventionis et judicii in interpre-
268 tando et emendando, sive eloquentiae et orationis in disserendo, cujus praestantia et suavitas non à faci-
li-

(116) Videatur Cicero Tusc. III, 14, 15, 16.
(117) Horat. Carm. I, 26, 1.

litate, tamquam fonte, fluxerit. Et quod Hirtius (118) de Caesare dixit, alios scire quam bene scripserit, se vero etiam quam facile scripserit: idem mihi videor de Ruhnkenio posse dicere. Vidi eum diu ac saepe, vidi eum in omni vitae munere et actione, in omni Literarum studio et commentatione: totum hominem ad facilitatem natum factumque esse, vidi. Sunt qui ad scribendum accedentes, nescio quid, moliantur, in chartis calamisque praeparandis, libris expromendis et ad manum ponendis, totas horas consumant, ac veluti ad oppugnandam urbem omni se instrumento arment, et quasi vallo cingant: tum totam familiam clamore et convicio ad auxilium ferendum excitent. Alii beati, quorum imagines in tabellis aere expressis, quae librorum titulis praefigi solent, nonnumquam vidimus: sedet dominus in ampla bibliotheca, talari veste indutus, scribens, cogitabundus, severo vultu: interea famuli literati praesto sunt, scalas admovent scriniis, libros promunt, evolvunt, apertos domino adferunt. Quid dicamus?

Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus (119).

In Ruhnkenio nil tale. Omnia solus et tacito et facile peragebat: interpellatus, et placide relinquebat opus, et alacriter repetebat: nil temporis subsecivi 269
perire sinens, continuo in bibliothecam se suam recipiens, semper in procinctu et abeundi et redeundi, ad utrumque paratus: laudans Ernestum item factitantem. Sane, qui multos et egregios vult scribe-

(118) Epist. ad Balbum, praemissa libro VIII, de Bello Gallico.

(119) Horat. Art. Poët. 139.

bere libros, debet temporis, tamquam pretiosissimi sumtus, τοῦ πολυτελεστάτου ἀναλώματος, ut vocavit Theophrastus (120), summam rationem ducere, ejusque et utendi aequabilem dispensationem tenere, et perditi promtam compensationem usurpare, diligente et quasi oeconomica accepti expensique comparatione: debet vero in primis facilitate ad pariundum valere, ut brevi tempore multum efficiat. Utrumque habuit Ruhnkenius. Igitur quodcumque ei à necessariis negotiis et privatis Literarum studiis ad recreandum animum supererat tempus, hoc libenter tribuebat ejusmodi sermonibus congressibusque, ubi vel ab aliis ipse, vel ab ipso alii discere possent. Nonnumquam, ut fit, invitatus ad vespertinam doctorum hominum sessiunculam, incidebat in ardelionem, qui sibi solus sapere videretur, domi se ad certum quoddam disputandi argumentum parasset, et quasi armatura instruxisset, tum de eo sermonem injiciens ac disserens, eruditissimos quosque praesentium lacesseret, et, suo quidem judicio, in triumpho duceret. Istiusmodi ardelionum impudentiam Hemster-
270 husius fere silentio repudiabat, Valckenarius cavillatione eludebat, Ruhnkenius brevi interrogatione confutabat: caeterum, hic quidem, semel iterumque harum sessiuncularum taedio devorato, iis in perpetuum valedixit: satius judicans, cum aliis confabulari sive doctis sive indoctis, modo in sua arte peritis, et modestis et candidis hominibus, venatoribus, musicis, opificibus, agricolis, similibusque, à quibus ipse aliquid posset doceri, aut qui ab ipso doceri vellent:

(120) Huic tribuit Diog. Laërt. V, 40. Antiphonti Plutarchus in Vita Antonii, p. 928, A.

lent: horum enim colloquiis tempus cum jucunditatis et recreationis fructu transire, illorum disputationibus cum molestia ac defatigatione perire.

Tale ingenium quali in corpore, tamquam domicilio, habitaverit, haud à proposito alienum sit cognoscere. Naturam hac etiam in parte nactus erat fautricem, quae corpus ei largiretur sanum et firmum: quod, profecto, magni est ad vitae facilitatem momenti. Adolescenti qui fuerit habitus vultusque, supra significavimus. Viro ac provecto aetate, statura fuit ea, quae dicitur, et ut de se ipse loqui solebat, quadrata, propior tamen illa longitudini quam brevitati: membra bene compacta, firma, concinna: valetudo prospera, quae, licet ante sexagesimum annum bis morbo, et ab illo anno subinde ad paucos dies podagricis et chiragricis affectionibus tentata, nullo modo debilitaretur; nisi quod extrema
demum senectute, dextera manus tremorem inde re- 271
tineret, qui scribendi officio aliquantum obesset. Caeterum, naturae bona studio ac diligentia auxit, Socraticum (121) secutus praeceptum, ut corpus haberet non dominum animi, sed ministrum promtumque instrumentum. Puer et adolescens operam dederat exercitationibus, quibus corpus cum ad duritiem et agilitatem, tum ad liberalem habitum vitaeque usum conformaretur, saltationi, equitationi, palaestrae, venationi: quod postea per reliquum aetatis spatium, in omni motu, incessu, gestu apparuit, in quibus decora quaedam inerat facilitas et roboris significatio. Illarum exercitationum unam obele-

(121) Xenophon Mem. Socrat. II, 1, 28. Similia in Agesil. 5, 2. Cicero Off. I. 22.

lectationis animique caussa retinuit venationem: quam,
ad extremam usque senectutem, tanto studio factita-
vit, ut ampliore eam, quam pro rei familiaris mo-
do, impensa instrumentoque tueri videretur. Et li-
cet universae artis rationem nosset, unice tamen eo
genere utebatur, quod longis canibus, earumque ve-
locitate capiendo lepore, continetur. Hoc unum ge-
nerosum et Batavae terrae proprium cognatumque
censebat genus, idemque eodem modo, earumdem-
que canum, vertagorum, usu et ministerio frequen-
tatum in Celtica, teste Arriano (122): alterum il-
lud à Xenophonte (223) proditum, ad quod canes,
sagaces quidem, tamen tardiores adhibentur, lepori
272 retia et plagae tenduntur, sagittae et jacula immittun-
tur, humile et abjectum, Graecorumque ingenio in-
dignum, judicabat, nec nisi necessitate soli montani
excusandum. Quamquam in hoc recentioris aetatis
missili, sclopeto, seu tubo ignivomo, tractando tan-
ta dexteritate valebat, ut avem quamvis vage varie-
que volitantem feriret: tamen à longo inde tempore
repudiaverat hujus venationis consuetudinem, ut ipsis
venatoribus temeritate ac negligentia comitum exitio-
sam, et ipse praesens aliquando expertus casu fami-
liaris hominis, à comite, sclopetum incaute tractan-
te, mortifera emissione vulnerati. Igitur non nisi ver-
tagis utebatur, iisque nomina ponebat, ex praecep-
to Xenophontis (124), Graeca disyllaba, sonora,
quae facile ad aures canum acciderent. Et vero ca-
nes ex hoc genere habebat egregias, in iisque emen-
dis,

(122) De Venatione, 3, 6.
(123) In libro De Venatione.
(124) Ibidem, 7, 5.

dis, alendis, instituendis, nec operae nec sumtui parcebat: hae, in venandi societate, aliis aliorum canibus palmam praeripiebant: ipse eas hortans sectabatur, fossas quamvis latas et aqua plenas, quarum ductu frequentiaque agri prataque terminantur, transsiliens, omniaque artis munera instar promtissimi cujusque rite obiens et exsequens. Atque, ut inter doctos homines princeps Literarum celebrabatur, ita apud indoctos et venatores venator strenuus victriciumque canum dominus ferebatur. Et gaudebat, se hac etiam in re similem esse Josephi Scaligeri, qui
in Gallia adhuc degens item venandi studio deditus 273
fuisset: ejusque vitam conscribere et Hemsterhusiano Elogio adjungere, aliquando cogitabat. Scriptores etiam Rei Venaticae Graecos et Latinos libenter legebat, multaque in iis, propter materiae intelligentiam, rectius acutiusque animadvertebat, quam adhuc factum erat, novamque subinde iis editionem destinabat. Sed et hujus, et aliorum consiliorum, effectum, primo aliae scriptiones, deinde senectus et mors praeverterunt.

Nam quum hunc vitae modum cursumque prospera valetudine ad aetatis annum septuagesimum et quartum (1796.) tenuisset, ac solitus corporis vigor hac una in parte imminui videretur, quod inter ambulandum anhelitus aliquanto magis quam antea agitaretur; supervenit, mense Julio, capitis affectio vertiginosa: cui mox depulsae successerunt indicia hydropis, cum in pectore, tum in pedibus. Erat ei medicus, et complurium annorum quotidiana fere consuetudine familiaris, H. Cuipers, vir cum artis scientia, tum ejus factitandae solertia et felicitate, in primis cele-

ber, cujus in dexteritate, ac diligentia ita acquiescebat, ut medicum alium desideraret neminem, aut, si forte, hoc ipso auctore, in societatem curationis ei adjungeret N. G. Oosterdykium, Medicinae Pro-
274 fessorem, clarissimum doctrinae fama et usu artis virum, sibi et collegio et amicitia valde probatum: qui tunc item, ut in gravissima caussa, socius assumtus est. Caeterum, morbus insanabilis ita tolerabilis fuit, ut Ruhnkenius ei sensim adsuesceret, nec ipse se aut aegrotare magnopere, aut in vitae periculo versari, sentiret. Nam proximo autumno aliquoties venatum exiit, ac fossas adeo, pristino more, transsiliit. Hiems deinceps, pectus frigore afficiens, domi eum tenuit. Sequente aestate (1797.) multum recreatus, plane sibi convaluisse videbatur; ut ad veterem vitae consuetudinem se referret, exeundo, ambulando, agendo; per autumnum etiam venationi aliquid tribueret, sed aliquanto minus quam superiore anno. A venatione, ut subinde solebat fieri, catarrhum retulit: qui antea nil oberat valetudini, nunc ad hydropem accedens, graviorem in modum pectus tussi afficiebat. Ipse nil nisi tussim è catarrho profectam cogitans, hiemem domi tranquillo et hilari animo degit, non sine spe sanitatis sub vernum tempus recuperandae. Scripsit ad me (d. 23. Martii, 1798.): „Animi hilaritas eadem est, quae superiore anno. Sed tussis catarrhalis, senibus infesta, pectus et abdomen ita quassat, ut corporis vires minui necesse sit. Medici tamen nos sperare jubent futurum, ut verni temporis clementia huic malo medeatur."
275 Hae ultimae fuerunt ejus ad me scriptae literae. Veni deinde ad eum (d. 18. Aprilis), ac per quatriduum do-

domi ejus fui. Et quod Cato (125) narrat, se Q.
Fabii Maximi sermone ita cupide frui solitum fuisse,
quasi divinaret, id quod evenit, illo exstincto, fore
unde disceret, neminem: ita ego, quo magis Ruhn-
kenium aetate progredi videbam, eo magis ejus col-
loquia appetebam; non quasi divinarem, sed quod
certo sciebam, eo mortuo, fore, unde discerem,
neminem: nec adeo, quin essent Ruhnkenio etiam
minus docti, à quibus ego discere possem: sed quod
eorum nemo tantam, quantam ille, docendi cum fa-
cultatem, tum erga me voluntatem, habiturus esset.
Igitur legendam ei dedi praefationem ad Animadver-
siones Plutarcheas, ac Disputationem de spuria au-
ctoritate libelli *De Educatione Liberorum:* has enim
scriptiones legere cupiebat, et ut sibi adferrem jus-
serat. Legit eas non solum libenter, sed etiam dili-
genter; probans vehementer meam sententiam, judi-
cium de complurium locorum Latinitate accuratissi-
mum exercens, et manu quamvis tremula conscribens.
Porro confabulans mecum, interpellatus subinde tus-
si, monente me, ut post tussim pectus pulmonesque
silentio aliquantum reficeret, ille eodem vigore ser-
monem repetebat, dicens, *haec non est nisi levis tus-
sicula.* Numquam non colloquia vel de Literis, vel
de rebus novis bellicis aut civilibus, captabat: sem- 276
per cum amicis eum invisentibus de suis cujusque
rebus ac studiis loquebatur: narrabat, quem ipse li-
brum proxime editurus, quibus in locis et quibus-
cum sociis venaturus, quam canem cui officio adhi-
biturus esset. Si solus erat, habebat fere in mani-
bus aliquem Graecum Latinumve Scriptorem, non
mo-

(125) Apud Ciceronem de Senectute, Cap. IV.

modo quem animi caussa inspiceret, sed quem cogitate legeret. Ac de aliis quidem edendis libris dimittendum esse propositum, in dies magis magisque animadvertebat, subinde dictitans,

Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam (126):

de uno non desperabat Scholiasta Platonico. Illo tempore mihi rursus à Curatoribus hujus Academiae offerebatur cathedra Literarum Humaniorum, eaque universarum, iisdem finibus, quibus eam Amstelodami tenebam. Ego diuturna multorum annorum consuetudine multisque suavitatibus ad veterem stationem adstrictus, minus etiam quam antea inclinabam ad illam cum Lugdunobatava statione commutandam; quod in ea mihi mox ejus unica maximaque suavitate, Ruhnkenii luce, carendum esse intelligerem. Nolui tamen penitus recusare, flagitante Ruhnkenio: grave atque adeo religioni ducens, hac spe simpliciter et omnino praecidenda, optimi senis, mi-
277 hi patris instar colendi, jam jam ex hac vita abeuntis, extremum tempus tranquillitatemque turbare. Negotium vocationis intermissum mox abdicatis Curatoribus, instauratum est post Ruhnkenii obitum, iisdem restitutis mense Novembre: quum reciperent, siquidem oblatam cathedram acciperem, se omni studio apud Senatum Reipublicae Batavae conaturos efficere, ut caussam familiae Ruhnkenianae, de qua vehementer laborabam, obtineremus. Et fateor, haec unica fuit conditio, qua Amstelodamo abduci possem: nec, nisi ea confecta, abductus sum. Sed haec postea acciderunt. Illo tempore, ut collegam me

(126) Horat. Carm. I, 4, 15.

me sibi dari vellet Ruhnkenius, nova ad veteres accedebat caussa ea, quod ita praesens praesenti celeriorem certioremque operam in edendo Scholiasta navare possem. Cumque sciret, duos novissimo hoc tempore meos ferri discipulos in Literis egregie versatos, et ornandis Academicis cathedris idoneos; alterum Guilielmum Leonardum Mahne, Rectorem Scholae Amisfurtanae, clarum edita Diatribe de Aristoxeno (127): alterum Johannem der Kinderen, nondum quidem illum aliquo munere aut edito libro conspicuum, sed praeclara studiorum et variae simul accurataeque doctrinae laude florentem: horum alterutrum in Graeca hujus Academiae cathedra poni optabat, ut haberet collegam, cujus opera manuque in conscribendis Animadversionibus ad Scholiastam ute- 278
retur. Quamquam in utroque frustra optavit: illo suam stationem huic anteponente: hoc discere adhuc, quam docere, malente: caeterum iis mox publice commutationibus secutis, ut neuter eorum vocaretur. Neque tamen de Scholiasta edendo spem abjiciebat, certe de eo cogitare non desinebat, frequenter illud usurpans,

Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem (128).

Interea levabatur pectus, hydrope ad inferiores partes descendente, ortoque inde pedum crurumque tumore; qui si resedisset, ut pedes calceari possent, foras ambulare constituebat, hoc unum ad sanitatem deësse sibi putans. Jam scholas, per hiemem aliquo-

(127) Amstelodami, forma octava, typis Petri den Hengst, A. 1793.

(128) Virgil. Eclog. X, 1.

quoties intermissas, repetebat: easque bis terve denuo habuerat, quum pedes et crura, abeunte tumore, ad pristinum modum redire viderentur. Hoc ipse signum depulsi morbi esse putabat: re vera erat indicium instantis casus gravioris, hydrope ad pectus et superiores partes adscendente. Nam die undecimo Maji, quum per totum diem consueto more degisset, domi ambulasset, cum suis et amicis eum invisentibus suaviter confabulatus esset, et ad coenam ei vel sopor obreperet, vel cogitatio minus quam antea praesens constaret, tempestive ad quietem se de-
279 dit. E qua solito maturius, ac primo diluculo, evigilans, solus surrexit, quod alias juvante famulo faciebat, et in sella consedit, dicens sibi minus bene esse: jubet, majorem filiam vocari: haec advolat continuo: ille interroganti nil respondet, quod intelligi posset: apparent alienatae mentis indicia: verba excidunt Graeca, Latina, alia non magis intellecta: nutu manibusque significat, velle se in lecto reponi: reponitur, ac dum tollitur ac transfertur, ultimam edidit vocem, significans caput sibi dolere: positus jacuit quietus, immotus, sine sensu: certe sensus indicia nulla exstabant. Venientibus mox medicis visum remedia adhibere: adhibita cum alia, tum vesicatoria, tum vero hirudines temporibus admotae, frustra fuerunt. Quo cognito, visum non diutius torquere morientem. Qui, ut semel in lecto positus erat, ita per duos dies duasque noctes, in febri quamvis magna, tamen in stupore et, ut diximus, sine motu sensuque jacens, die decimo quarto Maji, hora vespertina decima, exspiravit; ut plane, quod de Gorgia fertur, cum frater fratri, somnus morti, tradere videretur.

Er-

Ergo illa naturae facilitas et εὐκολία, quae Ruhnkenio fons morum actionumque exstitit, eadem ei ad extremum perpetua fuit vitae comes: eadem ei et εὐθυμίας, et εὐγηρίας, et εὐθανασίας, vel adjutrix vel effectrix fuit, eadem et vitam ei hilarem, et senectu- 280
tem tranquillam, et mortem placidam, reddidit. Ac de senectute quidem sua poterat idem praedicare, quod moriens ille apud Xenophontem (129) Cyrus, nulla eam in parte infirmiorem esse juventute. Sustentabatur iisdem, quibus antea, studiis: integra erat corporis firmitas et agilitas, acies oculorum auriumque integra: menti constabat et ingenii acies, et memoriae fides, nec modo constabat, sed augebatur adeo quotidiana meditatione. Porro, quae fere caussae apud plerosque obsunt placidae morti, corporis dolores, sollicitudo de suorum fortunis, metus rerum post hanc vitam: harum in eum nulla cadebat. Morbum ac dolores vix sensit. De suorum fortunis, animo fuit fidente et securo. Mortem adventantem, ut naturae necessitatem dudum mente praeceptam, tranquillus tacitusque exspectabat. Et, ut in aliis vitae negotiis, quid cras et postea futurum esset, non magnopere curabat, eaque et praesentia et venientia leviter ac placide, solitaque sibi vel facilitate vel securitate tractabat; ita, quid post hanc vitam ipsum exspectaret, nec sollicitabat eum, nec angebat: acquiescebat in Socratica ratione, cujus illum in primis redditum a Cicerone (130) locum et tenebat et subinde usurpabat: *Non enim temere, nec for-*

(129) Cyropaediae VIII, 7, 3. quem locum memorat Cicero de Senect. Cap. IX.

(130) Tusc. I, 49.

fortuito, sati et creati sumus: sed profecto fuit quae-
dam vis, quae generi consuleret humano, nec id gi-
281 *gneret aut aleret, quod, cum exantlavisset omnes la-*
bores, tum incideret in mortis malum sempiternum:
portum potius paratum nobis et perfugium putemus.
Quo utinam velis passis pervehi liceat! sin reflantibus
ventis rejiciemur, tamen eodem, paulo tardius, refe-
ramur necesse est.

In hunc Tu portum, ô Ruhnkeni, jam pervectus, jam tutam tranquillamque sedem in beatis beatorum regionibus obtineas! Nos, qui eodem tendimus, et adhuc in hujus vitae fluctibus jactamur, Te et virtutum tuarum meditatione, et bene factorum grata recordatione, perpetuo celebrabimus!

ANNOTATIO

EDITORIS.

ANNOTATIO

AD

ELOGIUM HEMSTERHUSII.

PRAEF. *Cum mihi, caet.*] Negligentiam Harlesii, *Dum* pro *Cum* edentis, notavit Cl. Wyttenbachius in Vita Ruhnkenii p. 178 (*).

Ibid. *Elogium hac significatione non satis Latinum esse scio*] Fluxit ex vulgari usu Gallicae vocis *éloge:* Latine dicitur *laudatio*, ut recte scripsit Wyttenbachius l. c. p. 5 et 259. Fusius disputavimus in editione Opusculorum Ruhnkenii, hoc ipso anno conjunctim facta apud Luchtmansios, ad quam plerisque locis lectores nostros remittere constituimus, Tomo II. Addendorum p. 1021. Praeter scriptores ibi laudatos, conferatur omnino Gronovius Lect. Plaut. p. 245 sq. et Laur. Valla Eleg. IV, 66. quorum locos mihi indicavit Vir Eruditissimus, idemque mei amantissimus, F. A. Bossius, cui in hac Annotatione complura debeo, maxime ad Latinitatem spectantia. Consulatur etiam Ernestus in Clav. Ci-

(*) Sequimur ubique, in laudandis Elogii Hemsterh. et Vitae Ruhnken. locis, paginas editionis Ruhnkenianae alterius a. 1789. et Wyttenbachianae principis a. 1799. margini hujus nostrae editionis adscriptas: quod semel monuisse sufficiat.

Cicer. hac voce. Ceterum, sententiam nostram de origine a Graeco λόγιον, confirmat compositum *ante-logium*, apud Plautum in Menaechmis, quod, ex Graeca simul et Latina voce conflatum, non esse dictum pro *ante-elogium*, sed verius, ut ita dicam, *ante-λόγιον*, ejusdem significationis ac *prologium*, sive *prologus;* praeter Vossium in Etymol. h. v. monuit Muretus Var. Lect. III. 13.

Elog. Pag. 7. *Adspersa*] *Aspersa* edidit Lindemannus, auctoritate Prisciani: uti et infra p. 10 *asciverunt* pro *adsciverunt*. Rectius Schellerus, principibus Latinitatis scientia viris suo jure annumerandus, in talibus etymologiae potius habendam esse rationem judicavit, Praecept. Stili Lat. Part. I. Cap. I. p. 32. Libris manuscriptis si fides habenda est, in Vaticano Ciceronis de Republ. Codice, nuper excusso, praepositio *ad* retinet suum *d*, cum ante alias consonantes, *f*, *g*, *p*, *r*; tum ante *s*, qualia sunt *adsentiri*, *adsequi*, alia, et hoc ipsum, de quo agimus, *adsciscere:* ut patet e Conspectu Orthographiae, Ed. Romanae p. 350. Quidquid ejus rei sit, in Ruhnkenii certe scriptura nil temere immutandum erat.

P. 8. *Imaginem ad vivum expressam*] Scioppius, Infam. Famiani p. 52, rectius judicat *ad verum:* quod, si item probasset Ruhnkenius, sine dubio secutus fuisset. Virgil. Aen. VI, 848: *Vivos ducent de marmore voltus*, i. e. *ad vivum*, vulgo *ad vitam*, effictos, Graece ἐμβίους, ἐμψύχους. Cf. Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 375.

Ibid. *Nec ille longe quaerendus*] *Longe*, id est *procul*. Lindemanni annotatione, post ea quae scripsit Tursellinus de Partic. hac voce, facile caremus.

P. 9.

P. 9. *Qua gloriam suam inprimis fundavit*] id est, *firmavit*, *stabilivit*, et *fundamento* veluti *superstruxit:* non item simpliciter *condidit*, *statuit*. Vid. Sciopp. l. c. p. 61.

P. 10. *Obscuris sive rebus sive verbis lumen affundat*] Fuit, qui reprehendere vellet dictionem *lucem affundere*, tamquam minus Latinam; immemor, ut videtur, eorum quae hîc scripsit Ruhnkenius: at quantus vir, et quam egregiâ Latinitatis scientiâ excellens? Nec vero ullus erat reprehensioni locus. Formula enim *lumen* aut *lucem affundere*, nisi Veterum nitatur auctoritate, de quo in tanto bonorum librorum naufragio vix certo statuere audeas; at tuetur sese non solum per ipsam rei naturam et linguae analogiam, in quâ nihil est quod repugnet: sed etiam usu tam proprio, quam figurato, cum contrariae dictionis *tenebras* seu *caliginem offundere*, quarum alterâ usus est Cicero Tusc. III, 34: *si quid tenebrarum offudit exsilium;* alterâ Livius, XXVI, 45: *cum altitudo caliginem oculis obfudisset;* quemadmodum Valerius Maximus, II, 7, 6, *oculos clarissima in luce tenebris offusos* dixit: tum similium exemplo locutionum, apud Cicer. de Nat. Deor. II, 37: *quod is* (sol) *diem efficeret*, *toto coelo luce diffusâ;* eodem sensu quo Plinius scripsit Epp. V, 6. *perfundi sole*, id est solis luce; Lucanus de armato milite solis radiis collustrato cecinit, Pharsal. VII, 215, *perfudit lumine colles:* improprie vero Cicero Acad. IV, 15, *luce circumfusa* vocavit eadem, quae *perspicua*. Unde, ne plura afferantur, sponte sequitur, rebus aut verbis, interpretando explanatis, *lucem affundi* bene ac Latine dici posse. Verumtamen, quum Cicero alio loco, pro Leg. Manil. 12.

missa fundendi metaphorâ, dixerit *lucem afferre;* hactenus eum sequi malim, ut hoc usitatius censeam: in illo autem altero, si quid, nil aliud certe desiderem, nisi, ubi improprie usurpetur, additam *velut*, *quasi*, similemve particulam; ita ut dicatur *lucem alicui rei veluti affundere;* audacioris translationis mitigandae causa; de quo genere alibi monuimus. Est et ubi alterum praestat alteri: in illo v. c. Ciceronis loco, *tantamne unius hominis — virtus tam brevi tempore lucem afferre reipubl. potuit? luce* figurate pro *salute* posita, unice aptum erat *afferre lucem*, prouti in Homerico φόως ἑτάροισιν ἔθηκε, non ἔχευε. Similis ratio est loci de Orat. I, 40, *civibus lucem ingenii et consilii sui porrigere atque tendere.* Contra, ubi de verâ luce ejusque subito affulgente magna copia agitur, majorem vim habeat, necesse est, propria locutio; ut apud Valerium Flaccum, VII, 566: *ardentes stabula effudere tenebras*, id est, flammas fumo mixtas, quas uterque taurus, ut ait vs. 571, *immani proflavit turbine.* Pro *effudere*, reponas modo *extulere* vel *emisere:* mox senties, quam langueat oratio. Videndum ergo quid quoque loco conveniat. Ceterum, rarius est, quod infra p. 42, Ruhnkenius scripsit *lucem inferre:* quod ipsum tamen, isto quidem loco, haud temere improbari velim.

P. 11. *Ex duabus animi facultatibus*] Recte, *animi facultates*, plurali numero: vid. Add. ad Opusc. Ruhnk. p. 1022. et cf Nepos in Epam. I, 4.

P. 12. *Licetque adeo, quod Democritus de Poëta dixit, ad Criticum transferre: Criticus non fit, sed nascitur.*] id est, *atque adeo licet, caet.* quâ formula eleganter augetur et amplificatur totius senten-

tiae

tiae vis: quod ad h. l. nec Aug. Matthiae in Exemplis Eloq. Lat. nec Lindemannus intellexit. De hujus errore diximus l. c. et ab illius quoque reprehensione p. 196. liberandum censemus Ernestum in Dedic. ad Stiglizium p. LXIX: *quod — non scirent, qui sint tamquam fines disciplinarum et artium, — adeoque confunderent artem*, caet. cujus loci fere eadem est ratio. Democriti dictum, *poëta non fit, sed nascitur*, non nominato auctore, Ruhnkenius etiam alibi attulit, in Orat. de Doct. Umbr. Opuscul. T. I. p. 133. Respiciunt illud Cicero de Orat. II, 46. de Divin. I, 37. et Horatius Art. Poët. 295 sqq. ubi vid. Lambinus. Qui in tanta novorum librorum multitudine, more majorum, adhuc tenaces sunt Grammaticae Vossianae, iis non opus erit in memoriam revocare veteris poëtae versiculos:

Consules fiunt quotannis, et novi proconsules:
Solus aut rex, aut poëta non quotannis nascitur.

P. 14. *N. Heinsius — Poëtarum Latinorum sospitator dictus est*] Veluti a Broukhusio ad Tibullum I, 1, 42. quem fortasse ob oculos habuit Ruhnkenius. Eodem sensu Heusdium, V. Cl. *futurum Platonis sospitatorem* vocavit Wyttenbachius, cujus vid. Vita p. 174: alio, Rev. Randolphum *Plutarchi sui sospitatorem*, Philom. L. III. p. 231. sive Opusc. T. II. p. 347. Ceterum *sospitator* et *sospitatrix*, quorum alterum in dubium vocari video a Viro docto in Wolfii Anal. Liter. P. II. p. 488, ut jam ad h. l. Lindemannus monuit, voces sunt ex aetate Appuleji, de cujus *prorsus bene loquentis* Latinitate operae pretium est cognoscere Ruhnkenii sententiam cum in Praefat. Editionis Oudendorpianae, Opusc. T. II. p. 652 sqq. tum in Praef. ad Schelleri Lex. ibid.

 p. 699.

p. 699. Cicero in Verr. II, 63, pro Latino *servator*, usus est Graeca voce *soter*, de quâ vid. Ernestus in Clave. Quid? quod ipsum *sospes*, de servato, unde oritur verbum *sospito*, et passim memoratur *Juno Sospita*, id est servatrix, id quod Vossius jam vidit in Etymol. h. v., Graecae originis videtur, conjunctum cum σάος, σόος, σῶς, *salvus*, unde σώζω, *servo*, a cujus perfecto passivo σέσωσται ducitur σώστης, Latine *sostes*, quod postea transiit in *sospes*, eadem plane ratione quâ *hospes*, i. e. peregrinus, antiquitus dicebatur *hostes*, vel *hostis*, a Graeco ὅστις, teste Cicerone de Off. I, 12. Hinc facile apparet, quare Ennius, ut apud Festum traditur, *sospitem* de servatore dixerit.

P. 15. *Talis, tam felicis Critices illustre documentum dedit in Xenophonte Ephesio. caet.*] Hunc scriptorem ex uno, eoque fere evanido, Codice primus in lucem protulit Ant. Cocchius, medicus Florentinus, Londini a. 1726. Postea suas in eum animadversiones Hemsterhusius prodidit in Observatt. Miscell. Crit. Belg Voluminibus III, IV, V et VI, passim: unde eas in suam quisque editionem novissime transtulerunt Nobiliss. Baro de Locella, a. 1796. et P. Hofmannus Peerlkamp, V. Cl. a. 1818. quorum videantur Praefationes p. 41, 47, 49, 61, 67. Illustria sagacitatis Hemsterhusianae specimina, jam antea protulerat D'Orvillius ad Charitonem, pluribus locis, in primis pagg. [illegible], 322, 488, 552, 562, 686, 707. Quae, si lubeat, inspiciant adolescentes Critices studiosi.

P. 16. *Crates Mallotes — apud Sextum Empiricum*] Advers. Mathem. I. 79.

P. 18. Not. *Natus est Groningae, caet.*] Exstat,

stat in Diario, cui titulus *Bibliothèque des Sciences et des beaux Arts*, T. XXVI. P. I. a. 1766. p. 216. sqq. Gallice scriptum *Hemsterhusii Elogium*, lectu haud injucundum, nec tamen, quod quis fortasse suspicetur, a Ruhnkenii manu profectum, quippe tantis in eo laudibus celebrati, quantas in se ipse numquam contulisset. In ista igitur scriptione Hemsterhusius natus esse dicitur, non ut h. l. 1 Febr. 1685, sed ejusdem anni 9. Jan. quod quâ auctoritate nitatur, nobis obscurum est. Differt etiam annus delatae ipsi Philosophiae et Matheseos in Athenaeo Amstelodamensi professionis, qui ibi memoratur a. 1705. in quo consentientem secum habet scriptor brevem vitae Hemsterhusii notationem, proditam a Cl. Vriemoetio in Athenis Frisiacis p. 782 sq. Consulant praeterea, qui de Hemsterhusio cognoscere velint, Virorum Cl. Saxii Onomast. Liter. P. VI. p. 100 et 638. et Te Wateri Narrat. de Rebus Acad. L. B. Sec. XVIII. p. 220. scriptoresque ibi laudatos. Nam de notissimis Vitae Ruhnkenii locis, non est quod moneamus.

Ibid. *Timerent, ne non vitalis puer esset*] Minus recte, omissâ negatione, in priore Ed. legitur, *timerent, ne v. p. e.* Vid. Opusc. Ruhnken. T. I. p. 249.

Ibid. *Nam eundem mentis vigorem, caet.*] De Hemsterhusii senectute, quae aliorum praestabat juventute, conferatur alibi dicta in Orat. de Doctore Umbrat. Opusc. T. I. p. 141. Quibuscum non pugnant quae de *torpore senili* scripsit in Vita Ruhnkenii p. 133. Wyttenbachius. Nam et de extrema vitae parte ista accipi possunt, quum Ruhnkenius illam Orationem quatuor ante viri obitum annos

habuerit: et fuit Hemsterhusii juvenilis quidem senectus, at senectus tamen.

P. 19. *Decimum quartum*] Quae de hac formulâ protulit Lindemannus, corrigere tentans aut *quartum decimum*, aut *decimum et quartum*, haud scio an argutiora sint, quam veriora: ex allato certe Ciceronis de Inv. I. 54 sqq. loco non apparet, aliter dici non posse.

Ibid. *Praestantissimos quosque bonarum artium magistros audiebat*] In his, praeter Bernoullium, de quo mox dicitur, J. Braunium, cognitum opere de Vestitu Hebraeorum, sub cujus auspiciis Theologiam se literasque humaniores excoluisse, scribit ad Polluc. p. 1305, b. Huic, sine dubio, et fortasse etiam Alberto Schultensio (cf. infra p. 42 et 71) eam debuit Linguarum Orientalium peritiam, quam in eo fuisse, patet ex animadv. ad Polluc. p. 1060, b. 1220, a. Add. ad p. 1303 et 1304. Quâ de re nos monuit V. Cl. M. Tydemannus.

Ibid. *Socrates apud Platonem omnia praeclara de Isocrate adolescente auguratur, quod natura philosophia quaedam inesset in ejus mente.*] Dialogo Phaedro p. 279, A: Νέος ἔτι, inquit Socrates, ὦ Φαῖδρε, Ἰσοκράτης· ὃ μέντοι μαντεύομαι κατ' αὐτοῦ, λέγειν ἐθέλω. ΦΑΙ. Τὸ ποῖον δή; ΣΩ. Δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους, τὰ τῆς Φύσεως· ἔτι δὲ ἤθει γεννικωτέρῳ (f. l. γενναιοτέρῳ) κεκρᾶσθαι· ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν, προϊούσης τῆς ἡλικίας, εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων· ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσοι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα. Φύσει γὰρ, ὦ Φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ. Quae fere ad verbum Latine transtulit Cicero in Oratore, c. 13: „Est enim,

enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates: *Adolescens etiam nunc, ó Phaedre, Isocrates est: sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Majore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur. Praeterea ad virtutem major indoles: ut minime mirum futurum sit, si, cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui umquam orationes attigerunt; aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiscat. Inest enim natura philosophia in hujus viri mente quaedam.*" Quibus in locis, primum animadvertatur, tam apud Platonem quam apud Ciceronem, elegans personae et rei enallage, qua non *Isocratis orationes*, sed *ipse Isocrates* cum *orationibus Lysiae* comparatur: explicanda illa ex animadversione Cl. Wyttenbachii Biblioth. Crit. P. VIII. p. 75. et P. XII. p. 62. et Boissonadii in Novis Addendis ad Eunap. p. LII. Deinde, in loco Platonis observetur periphrasis, quâ οἱ περὶ Λυσίαν λόγοι dicuntur pro οἱ Λυσίου λόγοι, *Lysiae orationes*, eadem ratione, qua, ut hoc utar, τὸ κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, εὐαγγέλιον significat *Euangelium Matthaei* et *Marci*, caet. Postremum, atque hoc in primis animadverti velim, Platonis loco, si cum Ciceronis diligenter conferatur, videtur aliquid corruptelae subesse. Nam, quod Cicero vertit *tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus*; apud Platonem quidem *puerorum* vestigia apparent, non item *reliquorum omnium*. Quamobrem in eam fere adducor sententiam, ut suspicer post παίδων excidisse πάντων vel ἁπάντων,

literarum similitudine omissum, vel etiam, factâ perspicuitatis causa verborum transpositione, Platonem scripsisse *πλέον ἢ παίδων, διενέγκοι πάντων*, *plus quam pueris, praestet omnibus, caet.* Possis quoque, ratione habita ad se invicem relatarum particularum *si*, *aut — aut*, uti et additae *reliquorum* mentionis, Platonis verba sic fere ad mentem Ciceronis refingere: *ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν, εἰ, προϊούσης τῆς ἡλικίας, εἴτε περὶ αὐτοὺς τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων, ἁπάντων τῶν ἄλλων διενέγκοι, τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων· εἴτε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσοι ταῦτα, ἐπὶ μείζω τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα.* quemadmodum in suo codice legisse Ciceronem eo mihi probabilius est, quo magis mira nobis accidit redundantis fere in verbis *περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους* copulae *τε* collocatio. Verumtamen de hoc non statuo: nam potuit etiam Cicero liberius Latine vertere. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα, κατὰ τὸν Πλάτωνα*, nisi cum hoc loco conjuncta, certe multis, ut spero, haud ingrata futura.

P. 20. *Atque haud scio, an multum fallamur, si altos illos et magnificos — sensus — a Bernoulliana disciplina repetamus.*] Aug. Matthiae, in auctario annot. ad Eloq. Lat. Exempla p. X, ipsius auctoritate Ruhnkenii ad Muretum usus, suspicabatur illum h. l. scripsisse: *Atque haud scio, an non multum fallamur, caet.* Longius progressus Lindemannus, hoc ipsum adeo edere ausus est. De quo, in Addendis ad Opusc. Ruhnk. p. 1023. eam protulimus sententiam, ut hunc locum ab istâ suspicione liberaremus: nec nunc ab ea nobis recedendum putavimus. Primum enim, si revera error esset operarum, per omnes editiones propagatus, nec Ruhnkenio adscribendus, profecto haud credibile est,

tan-

tantum tam insigne mendum bis adeo diligentiam effugisse censurae Wyttenbachianae, primum Biblioth. Crit. P. X. p. 117 sqq. post, aliquot annis interjectis, ibid. P. XII. p. 98 sqq. — Deinde, quam horum verborum sensus postulat, dubitandi vis manifesta est in loco allato Terentii And III. 2, 45. ubi quod legitur, *Atque haud scio, an, quae dixit vera sint omnia*, aliter accipi nequit quam pro, *atque dubito, an vera sint*, sive, quod eodem redit, *atque haud credo, vera esse omnia quae dixit.* Nam sic demum congruunt haec praecedenti versui: *Non impulit me, haec nunc omnino ut crederem:* et simpliciter dubitantis esse, data opera docuit in scholiis Ruhnkenius. Idemque ad alium Mureti locum, Opp. T. II. p. 429: *Atque haud scio, an unquam eam* (Romam) *epitomen orbis verius vocare licuerit, quam hoc tempore:* ubi item obtinet dubitandi vis, de errore sive Mureti, sive operarum, ne verbo quidem monuit. Porro ad loca, a Matthiaeo notata quod attinet, alterum Mureti p. 77: *atque haud scio an ullus hodie tota Italia princeps tantas opes habeat, quantas in Senecam quadriennio Nero congessit;* etsi Ruhnkenius T. I. p. 187 edidit *nullus:* alterum p. 185. Ernesti in Dedic. ad Stiglizium p. LV: *cujus* (Polybii) *vel uno libri sexti fragmento, nescio, an unquam sapientius est quicquam prudentiusque scriptum;* quamvis sine dubio rectius scripsisset *nescio an — sit;* potest tamen uterque locus eadem ratione vindicari: iisque adeo adjungi tertius ejusdem Ernesti, qui ad Ciceronis Brutum c. 22. not. 48. eodem dubitandi sensu scripsit: *Nescio, an* altior *et* gravius *satis bene sibi respondeant. — Non decerno. Sed, caet.* Ne nunc de Ruhnkenii, suorum ipsius

sius verborum optimi interpretis, dicamus loco infra hujus Elog. p. 73: *Ac nescio, majorine gloriae sit Hemsterhusio, Bentinckiis placuisse, an Bentinckiis Hemsterhusii virtutes intellexisse.* ubi *nescio majorine*, sive *nescio an majori*, *gloriae sit*, nisi pro *credo majori gloriae esse* accipias, commodius etiam intelligetur *dubito utrum majori gloriae sit.* Quamquam, fateor, magna in talibus imitandis cautione opus est: nec temere credendum aut vulgari eique saepius corruptae veterum librorum scripturae, aut pravae plerumque recentiorum Latine scribentium consuetudini. Postremo, quid? quod apud Graecos etiam, quos dicendi magistros Romanis fuisse constat, formula οὐκ οἶδ' εἰ, non tantum dubitanter et modeste affirmantis est, ut apud Xenophontem Cyrop. VIII. 4, 16: τὰ δὲ ἐκπώματα, ἔφη, οὐκ οἶδ' εἰ Χρυσάντᾳ τούτῳ δῶ· *pocula vero, inquit, haud scio an Chrysantae huic tradam*, i. e. fere adducor ut ei dono dem: sed subinde etiam simpliciter dubitantis est, ut apud eumdem, V, 4, 12: οὐ μὰ τοὺς θεοὺς, ὦ Κῦρε, εἰ ἦν, οἷος ἔφυν ἐξ ἀρχῆς, καὶ ἐπαιδοποιησάμην, οὐκ οἶδα, εἰ ἐκτησάμην παῖδά ποτ' ἂν τοιοῦτον περὶ ἐμέ· *Minime, per deos, ô Cyre; si essem, qualis fui ab initio*, (i. e. nisi castratus essem: cf. C. 3. §. 19.) *et liberos procreassem, haud scio, an filium unquam nactus essem talem erga me*, i. e. dubito an unquam nactus essem, sive credo me nunquam nactum fuisse filium, qui talem sese mihi praestaret. Haec, ni fallor, ad sententiam nostram tuendam sufficient: nec dubitamus, quin assiduâ eaque criticâ veterum lectione plurima, cum Graecorum, tum Latinorum, Scriptorum loca inveniri queant, quae eam uberius confirment, et quaestionem

nem e grammatico genere unam omnium difficillimam et obscurissimam explicent et nova luce perfundant.

P. 21. *Casu quodam disjecti erant publicae Bibliothecae Codices MSS. caet.*] Constat hac de re ex ipsius Hemsterhusii verbis in Praef. ad Pollucem p. 24, extr.

Ibid. *Artibus eorum, qui, ne luminibus suis obstrueretur, metuebant.*] Significantur cum alii pauci, tum praecipue P. Burmannus Senior, tunc temporis Eloq. Ling. Graec. et Histor. Professor: id quod ex ipso hujus Elogii scriptore sese audivisse refert J. G. Te Waterus Vir. Cl. in Narratione supra laudata de rebus Acad. Lugduno Batavae Sec. XVIII. p. 212. Ceterum, Graecarum Literarum provincia, Gronovio doctore orbata a. 1716 mense Octobre, ac Burmanno, ut videtur, interim demandata, (cf. eadem Narrat. p. 197 et 206.) vacavit aliquamdiu, anno demum 1721 Havercampo data; de quo paulo post in familiaribus ad Oudendorpium literis, quae fuerunt penes eumdem Te Waterum, ita scripsit Th. Sellius: „ Quid? quod et nonnunquam suavissime tempus „ triverimus exagitandis quibusdam minorum Gen„ tium criticis, quos inter vel nugacissimus mihi „ semper visus est Sig. ille Haverkampus, quem „ Leidam — vocatum esse — cognovi et obstupui. „ Ego enim, qui hominem intus et in cute novi, „ pro comperto habeo, nihil, quod dignum sit „ Academia L. B., ab ejus ore aut calamo profi„ cisci posse:

„ *Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant*
„ *Antea, dementi sese flexere ruina?*

„ — sit licet positus in sede, quae tot magnos vi-

„ ros

„ ros tulit, numquam tamen me judice efficiet, ut „ dignitatem illam meruisse dicatur. Adeo vera „ sententia: πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε „ Βάκχοι."

P. 23. *Propertii — Aristophanis amorem, salutarem deinceps utrique poëtae futurum.*] Mox enim Hemsterhusius suas in Propertii libros duos priores conscripsit Animadversiones: conscriptas misit ad amicum, Petrum Vlamingium, doctissimum Amstelodamensium poëtam, de quo egit Saxius Onom. Liter. Vol. VI. p. 293 et 695. Hae postea pervenerunt ad J. Schraderum, a quo cum P. Burmanno Secundo, futuro Propertii editore, communicatae, post Burmanni obitum, primum lucem viderunt, Addendis ad hujus Editionem p. 920 — 951. passim insertae a Laur. Santenio, cujus vid. Praef. p. XIV. Alias insuper, quae ibi non leguntur, jam ipse Burmannus protulerat in Annot. ad Propert. II, 1, 5, p. 203, a. II, 2, 32, p. 227. b. Aristophani profuit Hemsterhusius notissima illa Pluti, veteribus scholiis illustrati, editione, quae prodiit Harlingae a. 1744. Fuit ergo ejus opera salutaris *deinceps utrique poëtae:* sed de particula *deinceps* dicemus alio loco.

Ibid. *Hac tam felici velut contagione*] Recte in hac Edit. additum *velut*, antea omissum, cum quia translate hîc ponitur *contagio*, tum quia plerumque in malam partem dicitur. Proprie autem significat *contactum:* cf. Cicero de Nat. Deor. II, 55. *Contagione* pro *cognatione* in loco de Divin. I, 49, Davisius conjecit: eleganter ille quidem, sed minus vere, judice Hottingero.

P. 24. *Vir doctus*] J. H. Lederlinus, Kühnii discipulus, tum quum ad Pollucis L. VII. pervenerat, Am-

Amstelodamo, ubi liber apud Wetstenios excudebatur, ad ornandam, Kühnii morte vacuam, Orientalium Literarum cathedram, in patriam suam Argentoratum evocatus. Vid. Praefationes ad Polluc. p. 7 sq. 21 et 24.

Ibid. *Graevii auctoritate impulsus*] Vid. Hemsterhusii ad Polluc. Praef. p. 25.

P. 26. *Celsus*] de Medic. VIII, 4.

P. 30. *In Poëtis — vitae velut tabernaculum collocare.*] Sic, quae in priore Ed. scripserat *in poëtis — commorari*, elegantius refinxit ad imitationem dictionis Ciceronianae de Orat. III, 20, *in una philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocare.*

Ibid. *Veterum auctoritatem — restituerunt.*] Lucem accipiunt ex disputatione Wyttenbachii, Vitae Ruhnk. p. 23 sq.

P. 31. *Exorti sunt literatores, qui, caet.*] Partim illi reprehendendi, ut antea fecerat Ruhnken. in Orat. de Doct. Umbrat. Opusc. T. I. p. 124 sq. in primis 129 sqq. partim, nisi laudandi, certe excusandi, ut postea Wyttenbachius ostendit l. c. p. 24 sq.

P. 32. *Ad ravim usque*] i e. *ad raucitatem usque*, Plautina dictio, de qua egit J. F. Gronovius Lect. Plaut. p. 286.

P. 32. *Hemsterhusii exemplo, literarum studium cum Mathesi et Philosophia conjungant*] Exstat de hoc argumento ipsius Hemsterhusii Oratio *de Mathematum et Philosophiae studio cum Literis Humanioribus conjungendo*, una cum aliis ejusdem et Valckenaerii Orationibus edita Lugd. Bat. 1784. libro utilissimo et Wyttenbachii censura commendato Biblioth. Crit. P. IX. p. 74 sqq. Quam ille Orationem, vir unus omnium Criticorum γεωμετρικώτατος

ἅμα

ἅμα καὶ φιλοσοφικώτατος, *qui*, ut supra p. 22. dictum erat, *praeclare sciret*, *quo societatis vinculo hae disciplinae inter se devinciantur*, habuisse videtur a. 1704. Philosophiae et Matheseos Professionis in Athenaeo Amstelodamensi auspicandae causa. Vid. Ruhnken. annot. ad p. 18. Orationibus autem viri summi, a Valckenaerio editis, alius mentio addenda est *Panegyricae ad Celsiss. Principem Arausii et Nassaviae*, Leidae 1747. fol. duarum item ineditarum, alterius *Parentalis in obitum J. C. Rungii*, Professoris quondam Franequerani, cujus mentio exstat apud Vriemoetium Athen. Fris. p. 786. indeque apud Saxium Onom. P. VI. p. 165. alterius *de statu Belgii*, habita d. 8. Febr. 1748. cujus meminit Cl. Te Waterus in Narrat. laudata p. 220. Nec silentio praetereunda Hemsterhusii, Academiae Frisiacae Rectoris, Praefatio ad J. Regii Orationem funebrem in memoriam V. Cl. Gul. Coetier, Franeq. 1724. unde nonnulla retulit Vriemoetius l. c. p. 705.

Ibid. *Ingenium subegerit*] Minus recte in dubium vocavit Lindemannus, ut diximus in Add. Opusc. Ruhnk.

P. 34. *In eo de moribus*] i. e. in loco de moribus, pronomine *eo* posito pro nomine, quod ex antecedenti *locis* commode subauditur; nec opus erat dicere *in eo qui est de moribus*, quod, dudum ante Lindemannum, in priore hujus Elogii editione voluerat nescio quis censor, item Germanus, sed ab Ruhnkenio in hac alterâ non probatus.

P. 35. *Ceterum in Metaphysica quae vera certaque sint, et in quibus firme consistere possis, apud veteres se reperisse omnia dicebat. caet.*] Pluribus illustrantur in Orat. de Graecia Art. ac Doctr. Inventrice, Opusc. T. I. p. 91 — 95. ut jam alibi monuimus. Idem ille, nescio quis, censor, obscurus homo, judicabat scri-

scribi debuisse, *quae — essent*, *et — posses — se reperisse — dicebat*; et mox item *demonstrabat*, *quod*, *quotiescunque n. M. existeret*, *toties — pelleretur*, pro *existat* et *pellatur*; perperam ille ac temere legem de grammatica modorum ac temporum consecutione interpretatus; quae sane lex non eo valere potest, ut rebus, de quibus agitur, vim adferat, earumque ad se invicem relatarum rationes temere confundat ac turbet, adeoque scribentibus necessitatem imponat aliter, ac contra quam vere recteque cogitaverant, verbis dicendi: sed eam tantummodo vim habere debet, ut tirones in scholis, ac Literarum Latinarum rudes nec satis periti, habeant quod sequantur, et a vitiosa loquendi consuetudine immunes serventur et, ut ita dicam, intacti. Sic, exempli gratia, in hac verborum constructione, quamvis praecedente perfecto et imperfecto tempore, recte, nec contra linguae rationem, sequitur praesens, quia res ipsa praesens est nec mutatur: ut, contra, imperfectum cum dicentis mente ac sententia, et vera rei ratione, minus bene congrueret, atque adeo pugnaret. Sic, ut hoc addam, infra p. 53, *censebat*, *ne Bentlejo quidem veniam dans licentiae*, *quam sibi sumsit in Manilio recensendo*: in his nulla caussa erat, cur scribendum fuisse existimaretur *sumsisset*, quum agatur de re in facto posita nec dubitationi obnoxia; ac praeterea perfectum *sumsit* magis a proxime antecedenti praesentis participio *dans*, quam ab illo remotiore imperfecto *censebat*, pendeat. Plura ejusdem generis animadvertendi, postea fortasse locus erit. Et est ea res infiniti fere laboris ac studii, nec nisi adsidua optimorum scriptorum lectione, conjuncta cum diligenti scribendi exercitatione, pariter ac-

accurata Latinitatis scientia, et exsistit certus minimeque fallax ejus, quod quovis in loco postulat, sensus. Ne ipse quidem, in bene Latine scribendo facile princeps, Ruhnkenius, rectam ejus rationem ad illum modum ita constanter tenuit, ut nunquam ab ea aberraret, et sua ipse scripta emendare cogeretur, ut patet ex prioris hujus Elogii cum posteriore editionis comparatione, quam in Opusculis ejus dedimus. Quo majore opus est iis cautione, qui eam, quae fuit in Ruhnkenio, scribendi et facultatem et facilitatem nondum assecuti sunt. Praeter alios, passim hac de re monuit Cl. Mahnius in Epist. Sodal. Philom. laudatis etiam p. 259. ipsius Philomathis, id est Wyttenbachii, Adversariis; quae, quamvis frustra, eum editurum speravit.

P. 36. *Historiae Philosophicae*] Rectius *Hist. Philosophae*, vel *Philosophiae:* quod nec Ruhnkenius ignoravit, et Wyttenbachius, subinde ita locutus, postea pristinum errorem correxit, veluti in ea Disputationis de Veterum Placito de Immortalitate Animorum parte, quam deinceps Phaedonis Platonici editioni adjecit, aliquot locis correctam et auctam, ut et ipse fatetur Philom. L. III. p. 44. et data operâ conferenti patebit. Habet autem talium locorum comparatio utilem juvenibus Latinitatis studiosis bene cogitandi scribendique exercitationem.

Ibid. *Involantibus fere in illam — compilatoribus, qui, caet.*] Bruckerum hac reprehensione significat, quem in Dissert. de Longino §. III, Opusc. T. I. p. 491, diserte vocavit *historiae philosophicae compilatorem.*

Ibid. *Versionibus*] Praestat *interpretationibus.* Vid. Add. Opusc. Ruhnk. et cf. Vit. Wyttenb. p. 139.

P. 39. *Soceri, Jacobi Wildii museum*] Singulari opere descriptum a Sigeb. Haverkampo, Amstel. 1741. cum antea ipse Wildius separatim deinceps edidisset Selecta Numismata antiqua, Amstel. 1692. Signa, ibid. 1700. Gemmas, ibid. 1703. Vid. Saxius Onom. Liter. P. V. p. 423. et VI. p. 350. et Cf. Broukhus. ad Tibull. III, 6, 2. Hemsterh. Praef. ad Polluc. p. 43. et ann. ad Luciani Colloq. Sel. p. 79. Latino carmine celebratum a Davide Hoogstratano, Poëmat. p. 212 et 234. cujus ibidem p. 275. exstat Elegia in obitum Wildii, Viri spectatissimi, Rei Maritimae Amstelodami a rationibus. Hujus autem filiam, Corneliam Mariam Wildiam, in matrimonium duxerat Hemsterhusius: quas nuptias idem ille Hoogstratanus, ut me docuit V. Cl. M. Tydemannus, sic cecinit l. c. p. 277:

HONORI ET MERITIS

TIBERII HEMSTERHUSII

In Illustri Amstelodamensium Athenaeo Philosophiae Professoris,

QUUM

CORNELIAM MARIAM WILDIAM

DOMUM DUCERET.

O Latiis, ô Argolicis dilecte Camoenis,
O care Phoebo, qui tibi
Blandis imbuit ora favis, qui baccare cunas
Conspergit et lauro tuas,
Crescentique dedit praeclarum nomen habere
In eruditorum choro;
O laus, ô castis ingens decus addite nuptis,
Amstelia quos Pallas suis

Jussit adesse sacris, quae primis legit ab annis
Te vindicem fidum sibi;
O nimium felix, felicibus utere fatis,
Propitia quae votis tuis
Concessere tibi cultam sine fine puellam, et
Ob gratiam morum auream
Et formae decus egregium constanter amatam;
Corneliam connubio (*)
Quae tibi junxerunt stabili propriamque dicarunt,
Aetatis ut tempus suae
Exigeret tecum meritis pro talibus omne,
Pulcraque te faceret simul
Prole patrem! ô felix pariter Cornelia docto
Sociata rite Conjugi,
Quem mites finxere Deae, quem Dorica Pitho
Suo ipsa pavit nectare,
O iterum felix, claro quae nata parente
Suae propagat gloriam
Splendoremque domus. Jam sacris annuit istis
Plauditque Wildius Pater,
Cultorum studiis quem laudat turba virorum
Opes paratum promere
Aere suo partas, quoties ita postulat usus,
Rarosque prisci temporis
Thesauros, lapides, et marmora, et aera vetusta,
Quae scriniis servat suis.
Tali, Virgo, Viro, tali quoque digna Parente,
O sorte jam gaude tua.
Gaude sorte tua: titulo decorabere Matris,
Quo dulcior nullus datus,
Luna ubi plena suum decies renovaverit orbem,
Novisque radiis fulserit.

Dum

(*) Obiter notetur imitatio loci Virgiliani, Aen. I, 77 sqq.

Dum loquor, ó fausto conjuncti foedere amantes,
Nox atra jam coelum tenet,
Atra licet, cunctis tamen anteferenda diebus.
En auream quatit facem
Dulcis Hymen: illum teneri comitantur Amores,
Castoque praelucent toro.
Vivite concordes animae, multoque nepote
Fulcite victuram domum.

P. 39. *Non temere*] *Temere*, i. e. *facile*, qua significatione sibi adjunctam habere solet negationem. Legitur apud Ciceronem Epp. ad Quintum Fratr. I. 1, 4. Cf. Tursellinus de Part. h. v. Errat igitur Lindemannus, cujus ceteroquin animadversio nihili est, si, ut ipse ait, frequens est apud alios multos, eosque probatissimos. Monuit me Doctiss. Bossius.

Ibid. *Ac saepe mirabatur caet.*] Hac item in re Hemsterhusium et probabat, et imitari solebat Ruhnkenius, cujus vid. Vita p. 30 et 255.

P. 41. *Invenienda verissima Originum Graecarum ratione, caet.*] De Originum Graecarum aperiendarum laude Hemsterhusio vindicanda, et analogiae ab ipso inventae, ejusque disciplinae alumnis, Lennepio in primis et Valckenaerio, ad posteritatis memoriam propagatae, et ad certam artis ac disciplinae rationem redactae, singulari praestantia ac prudenti usu, operae pretium est cognoscere optimi judicis, Wyttenbachii, sententiam proditam cum brevius in Vita Ruhnken. p. 27 tum latius in censura Etymologici Linguae Graecae Lennepiani, cura Ev. Scheidii edito Traj. ad Rhen. 1790. Biblioth. Crit. P. X. p. 123 — 128. tum vero etiam passim aliis locis, ibid. P. IV. p. 123. Philom.

L. II. p. 229 sq. L. III. p. 259 sq. Praef. ad Sel. Hist. Gr. p xxvii sq. Quo ipso concidunt omnes recentiorum, in primis Germanorum, tantum tam praeclarum inventum aut contemnentium aut irridentium, voculae ac querelae; confirmaturque prudens ac modestum, si quod aliud, Censoris Angli judicium in Diario, cui titulus: *The Quarterly Review*, Vol. XXII. No. XLVI. p. 319. Cujus ipsa verba in Latinum sermonem conversa h. l. referre juvat: „Lingua Graeca, inquit, quemadmodum ad nos pervenit, servata antiquarum monumentis literarum, non adeo magnum continet radicum, ut ita dicam, et originum numerum. Quae vestigia et indagare, et in suas classes redigere, soli relinquebatur industriae et sagacitati Hemsterhusii et Valckenaerii: quibus viris, ope analogiae, quam nonnullis in locis fortasse longius persecuti sunt, adjutis, contigit per seriem vocabulorum, ab aliis, rivulorum instar, derivatorum (*), veluti ad fontem, ad insignem primitivorum, quae non amplius exstant, copiam adscendere."

P. 42. *Qui nolunt eundem hominem pluribus rebus excellere*] Sumsit a Cicerone suo, Brut. 21: *Sed est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere.* Haec et alia plura ejusdem generis, qualia ne in Mureto quidem negligenda putavit Ruhnkenius, locis allatis Opusc. T. II. p. 728 et 73?. ejusque exemplo in Ernesto, Wyttenbachio, et ipso Ruhnkenio, passim laudabili diligentia ostenderunt Matthiaeus et

(*) Sic, servata significatione propria, usurpandum putavimus verbum *derivari*, quod alioquin minus recte simpliciter ac translate dicitur pro *duci*, *oriri*, ubi de vocabulorum etymologia seu origine agitur.

et Lindemannus; haec igitur diligenter animadvertentibus constabit, aliud esse, caute ac prudenter veteres imitari, eorumque luminibus suam ipsius orationem distinguere: aliud, illustres antiquorum locos ad verbum descriptos, dictionesque temere undecunque arreptas, barbara vernaculi sermonis compositione obscurare: in quo tantopere sibi semper placuerunt multi, proximeque ad antiquos illos, et omni eloquentiae laude cumulatos, accessisse sibi visi sunt; cum ipsi a divino illorum ingenio et scribendi elegantia longissimo intervallo distarent. Sed istorum ineptias et obscuram loquacitatem merito castigavit vir summus in Orat. de Doctore Umbrat. Opusc. T. I. p. 131 sq.

P. 44. *Quod pauci magis suspicati erant, quam intellexerant*] Sic verius posita, quam in priore editione, *quod pauci erant suspicati.* Nam ut ad h. l. in Opusc. Ruhnken. p. 267. monuimus, Latinam linguam a Graeca originem ducere, ante Hemsterhusium suspicati erant cum alii, ut in Etymologico Linguae Latinae G. J. Vossius, perfectus Grammaticus, judice Tollio V. Cl. cujus nota est de hoc argumento Oratio, habita Amstelodami a. 1778. tum in primis, qui nominatim a Ruhnkenio laudantur, Scaliger et Salmasius, uterque compluribus scriptis eruditissimis: at nemo illorum ita intellexerat, et quasi lynceis oculis perspexerat, ut Hemsterhusius ejusque disciplinae alumni. Quae cum ita sint, cumque Ruhnkenius exoriturum aliquando auguretur, qui planissime demonstret, *omnem Latinam Linguam pulcrae matris Graecae pulcram filiam esse;* revera tamen, ut ipse fatetur, *restat pars quaedam, quae invecta aliunde videatur*, praesertim ab *Oscis*, vetustis-

sima Italiae gente, quibuscum origine conjuncti fuisse videntur, quorum hodieque Germaniae partem tenent posteri, *Hassi*, sive, ut vulgo dicuntur, *Hessi*. Qua de re ut hic non est fusius disputandi locus, ita nobis nunc sufficiat auctoritatem laudavisse Viri, universa Linguarum et Etymologiae scientia hac nostra aetate facile principis, Celeberrimi Bilderdykii, qui ab ea quidem sententia sese non alienum profiteri solet, eidemque idoneis argumentis tuendae et confirmandae, si quis alius, par est, et haberi debet. Conferri etiam possunt a Lindemanno laudatae Commentationes, Daumii de causis amissarum Latinae Linguae radicum, Cygneae 1642. et Praschii de Origine Linguae Latinae Germanica, Ratisbonae 1686: quarum illa recusa est in Syntagmate Dissertationum ab J. G. Graevio editarum Ultrajecti 1702. p. 447 sqq. Minime certe eo pertinere debet utriusque Linguae similitudo et comparatio, ut Virgilium Graece, Homerum Latine locutum dictites: quod placuit viro, ceteroquin eruditissimo et de Linguarum studiis optime merito, in Proleg. ad Lennepii Etymolog. Ling. Graec. pag. XLVI sqq. et LIX sqq.

P. 45. *Nec M. A. Muretus dicere dubitavit, eos, qui Graeci Sermonis expertes sint, ne Latine quidem scripta penitus percipere posse.*] Variarum Lect. II, 20: „ Jam pridem enim persuasum esse existimo „ omnibus qui versantur in litteris, sine *Graeci sermonis* cognitione mancam omnem ac mutilam esse „ doctrinam, et *qui* ejus *expertes sint, ab eis ne* „ *Latine quidem scripta penitus percipi.*" Qui locus, memoriter laudatus, ut Lindemannum fugit, ita me quoque fugiebat, Addenda ad Opuscula Ruhnkenii conscribentem. Rem ipsam, praeter Muretum ali-

aliosque, exemplis obiter illustrarunt Ruhnkenius Praefat. ad Scheller Lex. Lat. p. XII. sive Opusc. T. II. p. 746. et Wyttenb. Bibl. Crit. P. I. p. 22 sq. Cf. et Vit. Ruhnk. p. 93.

P. 47. *Josephus Scaliger, cui Batavi prope omnem rectum ingenii cultum — debent.*] Omissum in priore edit. *rectum*, merito in hac altera additum est: siquidem *ingenii cultus* jam antea aderat: *rectus ingenii cultus* Scaligero debetur. Similiter judicaverat in Orat. de Doct. Umbr. Opusc. l. c. p. 115: *ille inprimis*, inquit, *omnium, quotquot fuerunt, aut fortasse futuri sunt, Literatorum princeps, Josephus Scaliger, Batavam gentem incorrupto veritatis et elegantiae, quae priscis Graecorum Latinorumque monumentis continetur, gustu imbuit.* Quod utinam perficiendo vitae Scaligeri conscribendae proposito, quod Ruhnkenio fuisse significat Wyttenbachius in ejus Vita p. 273. planum fecisset vir summus, et, si quis alius, Scaligeri virtutibus intelligendis et explicandis idoneus. Brevis de viri vita scriptisque narratio petatur ex Meursii Athenis Batavis p. 167 sqq. Cf. et Wyttenb. Philom. L. II. p. 168.

Ibid. *Scaliger igitur, caet.*] De particulis *igitur* et *sed*, post parenthesin orationi instaurandae adhibitis, res nemini ignota est, ne tironi quidem, nec Lindemanni admonitione ad h l. et ad p. 58. indigebat. Minus fortasse notum eidem usui inserviens *tamen*, apud Cicer. in Brut. 27. quamvis jam ab Ernesto notatum in Clave.

Ibid. *Altero igitur Scaligero opus erat — Is fuit Hemsterh.*] Cf. Ernesti judicium, in Vit. Ruhnk. p. 17. Ruhnken. Ep. ad Ritter. Opusc. T. II. p. 769: *Hic enim*, inquit, de Hemsterh. loquens,

mente supra humanam sortem evecta, et immensa reconditae eruditionis copia, Leidensi Academiae Scaligerum, Salmasium, et quidquid alias praeclari habuit, solus reddit.

P. 48. *De summo Latinarum literarum studio*] Desideratur in Matthiaei edit. vox *Latinarum:* quod miratus non fuisset censor Jenensis, si eam contulisset cum priore Batava a. 1807. unde item excidit, et ex qua suam duxisse videtur Germanus Editor.

P. 49. *Sacco fundi*] Proverbiale, ductum de Graeco Corinnae, τῇ χειρὶ σπείρειν, μηδ' ὅλῳ τῷ θυλάκῳ, quod inter Proverbia Metrica retulit A. Schottus vs. 836. p. 622. et commemoravit Valckenaerius Diatr. Eurip. exeunte. Eodem alibi utitur Ruhnkenius, Praefat. ad Scheller. Opusc. T. I. p. 703.

P. 52. *Nosse modos permutandorum in libris priscis verborum, utile putabat: caet.*] Hemsterhusium, communem doctorem, quemadmodum secuti fuerint, inter se consentientes discipuli, Valckenaerius et Ruhnkenius; discant ingeniosi adolescentes, facta hujus loci comparatione cum illius Diatribe Euripideâ, Cap. XXV. init. et hujus ratione a Wyttenbachio adumbrata, Vit. Ruhnk. p. 34. 217 sq. 234 sq.

Ibid. *Ut quisque plurimum operae in librariorum aberrationibus notandis posuisset, iisque margines librorum opplevisset, ita nullam magnopere Critices laudem tulisset*] Opportune monuit Lindemannus *nullam magnopere* h. l. vim habere superlativi, et plus adeo sibi velle, quam si dixisset *minimam:* minus recte idem judicavit, non aliter dici posse videri, quam *ut quisque plurimum — ita minimam plerumque.* Neque enim adeo similitudinem h. l. significant sibi invicem respondentes particulae *ut — ita*

ita, sed potius oppositionem, *ut* frequenti usu pro *quamvis* posito, ac post *ita* solenni ellipsi, de quâ cf. Bauerus ad Sanctii Minerv. T. II. p. 3 0, suppresso *tamen*, hoc sensu: *Quamvis aliquis plurimum operae — posuisset, iisque — oppleviss t, vel sic tamen nullam, caet.* Nihil ergo huic verborum structurae inest, quod cum Latinitatis ratione pugnet.

Ibid. *Librorum margines opplevisset*] Matthiaeus, nescio unde, edidit *oblevisset*: quod quamvis nihili sit, tamen ne quem in errorem trahat, post Lindemannum, monendum duximus.

Ibid. *Illud Asinii Pollionis*] Apud Scholiastam Horatii Cruquianum p. 633. Alterum locum ipsius Horatii esse ex A. P. 311. neminem fugit. Inde mox item fluxerunt *aegri somnia*, e vs. 7. quod proverbii vim habere, docet Erasm. Adag. p. 701.

P. 57. *Adolescentes — veluti gustu quodam imbuebat*] Probum est *gustu imbuere*, propter additum *velut*. Vid. quae notavimus in Add. Op. Ruhnk. p. 10 8. — Ceterum, et cum hoc loco conferatur Vita Ruhnk. p. 233 sqq.

P. 60. *Fateri solebat vir summus, P. Wesselingius, caet.*] Vid. Wesselingii Dissertatio Herodotea, Traj. ad Rhen. 1758. ad Hemsterhusium missa. Recte h. l. Wesselingius *vir summus* dicitur, qui in historia facile omnium princeps fuerit, teste Wyttenb. in Vit. Ruhnk. p. 97. Similiter Hemsterhusius, Criticorum princeps, *vir summus* vocatur in Elog. p. 30. de quo diximus in Add. Opusc. Ruhnk. p. 1024

Ibid. *Nomen suum immortalitati commendavit*] Referendum in primis ad palmariam illam Herodoti editionem, de qua vid. Vit. Ruhnk. p. 85. et Praef. ad Sel. Pr. Hist. p. XXII.

P. 61. *In hac autem interpretandi ratione — non minus — quam in illa emendandi*] scilicet *ratione*, quod recte suppressum est: nec opus erat, cum Lindemanno addere *provincia*. Haud dissimile est istud Ciceronis de Off. I. 1: *sequereturque et illud forense dicendi, et hoc quietum disputandi genus:* ubi nemo dubitat, quin, post *dicendi*, ex sequentibus commode subaudiatur *genus*. Cujusmodi ellipses frequentes sunt, et passim a Sanctio, Schellero, aliisque animadversae. Conf. supra similis locus p. 34.

P. 63. *Auctorum*] Probum h. l. ob id, quod sequitur, *quos scriptor imitando expressisset*, i. e. quos hujus illiusve dicti auctores secutus esset. Alioquin non simpliciter pro *scriptore* ponitur. Vid. Opusc. Ruhnk. ad h. l. p. 277 sq. et Add. p. 1026.

P. 64. *Aristophanem — Xenophontem Ephesium*] Vid. supra ad p. 15 et 23.

Ibid. *Hesychium*] Hemsterhusii in eum Annotationes insertae leguntur Auctario ad calcem Tomi II. Hesychii Albertini. Vid. Ruhnkenii Praefatio ibidem, repetita Opusc. T. I. p. 192.

Ibid. *Thomam Atticistam*] Hujus edendi propositum Hemsterhusio fuisse, Rittero significavit Ruhnkenius. Opusc. T. II. p. 777. Edidit eum postea, cum Hemsterhusii aliorumque animadversionibus Bernardus, medicus doctissimus, Lugd. Bat. 1757. Vid. praemissa huic edit. Oudendorpii Praefatio.

Ibid. *Alios*] Veluti Timaeum Ruhnkenianum, Callimachum Ernestinum, Jo. Chrysostomum apud Raphelium Annot. ad N. T. ad calcem T. II. p. 77 sqq. Quae omnia satis nota sunt. Minus fortasse nota exquisitae eruditionis plena viri summi animadversio de voce εὐαγὴς, servata in Musgravii Exercit.

Eu-

Euripideis Lugd. Bat. 1762, p. 84 sq. repetita in edit. Eurip. ad Suppl. v. 614. Nec item omnibus cognita singularis ejusdem, sub literas I. E latentis in Miscell. Obss. Vol. VII, p. 325, de loco quodam Antiquitatis Graecae disputatio, Valckenaerio laudata ad Herodot. IV, 145. p. 344, b. mihi autem indicata a Cl. M. Tydemanno.

Ibid. *Coam Venerem, Lucianum dico, ab eo non esse absolutam*] Ipsius Hemsterhusii, in editione Operum Luciani, quae cura Jo. Fred. Reitzii prodiit Amstelodami apud Wetstenios a. 1743, tribus voluminibus; non nisi ad Tomi I. paginam 525. pertinent Versio Latina et Annotatio: reliquae partis, Gesnero et Reitzio debentur.

P. 65. *Se ad labores, praesertim jussos, paulo esse tardiorem.*] Tale fuisse Hemsterhusii negotium, jam antea significaverat V. Cl. in Praefat. ad Timaeum Opusc. T. I. p. 86. Cf. Vita Ruhnkenii p. 132.

Ibid. *Plinius*] Hist. Nat. XXXV, 11.

P. 66. *Memoriae suae, caet.*] Exempli gratia conferantur, quae scripsit Ruhnken. in Praef. ad Scheller. Lex. p XII. Opusc. T. II. p. 744.

Ibid. *Fuerunt, quibus in Luciano ornando nimis cunctatus videretur*] Conf. Vita Ruhnkenii p. 59. Multas ejusmodi querelas, ad locum modo laudatum pag. 65. de tarditate Hemsterhusii, attulit in Vitis Philologorum Harlesius, ductas partim ex J. M. Gesneri Thesauro Epistolico, a Klotzio edito Halae Sax. 1768 et 1770. T. II. p. 327 et 331. partim ex ejusdem Gesneri et Moshemii Epistolis amoebaeis, ab eodem editis Lipsiae 1770. p. 12, 19, 54, 69, 117, 122. E quibus, de toto hoc negotio Lucianeo iniquius scriptis, in primis autem ex

iis

iis quae leguntur p. 12 et 117, haud temere conjicias, Gesnerum inter, jam antea in Germania eumdem scriptorem edere aggressum, et Hemsterhusium in Belgio item factitantem, simile quoddam intercessisse mutuae aemulationis ac diffidentiae studium, quale postea, Callimachi et Xenophontis ornandi causa, Ernestum inter et Valckenaerium exstitisse constat. Ipsum quidem Ernestum, quamvis Gesneri amantissimum, longe aequius de Hemsterhusio judicasse, eique in Graecis literis principatum detulisse, auctor est Wyttenbachius in Vit. Ruhnk. p. 17. Ceterum posterior iste a Klotzio editus libellus, mihi cognitus indicio amicissimi Bossii, et lectu non injucundus est, et dignus qui ad historiam illius temporis literariam cognoscendam diligenter adhibeatur. Ipsius Hemsterhusii et Gesneri mutuas Epistolas servavit, ab Harlesio laudatus, J. N. Eyringius in Biographia J. M. Gesneri Academica Gottingensi, edita Goettingae a. 1769. Vol. III. p. 369 sqq. Alias, ut monuit nos Cl. M. Tydemannus, in lucem protulit Meuselius Horrei Parte VIII. Denique, memorantur quaedam in Collectione Epistolarum Tewateranâ, Catal. P. II. p. 11. N°. 29. p. 15. N°. 35. et p. 34. N°. 14. Quas omnes conjunctim repetere, itaque ad plurium notitiam prodere, profecto operae pretium sit.

Ibid. *Alterius — festinatione — hunc festinando perdidisse*] Reitzium significari, neminem fugit: et ipsum tamen fortasse excusandum ob nimiam Bibliopolarum festinationem, de qua ut publice in Praefat. ad Lucianum questus est, ita privatim in literis ab Eyringio allatis l. c. p. 403. Ipse quidem Eyringius p. 360 sqq. minus recte de Gesnero dictum acceperat. Vid. ad h. l. Harlesius.

Pag. 67.

Pag. 67. *Aristophanes*] Passim commemorantur Hemsterhusii emendationes et animadversiones ineditae, ab ejus discipulis Valckenaerio, Ruhnkenio, aliis: in Aristophanis quidem Scholiastam emendatio exstat in illius Diatr. Eurip. p. 131.

Ibid. *Oratores Attici*] Speciminis loco conferantur, quae attulimus ad Isocratis Areopag. p. 9 et 71.

Ibid. *Theocritus*] Vid Valckenaerii Praefatio ad Theocriti, Bionis et Moschi editionem, in cujus Var. Lect. passim memoratur T. H. i. e. Tib. Hemsterh. Animadversionum specimina jam antea Valckenaerius dederat ad Theocriti Decem Idyll. ed. alt. p. 94 sq. 17, 143, 175, 180, 183, 371, et fortasse aliis locis. Elegans in primis viri acutissimi emendatio, Idyllio VI, 11. σαίνει pro φαίνει legentis, memoratur et ad illum locum, et ad Eurip. Hippol. p. 256, 2, C. Alia in Euripidem, ibid. p. 224, 1, A.

Ibid. *Apollonius Rhodius*] Vid. Ruhnkenii Epist. Crit. II. p. 190 sq. sive Opuscul. T. II. p. 600, 601 sq. Ex alio genere sunt, quae protulit ibidem Ep. Cr. I. p. 68. et II. p 214: posteriore quidem loco ex Hemsterhusii *Schediasmate* inedito *de verborum formis Doricis Laconicis*, caet. Sed ubi de Mstis viri summi reliquiis agitur, quarum item mentio fit in Catal. Te Wat. l. c. p. 31, silentio non est praetereundum, quod a literatissimo sene M. Tydemanno accepimus, editurum eum aliquando fuisse Jamblichi partem posteriorem, sive Protrepticum: de quo, praeter Fabricium Biblioth. Graec. T. IV. p. 289, constat ex Actis Erud. Lips. a. 1710. p. 272. a. 1714. p. 47. a. 1715. p. 95.

Ibid.

Ibid. *Propertius*] Vid. supra ann. ad p. 23.

Ibid. *Manilius*] Exemplum exstat in Praefat. ad Scheller. p. VIII. Opusc. Ruhnk. T. II. p. 725.

P. 69. *Apologia*] Exquisitius, de *solemni defensione*. Cf. ad h. l. Lindem. et Add. Opusc. Ruhnk.

P. 70. *Superbiam maximis meritis quaesitam*] Horatius Carm. III, 30, 14. Vita Ruhnken. p. 153.

Ibid. *Quos nunquam legerat*] Fuit aliquando, qui scriptum mallet, *quos aut nunquam legerat*, *aut certe non intellexerat:* haud ineptum, profecto, si ita placuisset Ruhnkenio; nunc, cum aliter ei visum sit, non reponendum.

Ibid. *Ut in Latinorum proverbio est*, *spectante Roscio*, *gestum in scena ageret.*] Cicero de Orat. II, 57: *Quamquam soleo saepe mirari eorum impudentiam*, *qui agunt in scena gestum spectante Roscio.* Conf. Erasmi aliorumque Adagia p. 183 et 431.

P. 71. *Ille ne verbum quidem*] Quippe qui istorum ardelionum impudentiam silentio repudiare solebat. Vit. Ruhnken. p. 270.

P. 73. *Bentinckiis*, *Hemsterhusii virtutes intellexisse*] Conferatur Valckenaerii Dedicatio, Hippolyto Euripideo praemissa, ubi: *Vos*, inquit, *hominis sapientissimi merita cognovistis inter paucos.*

P. 74. *Biduum hilare sumturi*] Terentianum, ex Adelph. II, 4, 23. ubi vid. Bentlejus, jam Lindemanno laudatus.

Ibid. *Xenophon*, *nuntiata inter sacrificandum filii Grylli morte*, *luctum distulit*, *dum solemne sacrificium peregisset.*] Rem refert Plutarch. Consol.

Apoll.

Apoll. p. 118, F. ubi scriptorum locos notavit Wyttenbachius.

P. 75. *Lectiones*] ex vulgari loquendi consuetudine: Latine, *scholas*. Monuerunt Matthiaeus et Lindemannus. Sed vid. omnino Vavassor in Antibarb. sive de vi et usu verborum p. 558.

Ibid. *Credebat Epicharmo, nervos et artus prudentiae esse non temere credere*] Graece, Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. apud Stobaeum. Cf. Vita Ruhnk. p. 259.

P. 77. *Foederatorum Belgarum historiam nova et inusitata ratione tradere coepit*] Non tam aut confirmandis aut illustrandis iis, quae vere et perspicue scripsit Ruhnkenius, sed iisdem potius amplificandis et comparandis, juvat adscribere quae de eodem argumento tradidit scriptor Elogii Hemsterhusiani Gallici, de quo diximus supra. Sic igitur ille, agens de tempore quo adhuc Franequerae docebat Hemsterhusius: „ *En* 1738 *on joignit à la profession de Grec celle de l'Histoire de la Patrie. Ses leçons sur cette importante matière, sont un modèle qu'on admirera toujours, mais qu'on n'imitera que très difficilement. On y trouvoit en effet tout ce qu'on peut attendre d'un excellent Historien. Un style digne des plus beaux Siecles de la Latinité; une connoissance profonde des hommes, des affaires, de la politique; cet art séduisant, et si nécessaire de lier les faits, de les présenter de la façon la plus intéressante, une impartialité exacte, un amour dominant de la vertu, de la liberté, de la vérité, des réflexions toujours également justes et naturelles; une finesse, une sûreté de pinceau dans les portraits de ses principaux personnages qu'on ne surpassa jamais; une for-*

ce,

ce, une netteté d'expression, qui mettoit en quelque sorte sous les yeux les objets qu'il décrivoit, et qui devoit faire passer dans l'ame de ses Auditeurs tous les sentimens dont il étoit lui même animé." Aliter sese res habuit, edito Wagenarii Opere de Historia Patriae, ut patet ex Vita Ruhnken. p. 97.

AD BENTLEJI EPISTOLAS.

P. 81. *In recensendis foliis*] Rectius *chartis*, vel *plagulis*. Nam *folia* arborum sunt, quae Graeci φύλλα vocant: ut constat ex Horat. A. P. 60. comparato fonte Homerico il. Z, 146. Cum tamen antiquitus foliorum subinde in scribendo usus esset, unde dicta sunt *Sibyllae folia*, apud Virgil. Aen. III. 444. VI. 74. et Juvenal. Sat. VIII. 126. partim hac de causa, partim propter similitudinem, probanda videntur, de quibus apud Plinium Hist. Nat. XXXVII, 7. ex emendatione Harduini legitur, *chartarum folia:* non item simpliciter *folia*, pro *chartis* posita. Cf. ad h. l. Lindemannus.

P. 82. *Valorem*] Latine non dici de pretio, haud ignorans Bentlejus, hac ipsa de caussa prudenter addidit, *ut barbare dicam*. Vid. omnino Heusingerus Observ. Antib. p. 433.

P. 83. *Horatius*] Carminum I, 15, 31.

P. 84. *Quod libentius permutaret*] Fugit Lindemannum ratio, dicendum fuisse censentem, *se libentius permutare*, et partim confundentem διότι cum ὅτι, partim non attendentem ad vocem θαυμάζοντα. Verborum enim, in Pollucis loco laudato, Περσῖνον — θαυμάζοντα γράψαι διότι τὰς Φωκαΐδας — ἥδιον ἐν Μιτυλήνῃ μᾶλλον ἢ ἐν 'Αταρνεῖ καταλλάττει, non adeo

adeo sensus est, *Persinum — scripsisse*, *quod*, pro Accusativo cum Infinitivo, ut Latinitas postulat: sed potius, eum *admirabundum*, sive *admiratione captum*, *scripsisse*, *quod*, id est, quamobrem, qua de causa, unde fieret ut Phocaeenses nummos libentius Mitylenae, quam Atarneo, impenderet; quae erat admirationis ratio. Particula διότι, ut nonnunquam accidit, ad utrumque referri potest, et ad θαυμάζοντα, et ad γράψαι: sed magis ad θαυμάζοντα pertinet; quapropter etiam composito διότι, *propter quod*, *qua de causa*, maluit uti, quam simplici ὅτι, *quod*. — Ceterum, ad Pollucis verba quod attinet, Hemsterhusius, cui ante editum Pollucem priores hasce literas dedisse videtur Bentlejus, plane ita, ut hic voluit, edidit, si tamen θαυμάζοντα excipias, pro quo cum Kühnio dedit θαυμάζοντι, scil. Εὐβούλῳ, quamvis alterum in versione Latina secutus. Levius est, quod pro Ἀταρνείτου, ut hic legitur, Bentlejus, cujus autographa, in Bibliotheca Publica nostrâ servata, videnda nobis concessit doctissimi J. Geelii humanitas, scripserat Ἀταρνήτου: in editis est Ἀταρνίτου: utrumque item recte. Mox pro Latinis *Mitylenae*, *quam Atarneo*, Bentlejus festinante calamo scripserat *Mitylena — Atarneo:* utroque rectius *Mitylenae — Atarnei*.

P. 85. τετσυγέγραπται] Sic legitur in Hemsterhusii annot. ad Polluc. p. 1151, a, in f. Bentlejus diserte scripsit τεσσογέγραπται.

Ibid. *Quoad sensum*] Minus Latine dictum pro *quod ad*, vel *quod attinet ad sensum*, et alii notarunt, in quibus Lindem. ad h. l. et Schellerus Praec. Stil. Lat. P. II. C. 1. p. 564; et datâ operâ erudite ostendit Vorstius de Latin. merito susp. C. XXXII. p. 446 sqq.

sqq. simul monens de recto vocis usu pro *quamdiu*, *donec*, *quousque*; quo, ad similitudinem Graecae dictionis εἰς ὅσον, vel καθ' ὅσον, adverbii simul et praepositionis locum tenet; illius vim habente priore compositae vocis parte *quo*, hujus alterâ *ad*. Huc pertinet locus Ciceronis in Bruto c. 27: *quod vita suppeditavit*, i. e. quamdiu vixit, quamdiu per vitam licuit, εἰς ὅσον ἤρκεσεν ὁ βίος· ubi Ernestus mavult *quoad:* nec male; quamquam, ut ipse fatetur, eodem sensu intelligere licet *quod;* de quo conf. J. F. Gronovii Notae in Terentium, Oxonii primum editae a. 1741, pag. 34. item Baueri annot. ad Sanctii Minerv., T. I. p. 144. Addatur H. Stephanus Schediasm. Var. II, 8.

Ibid. Ποῖ δέ μ' ἄγεις] Pro μ'ἄγεις, Bentlejus dedit με ἄγεις, ut est in editis, et infra p. 91. in f.

P. 86. *Nullus dubito*] Non tantum Comicorum est, ut Lindemanno videtur, vocem *nullus* pro *non* usurpare: sed etiam Ciceronis et aliorum Scriptorum. Cicero ad Att. XI, 24: *Philotimus non modo nullus venit, sed ne per literas quidem, aut per nuncium certiorem facit me:* quae faciunt ad probandam Dukeri emendationem in simili Livii loco, XXXII, 35: *Philippus* (pro vulg. *Philippi*) *nullus usquam*, (scil. erat,) *nec nuntius ab eo veniebat.* Vid. Gronovius l. c. p. 152. Habet autem *nullus* eo sensu peculiarem emphasin; nec vulgo idem significat quod *non*, sed potius *plane non*, *omnino non:* quae vis manifesta est, cum in locis allatis, tum in aliis, ut in hoc Ciceronis de Offic. III, 14: *quod eos* (piscatores) *nullos videret*, i. e. plane nullos, ne unum quidem. De Senect. c. 22: *nolite arbitrari, me, cum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore*, i. e. nullo amplius loco fore, prorsus ad nihilum re-

redactum iri, eodem sensu quo Tusc. I, 38, *mortui* dicuntur *nulli*, i. e. qui nusquam amplius sunt. Quare quum apud Comicos reperiantur *nullus moneas*, Terent. Eun. II, 1, 10. *nullus dixeris*, Hec. I, 2, 3. *nullus creduas*, Plaut. Trin. III, 1, 5. alia, vel e Lexicis petenda, eaque ad familiaris sermonis similitudinem expressa; nulla, profecto, ratio prohibebat, quominus in familiaribus ad Hemsterhusium literis Bentlejus scriberet *nullus dubito*, pro, plane non dubito; praesertim cum plane nullam ei dubitandi causam fuisse, significent sequentia, *quin probe scias:* nec erat, cur elegans loquendi formula, etiamsi apud veteres non legatur, in dubium vocaretur aut a Lindemanno ad h. l. aut a Wolfio Anal. Lit. P. II. p. 438. aliisque.

P. 87. *Quod sic ipse tentas*, Καὶ ἡμῖν σκαφὴ 'στ' ὡς ἂν ἐν τῇ ποτὸν οἶνον ἐμοῦμεν.] Nempe in literis ad Bentlejum datis, quarum in hujus Ep. II. p. 98. mentio fit: nam in annot. ad Polluc. p. 1244, b. in f. paulo aliter dedit Hemsterhusius:

K. ἡ. σκάφη' στι, — ποτοῦ — ἐμῶμεν.

P. 88. *Haud contentus — persolvere*] Lindemanni reprehensio utrum totam dictionem spectet, an tantummodo vocem *contentus*, non liquet, nisi ei adhibeas Matthiaei notulam ad Eloq. Lat. Exempla p. 266. quem apparet, in Ernesti verbis *non contenta intellexisse*, constructionem voluisse Adjectivi *contentus* sequente Infinitivo, eique praetulisse alteram *non satis habens intellexisse.* Ac fateor sane, loquendi formulas *contentum esse* et *non satis habere*, quas constat utrasque et eodem sensu usurpari et inter se frequenter permutari, ita differre, ut altera plerumque Ablativum nominis, altera Infinitivum vel-

verbi post se habeat. De multis locis unum attulisse sufficiat, qui utriusque usus exemplum praebet, Ciceronis de Orat. III, 19: *si satis esse putatis, ea, quae isti scriptores artis docent, discere, — sed, si his contenti estis*, caet. Rarius est, nec tamen sine exemplo, ut post *contentum esse* Infinitivus, post *satis habere* Accusativus nominis vel pronominis sequatur. Posterius obtinet apud Nepotem in Epamin. IV, 5: *neque vero id satis habuit.* Prius, praeter Quinctilianum a Matthiaeo laudatum, Inst. Or. X, 2, 7: *contentum esse id consequi, quod imiteris;* docet Velleji Paterc. locus II, 112, 6: *invasere hostes, nec sustinuisse contenti.* Quorum ut non est Ciceroni aequiparanda auctoritas, ita non est nulla existimanda, nec temere repudianda dictio, quae, etsi alterâ longe rarioris usus, non modo nihil quod offendat habet, sed et certis in locis alteri fortasse praestat. Ruhnkenius quidem scribere non dubitavit in Orat. de Graec. Art. Inv. Opusc. T. I. p. 91: *nec contenti, illam philosophiam — felici partu edidisse:* quem locum idem Matthiaeus notare ausus est in Auctario annot. ad p. 371. Ceterum, praeter alios qui de his formulis egerunt, videri possunt Nizolii Thesaurus Ciceronianus, et A. Bosii Index in Corn. Nepotem, in primis ex egregia edit. J. M. Heusingeri, vocibus *contentus* et *satis*.

P. 88. *Elegantissimo Lucianei libelli munere*] Significantur Luciani Colloquia Selecta, quae cum Hemsterhusii animadversione prodierunt Amstelodami, 1708, formâ minimâ. Quo sane, in tanta quidem brevitate, exquisitae eruditionis pleno libello, tamquam specimen quoddam exstabat majoris, quae post triginta annorum intervallo amplius in lucem

cem exiit, Lucianorum Operum editionis. Sed de hoc Hemsterhusii labore vid. supra Elog. p. 49, 64 et 66.

Ibid. *Ut magis magisque in tuo aere sim*] Cicero Epist. ad Famil. XIII. 62: *semper sic in animo habui, te in meo aere esse*, caet. Locum laudavit Lindemannus.

Pag. 89. *Ac obstrictum*] Dicendum *atque*. *Ac* nunquam poni ante vocalem, et Ruhnkenius ad Muretum monuit, Opusc. T. II. p. 707. et Mahnius Epp. Sodal. Philom. p. 139.

Ibid. *Experieris, an — Codex ille huc evolare poterit*] Excusandum *poterit* pro *possit:* nam etsi vulgo pro *Indicativo* habetur, est potius Subjunctivus. Ab antiquo *eo*, Graecorum *ἔω*, unde *εἰμὶ*, exstitit olim Praeteritum perfectum *evi*, nunc obsoletum, ejusque Subjunctivus *everim*, cum eoque affinitate junctum Futurum, quod dici solet, exactum *evero*, frequenti usu contractum in *ero*, *eris*, *erit*. Revera ergo *poterit* vim habet *Subjunctivi*, quam postulat obliqua constructionis ratio. Nec tamen, fateor, talia temere juvenibus imitanda sunt. — Ceterum, non videtur Codex ille e claustris suis in Angliam evolare potuisse ad Bentlejum, qui in Praefat. ad Horat. p. 3, nil se vidisse dicat, nisi *varias lectiones, quas e Franekerano libro nescio quis exscripserat, verum pauculas tantum et leviore cura.* Quae fere similia sunt iis, quae hic ad Hemsterhusium scripsit. Versabatur autem tunc temporis Bentlejus in expoliendo Horatio, qui cum ejus commentariis primum in Anglia prodiit Cantabrigiae, anno 1711. biennio post emendatius repetitus est Amstelodami apud Wetstenios, editionem moderante Hemsterhu-

 sio,

sio, ut patuit nobis ex tertiis Bentleji ad hunc datis literis, quas a Viris eruditissimis, quibus Bibliothecae nostrae publicae cura commissa est, nobiscum benevole communicatas, nos item cum lectoribus nostris communicare operae pretium duximus. Sunt igitur hae:

CLARISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO

TIB. HEMSTERHUSIO

S. P. D.

RI. BENTLEIUS.

Gavisus sum, Vir doctissime, cum ex novissimis Wetsteinii literis intellexi, novam illam Flacci editionem, quam is praelo Batavo mox daturus est, tuae curae esse commissam. Quippe id mihi cum ex doctrina tua polliceri ausim, omnia proditura esse quam emendatissima, ut fortasse vestra illa editio vel cum Britannica nostra certare possit. Is tamen pro reliquorum Bibliopolarum more singulis literis novum quid ingerit et contra consilium meum et promissam fidem. Quale illud est, quod Notas meas non separatim edit, sed Poëtae Textui subjicit: in hoc tamen Burmannum, Relandum, Kusterum Teque ipsum auctores sibi esse narrat: quod si verum est, et ex animo id dicitis, cedo equidem invitus licet, et vinci me patior. Verum illud plane indignor, cum eosdem quos Cantabrigienses Typos habeat, iisque usus sit in Propertio, majoribus in Praefatione, minoribus in Notis; hîc in Flacci specimine majores eum adhibere qui nostris elegantia aliquantum, *minores qui* multum *cedant. Illud igitur te per amicitiam oro et obtestor, ut, si non Textum, at Notas saltem illis nitidioribus typis imprimendas esse cures. Illud vero ad-*

adhuc acerbius fero, statuisse ipsum nescio cujus Aveman (si recte lego) Indicem vocabulorum omnium Flacci Editioni meae subjungere. Qualis sit iste index, nescio. Treteri quidem usus sum, qui vilissimo pretio haberi potest: neque, si hic recudatur, avari Bibliopolae sumtibus votisve respondebit; quique plus mille locis corrigendus est, priusquam editioni nostrae aptari possit. At quorsum opus est isto mangonio et onere inutili? Non id egimus, ut priores omnes editiones de manibus hominum excuteremus. Cumque Index, si recte se habeat, ad Poematiων singulorum et versuum numerum instituatur; is, quocunque volumine jam feratur, tam meae quam cuivis alii editioni facile inservire potest. Veto igitur hoc et prohibeo, ne quicquam alieni meis assuatur: quod si ille obniti et mihi tamquam mortuo insultare meditetur; palam hîc denuntio, me in reliquis quae mox editurus sum nihil cum eo rei commerciive habiturum. Te igitur curatorem sponsoremque mihi assumo, ne talem mihi injuriam ignominiamque fieri patiaris. Recte vero auguratus es, vir amicissime, ad Carm. XIV. lib. II., me Heinsii patris infelicissimam conjecturam TETRAE nivis *ea notula tetigisse. Verum ea de re sic habe. Cum primum Notarum folium typographi stupore et incuria decem amplius mendis foedatum exiisset; visum est ex dignitate operis esse, ut folium illud ceteris omnibus absolutis recuderetur. Quo consilio semel sumto, recensui illud folium, atque in emendationibus majoris momenti fusior prolixiorque fui, quo pacto tres quatuorve Notulae et in iis Heinsianae conjecturae refutatio ejiciebantur. Vides itaque verba illa* ut ad carmen illud notavimus *delenda esse: cum in primo folio Notula illa contra*

Heinsium jam non compareat. Ceterum tu videbis, ne librum praelo subjiciat Wetsteinius, antequam exemplar a me habeat emendatum; quod primo tempore mittendum curabo, una cum singulis exemplaribus Burmanno, Relando, Perizonio, Kustero, Tibique donandis. Ea nitide compacta penes me jam habeo; verum qua via ad vos devehi possint, nondum reperi. Illud bene habet, quod chartam specimine hoc meliorem pollicetur Wetsteinius: tu tamen id cavebis, ne notâ Bibliopolis fallaciâ hic agat, ut pauca quidem chartâ nitidâ, plura vero exemplaria viliore et curtiore edat: mei enim honoris est, ut, quemadmodum in Editione Britannica, ita in vestra, una eademque charta, eaque optima adhibeatur. Atque hoc quidem promisit Wetsteinius; sed nisi te fidejussore et curatore parum ei fidei habeo. Vale, Vir Eruditissime, et me tui amantissimum amare perge. Kustero meo nomine salutem plurimam. Ei literas una cum dicto munusculo statim daturus sum.

Londini Februarii XXII *stilo vet.* MDCCXII.

Videbis notarum p. 227. me amici vestri (*) in manifesto errore deprehensi honorificam fecisse mentionem; cui si ille hanc gratiam rependat, ut Editionem nostram in opusculo suo semestri sugillet et dente livido rodat; eum antea rogatum et monitum velim, ut multum diuque secum verset, quam durum sit cum victore contendere. Praeterita facile condono, atque irae ejus et dolori ignosco. Haec tibi soli in aurem.

Jam vero juvat hisce Bentleji literis, ex alio Bibliothecae L. B. apographo, adjungere partem literarum, quas ad Bent-

(*) Jo. Clerici, *viri et ingenio et eruditione celebris,* ut ait Bentl. l. c. id est ad Horat. Serm. I. 1, 100.

Bentlejum valde juvenis dedit Hemsterhusius, in Manilio recensendo nonnihil ei operae pollicitus:

— *In Manilio castigatissime expoliendo jam pridem operam a Te collocari, diu est, quum laetissimus accepi: cui autem potius salutem poëta minime vulgaris debere velit, quam illi, qui cum literis reconditis arduam mathematum scientiam conjunxerit? Jam nuper adeo factum est, ut meas in manus inciderit ipsum illud exemplar, cui membranae Gemblacensis variationes J. Susius adscripsit: nullum aliud a Scaligero* (*) *fuit versatum: eodem postea fuit usus J. Fr. Gronovius, ut ex Obs. ejus libris* (†) *constat: accusans etiam Scaligeri fidem reticentis veterem lectionem, quod suam conjecturam plus justo amaret: nescio etiam, an pro beneficio minime spernendo dignam satis gratiam rependerit, vix tenuem ejus mentionem semel iterumque faciens, et silentio praeteritis insuper emendationibus, quas hoc ipso in libro Susius ante Scaligerum consignaverat. Hoc ego conciliatore, Vir summe, si Te adire non verecunder, intra veniam saltem peccaturum esse me confido: uteris autem hoc libro quantumcumque et quamdiu* (§) *voles: satis*

(*) Vid. Scaligeri Prolegom. in Manil. p. 6. Fabricii Biblioth. Lat. I. 18. Vol. I. p. 295.

(†) Vid. praeter alia loca, Obs. I, 6: „*Ut pulcherrime*, inquit, *Gemblacensis, et miror a Scaligero id silentio spretum.*"

(§) Hinc est quod in Manilii Bentlejani, a. 1739 editi, Praef. legitur p. XIV. „*Bentlejum Gemblacensem Codicem per aliquod tempus penes se habuisse, et ad editionem Scaligeri posteriorem ipsum bis exegisse.*" Ceterum, si versum

tis erit ad me si redeat, quum tuo arbitratu, quicquid ad Manilium conferre potest, modo quid ullam in partem prodesse possit, exhauseris. Nunc evenire mihi sentio, quod illis solet, qui semel ruborem deposuerunt; repente nimirum ad audaciam descendunt, vitioque contrario prioris modestiae gratiam exstinguunt. Ecce enim, vix aditu primo patefacto, ultro irrumpo, teque de mea quadam in initio Manilii emendatione consulere animum induco: qua quidem in re ut humanitatis tuae pristinae fiducia peccare mihi liceat, vehementer a Te peto. Taceo v. 5. videri mihi legendum In viridi nutantis v. sylvas, *quemadmodum ex Ennio profertur* Capitibus nutanteis pinos. *et v.* 7. Huc mihi tu Caesar .... Das animum *pro* ad hoc, *ut* viresque facis AD tanta canenda: *neque placere mihi Scaligerum, qui v.* 12 *contemserit scripturam Gembl.* Et cupit aethereos p. c. p. sensus. *Versus* 20 *et* 21. *hunc in modum refingere conabar* (*). *Si vera est emendatio, Tibi jam dudum fuerit perspecta; sin minus, primus abjiciam, atque amicos, quibus haud inepte conjectasse sum visus, sententiae mutatae admonebo. Utinam quod proverbio fertur, audaces fortunam juvare, vere dici experimento domestico nunc discerem: quanquam si Tu mihi propitius annueris, quicquid fortunae debere videri poteram, in tuam humanitatem transscribam.* —

Mittimus reliqua hujus Epistolae, Lucianum spectantia, brevi, ut speramus, Geelii nostri operâ in lucem proditura.

P. 89.

sum 12 excipias, nullam habuit Hemsterhusii rationem, cujus quae fuerit vss. 20 et 21. emendatio, silente literarum apographo, plane ignoramus.

(*) Desideratur hic Hemsterh. emendatio.

P. 89. *Gratias — referemus*] Vere, post Lagomarsinum, monuit Ruhnkenius Praef. ad Scheller. Opusc. T. II. p. 729. Latinos semper dicere, *gratias agere*, at *gratiam referre*, *gratiam habere*, nisi si quando *referre* aut *habere* cum *agere* conjungantur, ut apud Cicer. Philipp. III, 10, *maximas gratias et agere et habere* : et Plancus ad Ciceronem, Ep. ad Div. X, 11, scripsit: *Immortales* ago *tibi* gratias, agam*que dum vivam; nam* relaturum *me*, *affirmare non possum.* Vere ergo Lindemannus rarissimum judicavit. Ac poterat etiam notare, quod supra p. 18 legitur, *grates persolvere*, Virgilianum ex Aen. II, 573, ac poëtarum magis, ut videtur, proprium, quam solutae orationis scriptorum. Cf. in primis L. Valla Eleg. V, 41. cujus locum mihi suppeditavit eruditissimus Bossius.

Ibid. *Quae subinde adducuntur*] Praestat *afferuntur*, *apponuntur.* Monuit etiam Lindemannus, auctore Ruhnkenio ad Muretum, sive Opusc. T. II. p. 750. ubi vid. quae diximus.

P. 90. *τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ clariora*] Proverbiale : Vid. A. Schottus Proverb. e Suida Cent. II. 2, p. 348. Erasmus Adag. p. 248 et 250. Alia veterum loca Lindemannus attulit.

P. 92. Ἐκ τῆς ἀγορᾶς ὀρθὰ] ὀρθὸν rescripsit Lindemannus, e Polluce, et Epist. priore, supra p. 86. nec aliter est in Bentleji autographo.

P. 93. *τί μ' ὦ πόνηρ' ἐξορίζεις ὥσπερ κλιντήριον*] Facilis est Lindemanni emendatio:

Τί δ' ὦ πόνηρέ μ' ἐξορίζεις ὡσπερεὶ
Κλιντήριον ——

Ibid. *Sect.* 42. Πολλὰς δ' ἐγὼ] Corrigendum, tam ex editis, quam ex autographo: *Sect.* 43, Πολλοὺς ἐγώ.

P. 94.

P. 94. Λουτηριοῖσιν] Ex iisdem fontibus rescribendum Λουτηρίοισιν.

Ibid. περοσλαβὼν] Vitium operarum, e priore Ed. utraque male repetitum, in sua sustulit Lindemannus, corrigens προσλαβών. Nec aliter scripserat Bentlejus.

P. 95. *Sollemniter delirat*] Horatianum, Ep. I, 1, 101: *Insanire putas solemnia me neque rides.* Locum attulit Lindem.

P. 96. Λινᾶ δὲ σπεῖρα] Bentlejum sic laudantem jure miratur ad Hephaest. p. 218. not. *p.* Cl. Gaisford. Hermannus quoque, Elem. Doctr. Metr. II. 14, 18. p. 123. alteram praetulisse videtur emendationem, λινᾶ δὲ γεῖσσα. Recte adeo monuit Lindemannus, δὲ ante σπεῖρα corripi non posse: minus recte vero idem, h. l. significans, in Indice posuit: „*Bentlejus ignorat legem Graecae prosodiae.*" Quo, profecto, impudentissimo dicto ignorare sese ostendit, quid deceat: nam, ut humani quid passus fuerit Bentlejus, omnino modestius pronuntiandum erat de tanto Viro, qui *omnium* μετρικώτατος verissime dicitur Wyttenbachio Biblioth. Crit. P. XI. p. XI. Sed nimirum iste mos est talium reprehensorum: umbratici illius Doctoris instar, *erigunt tribunal Scioppiano isti simile, ad quod summi viri, si forte in vocula syllabave lapsi sint, obtorto collo rapiantur.* Vid. Opusc. Ruhnken. T. I. p. 121. et cf. Epp. Sodal. Philom. p. 38 et 42.

P. 98. εἰτοδιλονιων] Corrigendum ἐντοδιλονίων, tam ex autogr. et annot. ad Polluc., quam ex Ep. I. supra p. 87.

Ibid. *Metricam*] Graece, μετρικὴν, scripserat Bentlejus, ut modo ante „ ἄμετρον et ἄμουσον." *Ars metrica*, recte dicitur: non item, *oratio metri-*

ca

ca pro *ligata*, judice H. Stephano de Abusu Linguae Graecae p. CXL. Monuit me Bossius meus.

Ibid. Κἄμῖν] Saltem χ' ἡμῖν scribendum, ait Lindemannus: recte, propter aspirationem.

P. 99. Χρίεσθαι] E Polluce scribendum χρῆσθαι judicabat Lindemannus: sed Bentlejus, ut ex ipsius autographo constat, scripserat χρεῖσθαι, quod eo loco habent nonnulli Codices.

P. 100. Ὁ κάνης δὲ κ. τ. λ. — Καὶ κάνης — Ὁ κάνης — ubi κάνης] Tribus prioribus locis in autographo diserte legitur κανῆς, posteriore κανὴς.

Ibid. ἀριστήσειν] Reponatur vera Codicis lectio ἀριστῆσιν, cum ex autogr. tum ex annot. ad Polluc. S. 68. p. 1263, b, in f.

P. 101. Σόφαις] Recte Σοφαῖς rescripsit Lindem. Mox pro λεπτ', ex autographo rescribe λέπτ', propter apostrophum.

P. 102. *Cum tuo* πευσίδ.] Corrige πευσίδ'. Fraudi fuit Lindemanno elegans usus praepositionis *cum*, de quo Ruhnken. ad Terent. Andr. V. 4, 39. Cf. ejusdem Opusc. T. II. p. 720. et Vita, p. 251. Ceterum, e Bentleji emendationibus probat alteram, σπεύδουσι δέ: de omissa σ ante π, et de nota compendiosa syllabae συς, laudatâ Bastii Ep. Crit. p. 921 et 777.

Ibid. *Sect.* 105. — Ἐπέδωκεν] In autogr. et in editis legitur, abjecta ν, Ἐπέδωκε.

P. 103. προιεμένον] Corrige, προϊέμενον, ex autogr. et ex editis.

P. 104. *Horatii*] Carm. I, 18, 1.

Ibid. Στᾶθι κἄντι φίλος κ. τ. λ.] Utrumque versum, tam hunc, quam sequentem Κατθανοῖσα δὲ κ. τ. λ. ex Bentleji emendatione attulit Cl. Gaisford. ad Hephaest. p. 310. laudatus Lindemanno, praeter-

terea docenti, priore loco verba *καὶ τὰν ἐπ' ὄσσ'* (utpote ex Comicorum licentia) jambicam dipodiam esse, ex Hermanni Elem. Doctr. Metr. p. 421 sq.

Ibid. Προϊέμενον] Corrige, ut supra, *προϊέμενον.*

P. 105. *ὅπεραν*] Corrige *ὅπεραγ*, ex autogr. et modo allata Codd. lectione, *ὅπερ ἀγχίλιον.*

Ibid. *Factum*] Bentleji manus dederat *facturum*, quod reponendum: ut mox *adlaturum.*

P. 106. Οἱ περὶ Ἔραστον — Σαρκοφάγου λίθου. Ὁ δὲ Φερεκράτης.] Post *λίθου*, operarum errore exciderunt nonnulla, ex autographo et edito Polluce sic supplenda: „ λίθου. καὶ ἐπάγουσι περὶ τοῦ αὐτοῦ λέγοντες, ὁρῶ ὅγε Φερεκράτης. Corrige, λέγοντες Σορόν. Ὁ δὲ Φερ. κ. τ. λ."

P. 106. *Saepe hoc sensu veniunt apud nostrum*] Latine, *hoc sensu leguntur*, *inveniuntur*, monente etiam Lindemanno. Praeterea minus recte Pollucem simpliciter vocavit *nostrum.* Rectius alio sensu supra p. 90: *noster Kusterus*, ut Ruhnken. in Elog. p. 18: *Hemsterhusius noster*, i. e. amicus, familiaris noster, ut diximus in Add. Opusc. p. 1023. Perperam positum *noster* Biblioth. Crit. P. II. p. 121. cum *Tyrwhitti* nomine commutari jussit Wyttenb. in Corrigendis ad calcem Partis XII.

Ibid. *οὐ δῆτ' ἀλλ'*] Autogr. *οὐ δῆτ', ἀλλ'.*

P. 107. Μακαριοῦσ' ἐμέ] Unice probandum, cum Lindemanno.

Ibid. *Apud Atticos occurrit*] *Verbum*, *sententia*, *locus occurrit apud scriptorem*, pro *invenitur*, *legitur*, non dicere Latinos, judicat Matthiaeus ad Eloq. Lat. Ex. p. 60. quem sequitur Lindemannus. Quae reprehensio, ut vera sit, de quo nondum statuere audemus, certe non cadit in illum a

Mat-

Matthiaeo notatum Mureti locum, qui est ed. Ruhnk. T. I. p. 139: *quae eorum commentarios legentibus passim occurrunt*, id est, offeruntur, obviam veniunt. Ruhnkenius quidem in Orat. de Doct. Umbr. Opusc. T. I. p. 125. verbum *occurrere* eo sensu usurpare non dubitavit, quamvis propterea eidem censori notatus p. 394. Ceterum, aliud est, quod infra p. 112. scripsit Bentlejus: *videbimus — an — aliquid nobis occurrat*, i. e. in mentem veniat, *quod doctissimos editores fugerit*. Quo sensu, sine dubio, probum est.

P. 108. *et illud tuum κοινὴν*] Ex autographo emendandum: *at* caet.

P. 112. *Rationem consilii tui nondum perspicio. Quis enim, caet.*] Quid consilii Hemsterhusio fuerit, de Polluce ταῖς δευτέραις φροντίσιν ornando, nunc novimus ex Ruhnkenii ad Ernest. Ep. Opusc. T. II. p. 844: „*Is*, inquit, *parum contentus juvenilibus in Pollucem curis, ingentem in hunc Grammaticum scripsit commentarium, separatim edendum, in quem omnes eruditionis suae thesauros profudit. Cui etsi nihil ad perfectionem absolutionemque deest, tamen is manum de tabula tollere nescit.*" De quo Commentario quae diximus in Addendis p. 1026. iis nunc addimus, illum non exstare in Bibliotheca Publica Lugduno-Batava: exstat ibi Pollucis exemplar, satis ubera animadversionum, Hemsterhusii manu marginibus adscriptarum, segete locupletatum; unde, quod valde dolemus, tanti tam pretiosi thesauri jactura non nisi parva ex parte compensari poterit.

AN-

ANNOTATIO

AD

VITAM RUHNKENII.

PRAEF. P. IV. *Dixi de adolescentia Ruhnkenii in exemplum proposita adolescentibus Batavis bonarum Literarum studiosis:*] De hac a se habita quidem, sed nunquam edita Oratione, quae ipse scripsit Wyttenbachius, conferenda sunt cum G. L. Mahnii, Viri Clariss., Vita Wyttenbachii p. 164.

Ibid. P. VII. *Mense Octobre*] Pro *Octobre* dicendum esse *Octobri*, auctoritate Prisciani VII, 12. contendit Lindemannus, ut ad h. l. ita infra ad p. 19 et 189. Eadem ratione G. J. Vossius, Grammat. Lat. p. 92, nomina mensium in *er* ad ea retulit, quae, ut Adjectiva neutrum in *e* facientia, unam tantum habeant Ablativorum terminationem *i*. Aliter Sanctius, Minervae II, 7, quâ ratione ab *imber* fit *imbre* vel *imbri*, eâdem illis communem tribuit terminationem *e* vel *i*. Et recte quidem hic, si sola spectetur analogia: non item, si usus loquendi; quo factum videtur, ut in talibus Ablativorum terminatio *i* praevaleret alteri *e*; ne videlicet confunderetur cum Adjectivorum neutrius generis Nominativo et Accusativo eâdem vocali *e* desinentibus: revera enim Adjectiva esse nomina mensium, satis constat.

stat. Ergo ut de Prisciani admonitione dicendum videtur, *Octobri* potius quam *Octobre*; ita tamen alterum per se non est vituperandum. Ceterum in eo erravit Sanctius, quod composita nomina putavit, cum sint simplicia aucta terminatione *ber*: ut a *septem* fit *September*; ab *octo*, *October*; a *novem*, *November*, cet. quem errorem correxit ad illum locum Perizonius.

Vit. Pag. 2. *Cum ubique, tum praesertim in nostra Batavia*] Quamvis conjunctio *praesertim* vi ac potestate saepissime conveniat cum Graecorum dictionibus καὶ ταῦτα, ἄλλως τε et ἄλλως τε καὶ, ut ad Vigerum de Idiot. L. Gr. docuit Hoogeveenius p. 182 et 379; haud scio tamen an, cum Lindemanno, eadem illi *ubique* tribuenda sit significatio, ideoque reprehendendi qui illam, ut hoc aliisque locis Wyttenbachius, simpliciter pro *maxime*, *praecipue*, *in primis*, cet. aut revera usurpent, aut saltem usurpare videantur: nam illud quidem de locis Praefat. p. III. et annot. ad p. 27. a censore notatis, non facile nec in universum concesserim. *Cum — tum praecipue*, quod hic voluit Lindemannus, infra habet Wyttenb. p. 26. Ciceronis est, *cum — tum in primis*, ad Div. I, 7. XIII, 54. item *cum — tum maxime*, Brut. c. 2. Cujus cur imitanda proponatur consuetudo, video: non item, cur non liceat alias, pro diversa aliorum locorum ratione, passim adhibere particulas, cum illas, de quibus hic agitur, *praesertim*, *praecipue*, tum has, *potissimum*, *maximopere*, alias. Nec repugnare videtur analogia, quâ ut ab *exsero* fit *exsertim*, et ab *insero insertim*, sic a *prae* et *sero*, unde *series*, fit *praesertim*, id est, *prae serie*, *ante seriem*, *primum in serie*, sive *in prima serie*, ergo *in primis*, *primo ac praecipuo lo-*

eo, *praecipue*. Cf. Vossii Etym. V. *Sero*. Majorem certe, quam vulgarium censorum, auctoritatem desidero, ac potius talem, qualem Ernesto, Ruhnkenio, Wyttenbachio, similibusque Literarum Latinarum principibus viris jure tribuere solemus.

P. 3. *Doctoris lumen — amici fidem — familiaris jucunditatem — vitae suavitatem*] Exquisitum vocabulorum delectum h. l. tirones velim animadvertant: nam ita demum vera orationis exsistit *elegantia*, si suo quaeque loco maxime propria ponantur verba, atque ita sibi invicem singula respondeant, ut quae substituas iis, *alia* reperire queas; *meliora*, nequeas. Sed de orationis elegantia dedita opera disputare, nec hujus loci est: et post ea quae bene recteque ab Ernesto, Schellero, aliisque passim disputata sunt, supervacuum videatur.

Ibid. *Suavissima et filiae instar dilecta neptis — domi meae exstinguitur.*] Qui casus quam vehementer Wyttenbachium perculerit, non ex hoc tantum loco apparet, sed etiam ex ejus Parentalibus Philom. L. III. p. 230, seu Opusc. Wytt. T. II. p. 346. Cf. et Vita Wyttenbachii p. 163. *Nepotem* et *neptem*, de filio filiave ex sorore, aureae aetati abjudicat Sciopp. de Stilo Hist. p. 157.

Ibid. *Qui casus — et sua me gravitate — perculit, et ad Ruhnkenii luctum renovavit*] Non facile dici *aliquem*, sed potius *alicujus mentem animumve ad luctum renovare*, contendit Lindemannus, allato loco Ciceronis de Orat. II, 48. ubi legitur *animos equitum Romanorum ad Q. Caepionis odium renovare.* Quae, etsi justa habeatur reprehensio, de quo nos quidem nondum statuere audemus, certe non cadit in haec Wyttenbachii verba, ubi rarior dictio *et*

(me)

(me) *ad R. luctum renovavit* excusationem habet propter praecedentem frequentiorem *et sua me gr. perculit:* nam quin *casus aliquem percellere* recte dicatur, nemo dubitat. Jam vero in tali orationis structura saepe fieri, ut de duobus diversae proprietatis ac potestatis verbis cum altero magis, quam cum altero, conveniat sequens nomen, constat inter omnes qui in optimis veterum scriptis non plane hospites sunt.

P. 4. *Ut temporis medicinam — ratione repraesentemus.*] Id est, ut doloris medicinam, in temporis diuturnitate, optimo malorum levamine, positam, a recente luctu *absentem*, ratione ac cogitatione jam *praesentem* veluti *fingamus* nobis ac faciamus. Cf. supra Praef. p. v. Atque hoc sensu Latinis proprie dicitur *repraesentare.* Vid. Cicero ad Div. V, 16, quem locum ob oculos habuit Wyttenbachius.

P. 5. *Nisi apte, accommodate, et aeque, at juste, debite, pieque*] Et h. l. attendatur singularum vocum delectus et contraria significatio: e quibus adverbium *debite*, quo veteres usi non esse videntur, merito ab analogia defendit Lindemannus, alioquin in talibus difficilior.

Ibid. *D. R. natus est postridie Calendas Januar. anno hujus seculi vicesimo tertio*] De quo constitit Wyttenbachio ex Ruhnkenii ad eum scriptis literis, infra allatis p. 202. Cf. et ipsius, de vita sua brevis Notatio ad Hakenium, Opusc. Ruhnk. T. II. p. 896 sqq.

P. 6. *Parentes, cet.*] De parentibus ipse suis obiter Ruhnkenius l. c. et in literis ad Ritterum, Opusc. T. II. p. 867: *Equidem*, inquit, *matre natus Lutherana, at patre reformato, ex quo in Belgium veni, patris monitis adductus, paternum*

exemplum secutus sum: *cet.* Cf. et Ep. ad Wilpium, ibid. p. 872.

Ibid. *Sculteti*, *quod est praetoris rusticani*] Vid. Ducangii Glossarium Med. et Inf. Latinitatis, voce *Scultetus*, ceteroquin diversae plane originis, ac probe secernenda a Belgico *schout*, de quo egit Bilderdykius noster, Vir Celeb., in Lexico vernaculo Nominum Substantivorum.

P. 7. *Indoles*, *studium*, *via*] Id est, ingenium, exercitatio, doctrinae ratio; quae tria discentibus adesse debent; Graecis dicta φύσις, μελέτη, ἐπιστήμη, item φύσις, ἄσκησις, λόγος. Vid. Ep. ad Boschium Bibl. Crit. P. XI. p. XIII sq. Opusc. Wytt. T. II. p. 51. Ciceronis Orat. pro Archia Poëta C. 1. ibique Netscheri Disputatio p. 20. *Viam et rationem* vulgo minus Latine vocant *methodum*: quod vitium ex Gallorum recentiorum potius, quam ex Graecorum veterum consuetudine fluxisse videtur, quamquam et hi sic suum μέθοδον usurparunt. Ceterum et in toto hoc loco probe tenenda est singulorum vocabulorum vis ac potestas.

Ejusque (studii) *excitandi* — *non facultatem*, *sed felicitatem*] Elegans observetur, *facultatis* et *felicitatis*, παρονομασία sive *agnominatio*, cui similes aliae passim infra recurrent. Cf. Mahnii Epicr. Bibl. Crit. p. 37 sq. et 65 sq. Hanc autem sibi facultatem defuisse fatetur Wyttenbachius l. c. p. XVI sq. sive 54 sq. modestius ille quidem, quam verius.

P. 8. *Summa imis miscet*] Proverbiale, ductum de Graeco ἄνω κάτω, de quo ad Platonis Scholiastam multa Ruhnkenius congessit, non item elaboravit. Vid. Supplem. Fragment. Opusc. T. II. p. 1011. ibique laudatus Bakius V. Cl. ad Cleomedis Cycl.

Theor.

Theor. p. 381. Nec dissimile est, quamquam in alia re dictum, Horatianum illud Epp. I, 2, 100: *mutat quadrata rotundis*.

P. 8. *Multesimo*] Lucretianum esse, ex L. VI, 651, jam a Nonio p. 136 enotatum, monuit Lindemannus. Significat vel minimam, quae cogitatione fingi possit, partem, idem quod infra *vel levissimum momentum* dicitur.

Ibid. *Prouti in libra, cet. — Sic ingenia, cet.*] Lindemanni admonitio, *prout* nunquam significare *ut* vel *sicut*, licet vera sit, opportuna certe non est, nec ad h. l. accommodata. Non similitudinem tantum, sed similiter comparatam dissimilium rerum, librae et ingenii, rationem, declarare voluit Wyttenbachius. Sensus est: ad eam rationem qua in libra, cet. — non aliâ ingenia, cet. nec simplex *ut* postulat, sed multo magis compositum *prout*, quod sic sequente *ita* legitur apud Plinium Hist. Nat. V, 9. et XXVIII, 2. locis vel a Schellero laudatis in Lexico, voce *Prout*. Idem valet de duobus aliis locis, item a censore notatis, infra p. 55 et 233. Porro, mox notetur significationis proprietas in verbis *concipiunt in se ipsis — extrinsecus suscipiunt*.

P. 9. *Ob divinitatis opinionem, enthusiasmi nomine celebratus est.*] Graecis ἐνθουσιασμὸς dicitur, et verbum ἐνθουσιάζεσθαι, a nomine θεὸς, *deus*, de iis *in* quibus, ut ait poëta, *est Deus*. Frequens est apud Platonem, a quo item vocatur θεία ἐπίπνοια, *divinus afflatus*, *impulsus*, *divina inspiratio*, de Republ. L. VI. p. 499. Hinc etiam explicanda *insania* illa, sive *furor*, sine quo magnum poëtam exsistere posse negavit Democritus, cujus dictum supra significavimus: et huc pertinet veterum placitum, de

 quo

quo scribit infra Wyttenbachius p. 19. Est autem hic *verus enthusiasmus*, quem nulla arte accepimus aut didicimus, sed ab ipsa natura hausimus et arripuimus; probe secernendus a *falso*, quem multi oriri ajunt ex vanis magistellorum acclamationibus, quovis loco crepantium: *En! quam pulcrum! quam venustum! quam elegans!* Hunc aliis locis notavit Wyttenbachius, infra p. 161. Praefat. ad Phaedon. p. VI. sive Opusc. V. II. p. 89. Biblioth. Crit. P. IV. p. 87 sqq. Cf. Vita Wyttenb. p. 21.

P. 10. *Ad nascendum eliciant — nascens juvent — natum alant*] Et hîc singulorum verborum, sibi invicem respondentium, teneatur proprietas ac significatio, cum eleganti gradatione conjuncta.

Ibid. *Mox*] Fuit hoc, ut videtur, XVI. aetatis anno: vid. quae ad pag. seq. dicenda erunt.

P. 11. *Sed Kantium, cet. — celebratur.*] Est hic unus de tribus illis Vitae Ruhnkenii locis, quibus suam de Kantiana ratione sententiam primum, quantum novimus, publice professus est Wyttenbachius, idoneus, si quisquam alius, harum rerum existimator, quique jam per sedecim annorum spatium Logicam et Metaphysicam aliasque Philosophiae partes in illustri Amstelodamensium Athenaeo tradidisset. Alter locus est infra, p. 61: tertius, p. 111. His denique quartus etiam accedere potest, qui sequitur mox p. 16. ubi universe de philosophia disserens, quid de Kantii disciplina sentiret, quamvis ipso non nominato, haud obscure tamen significavit. Quos locos, non modo elegantissime, sed etiam verissime scriptos, quam aequo animo in ipsa Germania, Philosophiae Kantianae patria, tulerint cum alii, tum vero in primis ipse Kantius, cui exemplum libri

au-

auctor dono miserat, satis superque constat ex iis quae per amicum Rinckium perhumaniter rescripsit Wyttenbachio, ut hic ipse refert in Epist. ad Lyndenum Biblioth. Crit. P. XII. p. LX. Opusc. T. II. p. 201. Alia plane res fuit in Patria nostra, ubi quot quamque acerbas hi loci lites moverint, quantumque et molestiarum et injuriarum Wyttenbachio creaverit inepta quorumdam ac stulta loquacitas, et norunt omnes, et mecum, ipsius ac bonarum Literarum causa, dolent studiorum humanitatis amantes. Sed confutatis sua ipsarum absurditate malevolentiae criminationibus, et obtuso, ut speramus, post optimi Viri obitum, invidiae dente, praestat silentii nocte oppressas lites tacere, quam importuna narratione resuscitare. Legere possunt, qui uberiorem earum notitiam desiderant, fusius relata in Praefatione ad Epistolas Sodalium Philomathiae: unde supplenda sunt obiter scripta in Vita Wyttenbachii p. 190.

P. 11. *Ut cum poëta loquar*] Id est, *ut ipsis poëtae verbis utar*; si quidem Callimachei loci, in annotatione subjecta appositi, sententiam ita expressit Wyttenbachius, ut dictionis formam et habitum simul spectaret: quo sensu recte dicitur *cum aliquo loqui*. Similis est ratio alterius loci p. 30. ubi *ut cum Tullio* inquit *loquar*, adscriptis ipsis Ciceronis verbis. Nec abhorret illud apud Gellium *cum Euandri matre loqui*, de iis qui obsoletis vocabulorum dictionumque formis delectabantur, quo item usus est Ruhnkenius Opuscul. T. I. p. 131. et T. II. p. 652. Alioquin vulgo barbare dicitur *cum aliquo loqui*, *dicere*, *exclamare*, cet. ubi simpliciter significatur datus alterius sententiae assensus; quem errorem, post Wyttenbachii animadversionem in Catharsio, Philom.

L. I. p. 92 et 99., erudite confutavit Cl. Mahnius ad Epp. Sodal. Philom. p. 270.

P. 11. *Decursis Collegii Fridericiani spatiis — duodeviginti annos natus, cet.*] Ipse Ruhnkenius in literis Opusc. T. II. p. 872: „Annum agens" inquit, „*sextum decimum*, patria valere jussa, in ce„ leberrimas Germaniae Academias me contuli, ibi„ que *per quadriennium, et quod excurrit* — sum „ versatus." Quae ne quis cum Wyttenbachii narratione pugnare suspicatus, ut hîc pro *duodeviginti* corrigendum censeat *sedecim*, sic infra p. 14. pro *duos annos* reponendum *quatuor annos*; potius statuendum est, Ruhnkenium aetatis anno *sexto decimo* in Collegium Fridericianum delatum, decursa ibi *biennii* spatia annumeravisse studiis Academicis, quibus per *alterum biennium* Wittebergae operam dedisset. Quae ratio unice vera videtur ideo, quod ex Narrat. ad Haken. missa Opusc. T. II. p. 897. certo constat, Ruhnkenium decursis a. 1741 ejus, quod diximus, Collegii spatiis, Wittebergam primum se contulisse, deinde autem a. 1744. Lugduno-Batavum profectum esse. Atqui natus erat Ruhnkenius a. 1723. Ergo non XVI, sed XVIII annum agens, maturus fuit Academiae scholis: nec *quatuor* ibi annos, sed *duos*, aut fortasse *tribus paulo brevius intervallum*, transegit. Ita ut Wyttenbachianae relationi sua plane constet et ratio et veritas. Cf. Praefat. Opusc. Ruhnk. p. VI sq.

P. 12. *In praesentiarum*] Formula justo durius, ut videtur, a Lindemanno aliisque habita, si quidem apud bonos scriptores Nepotem ac Tacitum reperitur. Sit ita, eam ortam esse ex pleniore dictione *in praesentia rerum*; itane propterea suspecta esse debet,

bet, nec potius loquendi usui, quem penes in talibus arbitrium est, tribuenda? Fateor usitatiorem esse alteram *in praesentia*, compluribus Ciceronis locis: sed hinc non sequitur priorem illam plane repudiandam esse: imo potius ambae ex eodem fonte *in praesentia rerum* fluxisse videntur, altera per contractionem, altera per ellipsin.

Pag. 12. *Nam illa aetate — Graecae Literae pars Orientalium habebantur*] Communi utrisque *Philologiae* nomine. Conf. Vita Wyttenb. p. 33. Et nonnullis quidem in locis diu postea, atque ad nostra adeo usque tempora, eadem invaluit consuetudo.

Ibid. *Proficiscitur — ut se conferret, et — inviseret*] Rectissime ad h. l. Lindemannus: „ Animad„ verte, " inquit, „ temporum consecutionem, „ quam vocant Grammatici. *Praesenti* subjungitur (potius scripsisset *subjicitur*, *additur:* cf. Ruhnken. ad Muret. Opusc. T. II. p. 761.) *imper„ fectum*, recte h. l., quia *praesens historicum vi „ praeteriti* ponitur." Eadem est plurium locorum ratio; ex gr. p. 13: *ipse abitum — differre — nec tamen audere, ne — videretur : illi, ut maneret, optare, nec tamen suadere velle id quod — suaderi non posset*. ubi insuper tirones teneant usum Infinitivi pro Perfecto vel Imperfecto, historici stili et proprium et frequentem. Vid. alia infra p. 112 et 113. et conf. supra disputata ad Elog. Hemst. p. 35.

P. 13. *Duo — praestantes doctrina viri, Jo. Daniel Ritterus — et Jo. Guilielmus Bergerus*] De quibus si quis uberius cognoscere cupiat, Ritteri Elogium scripsit B. G. L. Bodenus, Viteb. 1775. forma quarta. Vid. Saxii, V. Cl., Onomast. Liter. P. VI. p. 486. De Bergero agitur ibid. p. 599. Il-

 lum

lum autem, ut antea *Juris Veteris et Historiae omnis*, omnium, qui uspiam sunt *doctissimum* dixerat Wyttenbach. Bibl. Crit. P. I. p. 11. ita hîc *Juris Historiaeque omnis peritissimum*: et merito quidem, si vere scripsit Ruhnken. Opusc. T. II. p. 780, Batavos ei *principatum inter Germanos Jurisprudentiae* detulisse.

P. 14. *Libello ad publicam disceptationem proposito, De Galla Placidia Augusta.*] De quo vid. quae diximus in Praefat. Opusc. Ruhnk. p. VII.

Ibid. *Ut nullam earum* (*institutionum*) *partem praeterfluere sineret*] Quod hic *praeterfluere* Wyttenbachius, in simili caussa *effluere* dixit Mahnius V. Cl. in elegantissime scripto Dialogo Critone, sive de Literarum in primis Latinarum studio recte colendo, edito Zierizeae, a. 1816. Vid. ibi p. 50. et cf. Mureti locus allatus in annot. p. 113.

Ibid. *Latinae orationis puritatem*] Poterat etiam scribere *Lat. or. castitatem*, vel et simpliciter *Latinitatem*. Sed immerito, ut bene monuit censor Jenensis, *puritatis* vocabulum improbavit Matthiaeus ad Eloq. Lat. Ex. p. 198. et post eum Lindem. ad h. l. et infra p. 229. Nam, ut sit inferioris aetatis, tuetur tamen sese analogiâ, et contrariae vocis usu *impuritatis*, quam, etsi proprio sensu, habet Cicero Phil. II, 3. Et praestat in talibus omnibus nota et usitata vocabula usurpare, quam nimia puritatis affectatione diffusum quoddam orationis genus consectantem, obscuritatis sibi culpam contrahere: quorsum etiam referri possunt Horatiana illa: *decipimur specie recti*, et *in vitium ducit culpae fuga si caret arte*.

P. 15. *Bonorum librorum — incredibilem habebat Bergerus non modo cognitionem, sed etiam copiam*] Cf. infra a Wyttenbachio scripta p. 165 et 185. et

quae

quae de Bergeri Bibliotheca passim in literis retulit Ruhnkenius Opusc. T. II. p. 775, 780, 865.

P. 16. *Collegit — ut — desiderentur.*] Ne cui scribendum fuisse videatur *desiderarentur*, praecedente Perfecto ; recte Praesens posuit Wyttenbachius, quia libri illi non tantum illo tempore *desiderabantur*, sed etiam nunc *desiderantur*. Cf. quae supra diximus de consecutione temporum.

P. 16. *Ruhnkenius — nonnihil etiam operae tribuit scholis Mathematicis, cet. — ita quidem ut gustaret, nec ignoraret, Philosophiam.*] Ipse in Ep. supra laud. „ ita sese in Academiis versatum scribit, „ ut *nonnihil* quidem *temporis philosophiae*, *plurimum* vero *jurisprudentiae*, *historiae*, et *antiquitati* tam *Graecae*, quam *Romanae* tribueret. " Quibuscum porro cf. supra relata p. 14.

Ibid. *Quippe de cujus* (*Philosophiae*) *veritate omnia esse incerta. De quo equidem ut nolim statuere*] Aliter tamen statuisse Wyttenbachium, praesertim juniore aetate, constat cum aliunde, tum vero ex ejus Vita p. 65. Pertinet autem ad hunc locum ipsius Oratio de Philosophiae cum Literis Elegantioribus conjunctione, repetita Opusc. V. I. p. 91 sqq. de qua vid. ibid. p. 95. Ruhnkenii quidem istud *omnia esse incerta*, interpretatione mitigandum, ac recentiorum Metaphysicorum subtilitate, in pari inconstantia ac levitate, circumscribendum: nec tam late patet, ut inde justa reprehensionis causa petatur. Cf. Hemsterhusii, cujus exemplum sequi solebat, Elog. p. 35 in f.

P. 17. *Nunc — florere*] Positum pro *tunc — floruisse*, animadvertant tirones.

Ibid. *Disciplinae — a Jos. Scaligero constitutae praeesse Tib. Hemsterh.*] Vid. supra Elog. p. 47.

Er-

Ernestus] Sic scribendum esse, potius quam *Ernestium*, adversus contra sentientes defendere studuimus in Add. Opusc. Ruhnk. p. 1020. et nunc in eadem persistimus sententia. Hinc *Ernestius*, infra p. 222.

Ibid. *Jam edito Cicerone*] Primum a. 1738. qua vel sola editione immortaliter de bonis literis meritus est Ernestus, judice Wyttenbachio Bibl. Crit. P. II. p. 1. Hanc altera consecuta est a. 1754. Denique tertia, eaque postrema et optima, a. 1774. cujus ibi censura agitur. Viri Elogium conscripsit nominis et partim etiam doctrinae haeres A. G. Ernestus, cujus ibidem refertur summa P. VII. p. 116. breviter item obitus ejus et memoria P. VI. p. 139.

P. 18. *Hoc exemplo discant juvenes, quorum rectissimis studiis parentes obsecundare aut, cum possunt, nolunt, quod Ruhnkenio contigit, aut, cum volunt, non possunt, quod pluribus etiam evenire solet: discant igitur non absterreri a proposito, nec temporum difficultatem aut parentum errorem ad ignavam pietatis opinionem interpretari: cct.*] Hujus loci, multis non satis intellecti, ideoque perperam accepti, commentarii fere instar est Wyttenbachii ad M. Tydemannum Epistola, quam a Viro Cl. nobiscum benevole communicatam, silentio praeterire nefas sit. Sic igitur ille:

M. TYDEMANNO *V. Cl.*

D. WYTTENBACH S.

Si mihi quantum Literae Tuae attulerunt voluptatis, tantum ad scribendum adfuisset otii, eodem sane, quo eas accepi, die Tibi respondissem. Noli enim dubitare, Eruditissime Tydemanne, quin ex omnibus alio-

aliorum de hoc argumento scriptis ad me literis, tuae mihi literae longe gratissimae acciderint. Nam, ut omittam obtrectatores qui meum libellum, vel mei vel Ruhnkenii caussa, me absente carpunt: ii etiam qui favere nobis videntur, ad munusculum nostrum vel frigebant, vel nimiis laudibus erga nos calebant; quas quum ipse in me non agnoscerem, de laudantium vel facultate vel fide dubitare debebam, nisi forte nimia eos erga me benivolentia decepisset. Tu vero, Praestantissime Tydemanne, cum egregia tua doctrina parem attulisti benevolentiam; ut hâc me delectares, illâ, quod majus etiam est, erudires. Equidem qui illud Solonis Γηράσκω δὲ ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος *unice probo; ego igitur gratias Tibi et habeo et ago maximas, qui tam multis me tamque bonis ac diligentibus auxeris monitis. Sed nec universe de iis dixisse, satis est: de singulis dicere, longum sit. Ergo de uno alteroque Tibi meam sententiam breviter significabo: quod Tu ita accipies, non quasi a Te dissentiam, Tibique recte suadenti repugnem; sed ut intelligas, me tuam Epistolam accurate legisse, ejusque tantam et habuisse et habere rationem, quanta maxima prudentissimae amantissimaeque admonitionis ratio habenda est. Ac primum, quod dixi p.* 18, *pertinere volui non ad reprehendendam filiorum pietatem, sed ad castigandam parentum imprudentiam: minus etiam in Te similesque tui, doctos et prudentes patres, valere potest. Ruhnkenii parentes indocti certe fuerunt: et postea quum ipse iis scripsisset se Lugduno-Batavae cathedrae impositum esse, fassi sunt eum adolescentem haec studia ipsis nolentibus ingredientem, recte fecisse, et plus quam ipsos vidisse. Est sane subinde in adolescentibus ignavia, quae se pietatis specie tueri*

cu-

cupiat. Equidem, fateor, debebam mentem meam magis perspicue explicare verbis; ne perperam acciperetur.

Nagelium ipse nuper Praefecto Publicae Institutioni commendavi. Hoc unum est quod his temporibus auxilii commendationisque amicis munera petentibus praestare possim. Alias vel rogabar vel certe audiebar, si quem haberem idoneum scholastico muneri. Praefectus profitebatur, Nagelium sibi jam vetere notitia probatum, seque illius, quoad ejus fieri posset, rationem habiturum.

Plutarchi mei nesciebam in illa, quam scribis, Bibliotheca [Bibl. d. Schöne Wissensch.] *censum habitum: nec aliam vidi ejus censuram, nisi eam, quae prodita fuit in Ephemeride Jenensi Germanice dicta* die Allgemeine Litteratur-Zeitung. *Loco illo Apophth. p.* 174. *C.* ἀνθρώποις *pro* ἀνθρώπων *legendum esse, monui ipse in notula contextui Graeco subjecta.*

Boschium nostrum, Te auctore, monui de illo Silentiarii Carmine [de Thermis Pythiis, in Anthol. Gr.]: *et habebam Lessingii librum, quem item laudat Brunckius ad illud Carmen. Igitur Boschius Graecum hoc eodem metro Latine reddidit, mihique misit ad cognoscendum: ego diligentissime cum Graeco exemplare contuli, meamque cum Boschio crisin communicavi.*

Tu vero, Eruditissime Tydemanne, quando semel ingressus es de me bene mereri, hoc mihi velim des, ut in illo instituto pergas; et, si quae alia Tibi in mentem venerint monita, ea mihi significes. Ego et nunc grato iis animo utar; et aliquando ea ad aliorum cognitionem prodam, vel altera, si forte, libelli editione, vel alio loco. Vale, meque, ut facis, ama: filiumque tuum, doctissimum juvenem, meo nomine saluta. Scripsi Lugd. Bat. d. 18 *Aprilis MDCCC.*

Ce-

Ceterum, quod ait Wyttenbachius, Ruhnkenium plus vidisse parentibus suis, id ipse fassus est in literis ad illum scriptis, nuper editis in Vita Wyttenb. p. 88.

P. 19. *Juvene quodam nobile ac divite*] Uffenbachio, ad cujus moderanda studia, quo tempore adhuc Wittebergae degebat, electus Ruhnkenius, cum eodem aliquanto post, perlustratis nobilissimis Germaniae et Belgii regionibus, in hanc Academiam delatus est: ex quo vero ille morte patris conturbatus in patriam remigravit, ipse literarum humaniorum dulcedine, et praestantium magistrorum doctrina captus, in Batavia, vera omnis humanitatis nutrice, permanere, ibique fortunam suam, si fieri posset, stabilire constituit: quae fere sunt ipsius verba ex laudatis saepius literis p. 872. Quibuscum cf. Ep. ad Ritter. p. 768 et 773. et Praef. nostra p. VIII. Sed de Uffenbachio dicere, nil attinet. Obiter addimus, ut supra *Octobri*, sic h. l. *nobili*, auctore Prisciano VII, 9, praetulisse Lindemannum. Recte fortasse: quamquam non de nihilo sunt ab ipso allata, e Charisio, cujus nulla nobis dissensio, imo potius summa consensio esse videtur, Ciceronis verba, diserte scribentis *aliquo excellente ac nobile viro*.

Ibid. *Recto ac brevissimo tendit itinere, nulla jam diverticula captans.*] Ruhnkenii exemplum secutus, idem fecit Wyttenbachius, cujus conf. Vita p. 91.

Ibid. *Gerardum Meermannum, Syndicum Rotterodamensem*] Verius, *eum, qui postea Syndicus*, sive, ut vulgo dicitur, Pensionarius, *Rotterodamensis fuit*: eum enim recens ad hanc dignitatem evectum esse, Rittero a. 1748. scripsit Ruhnken. l. c. p. 796.

Vid.

Vid. Praef. laud. p. IX. Illa autem Ritteri commendatio quam vim habuerit, constat ex alia ad hunc Ep. p. 768: „Vix," inquit ibi Ruhnkenius, „in „Bataviam, liberalem illam ingeniorum nutricem, „perveneram, cum ecce! celsi ingenii juvenis, „Tuique in primis studiosus, mihi θεὸς ἐκ μηχα- „νῆς appareret. Hic postquam incredibile discendi „studium, quo ardebam, animadvertisset, statim „me studiis fratris sui praefecit; ac, ne quid bene- „ficiorum deësset, ita parentibus suis commenda- „vit, ut ejus pater, vir illustris, mihi patris loco „fuerit, et mater etiam nunc matris loco sit." Quid, quod tam arctum inter utrumque, idque in morum studiorumque similitudine positum, amicitiae vinculum exstiterit, ut G. Meermannum Ruhnkenius alibi *animae dimidium suae* dixerit, l. c. p. 783: ille Ruhnkenium et constanter amaverit, et honorificam ejus mentionem publice fecerit.

P. 20. *Hemsterh. — gaudet discipulum sibi venisse non tironem et rudem, sed universae jam eruditionis supellectile instructum.*] Simile fuit aliquando Wyttenbachii gaudium, cui novum et inexspectatum accidebat, adolescentem, modo ex puerili disciplina prodeuntem, Platonis et cognitione tinctum et studio ardentem ad se venire; ut ipse fassus est in Ep. ad Heusd. Opusc. T. II. p. 2. Cf. item Ann. ad Bakii Posidon. ibid. p. 246. Neque alia mens fuit eidem in Praef. ad Sel. Princ. Hist. p. XXV, a discipulis postulanti, ut ad scholas suas Graecas adferant *cognitionem Declinationum et conjugationum, ediscendis Rudimentis comparatam; accedente etiam nonnullo usu construendae orationis ejusdemque Latine reddendae.* Scilicet haec vulgarium multitudinem auditorum specta-

itabant, quos ne discendorum copia ac difficultate absterreret, hoc tamquam minimum posuit. Quod quidem hac opportunitate ideo monemus, quia Wyttenbachii verba nonnullos ita interpretatos videmus, ac si ille ab auditoribus nihil amplius postulare consuevisset, quam puerilem istam elementorum scientiam; id quod longe secus est. Quo enim quisque doctior ad eum veniebat, eo ipsi gratior accidebat discipulus.

Ibid. *In Hemsterh. — summa — cum comitate gravitas*] Cf. supra Hemsterh. Elog. p. 72. infra p. 140. Unde conjunctim cum h. l. facile refellitur iniquius Reiskii judicium, in Vita sua, judice Cl. Wassenberghio in libro Belgico, Mnemosyne P. VIII. p. 345.

P. 21. *Aliquem Deum videre sibi videretur*] *Divinum virum* Hemsterhusium dixit in literis ad Ernest. Opusc. T. II. p. 815. *Coelestis prope ingenii virum*, ad Ritter. ibid. p. 789. Alibi, δαιμόνιος *ille*, inquit, *Hemsterhusius:* quem docentem audivisse, et cognovisse familiarius, in maxima felicitatis suae parte ponebat: in eoque colendo patriam sibi constituebat pietatem. Vid. Epp. ad Ritter. p. 769. et ad Wilpium p. 873. Hunc *Belgii Varronem* vocabat, ab eoque se totum fluxisse fatebatur, in Praef. ad Timaeum, ibid. T. I. p. 86 et T. II. p. 678.

Ibid. *Hujus per sex deinceps annos scholis assiduam operam navabat:*] Haec ut recte intelligantur, sequentia tenenda sunt. In Bataviam recens advena Ruhnkenius anno superioris seculi XLIV. aetatis XXI. statim praefectus est studiis Meermanni minoris, Gerardi illius, quem diximus, fratris; cum eoque tres fere annos in hac Academia traduxit, ita ut et illi viam in literis praeiret, et magnam diei

partem summorum virorum scholis, sibi ipse consulens, tribueret. Igitur, ut antea Witebergae, partim Literarum, partim Jurisprudentiae studioso, in jure civili ei dux et auctor obtigit Gerl. Scheltinga; in historia et antiquitate Romana Fr. Oudendorpius; in Graecis literis, quas delicias suas vocabat, Jo. Albertius, in primisque Hemsterhusius, quem quanti fecerit modo vidimus. Triennio prope sic transacto, Amstelodamum migravit, in contubernium J. P. D'Orvillii, V. Cl., ita tamen ut fere singulis hebdomadibus Lugdunum excurreret: quo eum non solum lux Academiae, in primis autem Hemsterhusii, sed Bibliotheca etiam publica, antiquis membranis referta, invitabat. Quae quidem omnia his ipsis fere verbis retulit l. c. p. 872 et 769. Enimvero, non nisi ad breve tempus in D'Orvillii convictu permansit, abstractus inde auctoritate celsissimae dignitatis Viri, Ordini Statuum Generalium adscripti, qui eum, proposita certissima Professoriae Cathedrae obtinendae spe, unici, quem habebat, filii studiis moribusque praeficere conatus, tandem eo perduxit, ut, quamvis aegre deserens Musas D'Orvillianas, Ruhnkenius cum Viri Illustrissimi filio Amstelodamo Lugdunum se conferret: quod fuit a. 1747 mense Augusto, si quidem datis ejusdem mensis die XXI literis gratias egit D'Orvillio beneficiorum, quibus eum ornatum dimiserat; eidemque plures deinceps, partim necessitatis partim officii causa, scripsit literas; quas primum in Anglia editas, repetivimus nuper Opusc. T. II. p. 801 sqq. Causam autem commigrationis suae, proximo mense Februario, Rittero explicuit, ibid. p. 788. quem jam antea de

de proposito suo certiorem reddiderat (*). Lugdunum redux, qua ibi primum vixerit conditione, literarum studiis multo, quam rei faciendae, magis opportuna, cum ex aliis intelligitur illarum ad D'Orvillium Epistolarum locis, tum ex eo quod, spreta hominum Amplissimorum eum Leidae evocantium voluntate, *malle se*, ait, *parce ac tenuiter vivere, quam hominibus opulentis illis quidem sed ἀμούσοις operam suam addicere.* Quibus verbis quos significaverit homines nobis quidem non magis liquet, quam quis fuerit magnificae illius, quam supra diximus, promissionis exitus. Tantum constat, eum proximo anno 1748 lautius degentem studia moderatum esse nobilis Juvenis, Nicolai de Dierquens: quocum, valetudine minus prospera utente, ad aviam ejus, matronam splendidissimam, Harlemi habitantem, aliquamdiu secedendum illi fuerit. Vid. Epp. ad Ritter. et Ernest. l. c. p. 794 et 821. et quae diximus in Praef. Opusc. p. IX ac X (†). Atque huc pertinent, quae uni

(*) Datis literis, ut est ibid. p. 780 sq., *Amstelodami d.* 19. *Sept.* Ergo in eam urbem, jam antea mense Augusto relictam, incertum qua de causa reversus, et apud D'Orvillium devertens, inde has dedit literas, iisque Rittero, quem de singulis, ut gesta essent, accuratius edocere tanti non erat, rem quamvis jam peractam, tamen ut adhuc instantem narravit. Quod, ne qua inde repugnantiae species ducatur, hic obiter animadvertimus. Nam ne quis l. c. pro *Sept.* legendum suspicetur *Aug.* facit argumentum illarum ad D'Orvillium Epistolarum.

(†) Memoratur ibid. p. 810 extremâ, *Endius*, Ruhnkenii discipulus, de quo adhuc quidem nil rescivimus. Fortasse autem in eo nomine mentio latet omnibus notae Gentis *van den Ende.*

universe scripsit Wyttenbachius infra p. 31, *parentes cum filiis morum studiorumque praefectum adjungere cupivisse, ipsum autem hujusmodi stationes lubentem accepisse*, cum suo ipsius judicio, tum auctore Hemsterhusio, eum in Batavia retinere volente. Cf. item p. 63 et 98. Nec minus huc referenda, quae exstitit ei cum illustri Fageliorum Gente necessitudo, tradito ei in disciplinam Francisco Fagelio, optimae viro indolis, sed patriae magis ostenso, quam dato (*). Cujus familiaritatis, etsi quo tempore initium inciderit ignoramus, satis tamen certa exstant indicia in dicatis postea huic, hujusque filiis Henrico et Jacobo, Rutilii Lupi et Velleji Paterculi editionibus. Ceterum, ut unde digressa est redeat oratio, videtur ab eo inde tempore, quo a D'Orvillii latere secesserat, domicilii sedem deinceps constanter aut Lugduni, aut in ejus urbis vicinia habuisse Ruhnkenius, Hemsterhusii scholis suisque ipse privatim studiis assiduam operam navans tamdiu, donec illud explevisset *sexennii* spatium, de quo scribit Wyttenbachius. Cui quid causae fuerit, cur aut D'Orvillii, aut reliquorum quos nominavimus, ne semel quidem mentionem fecerit, quaerere nil attinet, nec dubitamus quin graves ei, tunc temporis quidem, quo haec scribebat, hujus silentii rationes fuerint: tamdiu vero, quamdiu suus humanitati constabit honos, meritis laudibus celebrabitur Viri illius non solum eruditissimi, verum etiam lautissimi, ali-

(*) Testis est, praeter Ruhnkenium locis laudatis, Vir summus, Franciscus Hemsterhusius, in elegante libello, Gallice scripto: *Description philosophique du Caractere de feu Mr. F. Fagel*, 1773. addito neque auctoris nomine, nec loci indicio.

aliunde (*) quoque cognita liberalitas, et singularis in Ruhnkenium, doctrinae fama florentem juvenem, benivolentia, ab ipso saepius praedicata. Cf. Cl. Kidd. Praef. Opusc. Ruhnk. Ed. Angl. p. XXIV. et Praef. nostra p. LIV.

P. 21. *Ut, quoad posset, ab ejus latere non discederet, nec dictum monitumve e senis ore exiret, quin id exciperet ac fideli memoria reponeret.*] De se ipse Cicero de Amic. c. 1. sese ad Scaevolam ita deductum ait, *ut, quoad posset et liceret, a senis latere non discederet. Itaque*, inquit, *multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta, memoriae mandabam; fierique studebam ejus prudentia doctior.*

P. 22. *Omnes artes ac disciplinas — floruisse apud Graecos: ab his ad Romanos, a Romanis ad alios Europae populos venisse, cet.*] Haec latius aliis locis persequi solebat Wyttenbachius, in primis in scholis de Historia Literarum et Philosophiae, quas aliquando in lucem proditum iri spem nobis fecit Cl. Mahnius, Vit. Wyttenb. p. 114 sqq. De re ipsa cf. ejusdem Dial. Crito p. 78.

P. 23. *Scriptores, et numero multi, et materia varii cet.*] Cf. supra Elog. Hemsterh. p. 9 sq.

Ibid. *Corporeae materiae*] Id est materiae solidae, quae et ipsa corpore constat, et corporis sensibus, in primis visu et tactu, percipitur. Quo sen-

(*) D'Orvillii liberalitatem, praeter alios, ingenue fassus est, iniquior saepe aliorum judex, J. J. Reiskius in sua ipsius Vitâ Germanice conscripta, pluribus locis, unde retulit Wassenberghius, in libro laudato, Mnemosyne, T. VIII. p. 308, 310, 329, alibi.

sensu *corporeum* dixerunt Lucretius III, 176 sq. et Cicero de Univ. c. 4 et 8. Fallitur ergo Lindemannus cum in explicatione vocis, tum in citando Ciceronis loco, qui huc non pertinet, de Nat. Deor. II. 27.

P. 24. *Scientiae hujus est finis*] i. e. consilium, propositum, quod consequi studet, Graecis σκοπὸς; quo sensu an item Latine dicatur *finis*, egregie disputat Heusingerus Obss. Antib. p. 406. Ceterum, cum hujus loci argumento conferri meretur J. Bakii, V. Cl., Oratio de Custodia Veteris doctrinae et elegantiae praecipuo Grammatici officio, habita a. 1817, Annal. Acad. L. B. Vol III.

Ibid. *Primi illi*, *caet.*] Cum toto hoc loco conf. Elog. Hemst. p. 80 sq. quo veluti fons continetur, unde sua duxit Wyttenbachius.

Ibid. *Qui — Literarum — principatum tenerent*, *tres — censentur*, *Josephus Scaliger*, *Isaacus Casaubonus*, *Claudius Salmasius.*] De Scaligero conf. supra Elog. Hemst. p. 47. et Saxii Onom. Lit. P. III. p. 351. De Casaubono, *cui*, ut ait Ruhnkenius l. c. p. 40, *doctorum hominum consensus primas deferre solebat*, ibid. P. IV. p. 65 et 571. De Salmasio, qui in hac ipsa Academia, post Scaligerum, literas tradidit, ibid. p. 188 et 583.

P. 25. *Imperii ac ditionis*] Id est, regni ac potestatis. Cf. Ruhnken. ad Muret. T. I. p. 14. sive Opusc. T. II. p. 723.

Ibid. *Qui nulla linguae — intelligentia instructi — in Antiquorum res*, *veluti Philosophiam — involant.*] Conf. Hemsterhusii querelae, Elog. p. 36.

P. 27. *Utrumque instrumentum ita tenebat Hemsterhusius*] Cujus vid. Elog. supra p. 41 — 44.

Ce-

Ceterum, de Analogia, quae, ut Homerice dicatur, est quasi λόχος, ἔνθ' ὅ, τε δειλὸς ἀνὴρ, ὅστ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη, legatur Biblioth. Crit. P. X. p. 124 sq.

Ibid. Not. 15. *Praesertim*] Notavit Lindem. corrigens *in primis*. Sed vid. supra dicta ad p. 2.

P. 28. *Critica. Haec, ut nomen habet, ita proficiscitur a judicando, cet.*] Cf. similis descriptio in Elog. Hemst. p. 9. et Biblioth. Crit. P. I. p. 5.

Ibid. *Secutum et assecutum esse*] Diversam verborum vim tirones teneant. *Sequimur*, quae assequi volumus: *assequimur*, quae sequendo consecuti sumus. Cf. similis de Wyttenbachio dictio, Vit. Wyttenb. p. 113.

P. 29. Εὐκολία, *facilitas*] De qua pluribus infra p. 266. Conf. porro jocose scripta a Wyttenbachio ad J. Valckenaerium, in Vita Wytt. p. 199.

P. 30. *Ut cum Tullio loquar*] Vid. supra p. 11.

P. 31. *Ad hoc vulgi praejudicium quum accederet judicium magnorum virorum*] *Praejudicium* h. l. est antecedens ac levius vulgi judicium, quod deinde graviore magnorum virorum *judicio* et auctoritate confirmabatur. Alibi minus Latine, instar Gallici *préjudice*, in malam partem sumitur, de praeoccupata, quae dici solet, opinione.

Ibid. *Et praeponebat et in exemplum proponebat*] Elegans lusus in diversae potestatis verbis *praeponere* et *proponere*, cujus similes alios passim frequentare solebat Wyttenbachius: cujus ut multorum aliorum orationi *praeponenda* est oratio, ita juvenibus in exemplum *proponenda*, quod cum cupide intueantur, tum studiose imitentur.

Ibid. *Factum est, ut — parentes cum filiis mo-*

rum studiorumque praefectum adjungere cuperent.] Vid. quae diximus supra, in annot. ad p. 21.

Ibid. *Hemsterhusius — immortalibus suis in patriam meritis hunc adjecit cumulum, ut ei Ruhnkenium — vindicaret.*] Idem valet de *Valckenaerio* et *Ruhnkenio*, qui effecerunt ut *Wyttenbachius* reliquis terris Bataviam praeferret, quam eruditionis suae splendore illustraret, ut vere scripsit Mahnius Vit. Wytt. p. 94.

P. 32. *At Ruhnkenium, ô superbum juvenem*] Ironice dictum tirones animadvertant: nec enim superbiae, vulgo cum ignorantia conjunctae, h. l. indicium est: sed modestiae potius, quae veram doctrinam comitari, atque ab animi magnitudine, quae quanta in Ruhnkenio fuerit infra disputatur p. 241 et 249 sqq., proficisci solet. Nam ita demum vere magnus animus exsistit, si quis, ut mox de Ruhnkenio scribit Wyttenbachius, *se ipsum noscat, ac doctus magis esse, quam videri studeat.*

Ibid. *Ita enim et ipse judicabat (Ruhnkenius), et Hemsterhusium judicantem audiebat, praeposterum esse puerilis institutionis ordinem, quo primum Latinis, deinde Graecis, imbuimur Literis; igitur eos qui semel hunc errorem errassent, et tamen ad Literarum principatum contenderent, denuo veluti pueros debere fieri, puerilis institutionis aliam viam ingredi, a Graecis ad Latinas Literas progredi.*] Hemsterhusium ita judicasse, quamvis non disertis verbis proditum legatur, satis tamen certo conficitur ex iis quae in Elogio retulit Ruhnkenius p. 43: „ recte „ virum magnum statuisse *Latinam linguam Graecae* „ *sic aptam et nexam esse, ut, qui alteram ab al-* „ *tera distrahat ac divellat, animi et corporis disci-*

„ *dium*

„ *dium inducere videatur.*" et p. 45: „ eum sese „ *in Latinis* intelligendis sic *a Graecis adjuvari* sen- „ sisse, ut interdum *negaret*, *Poëtas eos*, *qui se* „ *totos ad Graecorum imitationem contulissent*, no- „ minatim Propertium et Horatium, *Graece imperitis* „ *valde placere posse.* Adeo multa, quae venustissi- „ ma et exquisitissima sint, eorum sensum intelli- „ gentiamque fallere." Haec ille: quae quamvis longiora, ac supra suo loco posita, hîc tamen repetenda duximus, quo facilius et cum illis quae de Ruhnkenio prodidit Wyttenbachius conferrentur, et cum his quae ex sua ipse persona, discipulos allocutus, scripserat antea in Praefat. ad Selecta Princ. Histor. Graec. p. XXIV: „ Intra breve tem- „ pus, inquit, eâdem facilitate Graecos, quâ nunc „ Latinos, intelligetis Auctores. — Sane hoc gradu „ jam essetis, et Latinae simul linguae multo ube- „ riorem accuratioremque teneretis scientiam, *si pue-* „ *rilis disciplinae rudimenta prius in Graecis*, *quam* „ *Latinis*, *posuissetis Literis.* Quae ratio ut ali- „ quando publice constituatur, optamus, sperare „ non audemus: adeo multa sunt quae prohibeant. „ Utinam privatim frequentetur! certe iis tenenda „ erit, qui puerum a primis inde annis ad egregiam „ Literarum scientiam informare velint." Quae omnia loca, sane suo in genere classica, ac Triumvirorum celeberrimorum de gravissimo argumento sententiam complexa, identidem legenti ac relegenti, interque se invicem alterum cum altero comparanti, mirum profecto mihi videbatur, quî tandem illorum verbis inducti tot homines, in iisque docti sane ac periti viri, id sibi persuaderi passi sint, Hemsterhusium, Ruhnkenium et Wyttenba-

 chium,

chium, bene ac prudenter constitutam a majoribus puerilis disciplinae formam eam, qua *a Latinae elementis linguae ad Graeca* traducerentur, *praeposteram*, id est *pravam* ac *perversam*, non verbis modo ac sententiis judicasse: verum etiam re ipsa ac serio voluisse, ut ei primo quoque loco ac tempore repudiatae contraria substitueretur, *recta* scilicet illa demum, atque *unice probanda*, quâ *a vernaculi sermonis studiis ad Graeca*, *a Graecis ad Latina* transitus fieret. Cujus quidem sive reprehensionis, sive desiderii, quo magis nulla in illorum judicio satis certa deprehendimus vestigia; eo magis miramur eos, qui prudentissimorum Virorum auctoritate perperam abusi, id continuo egerunt, ut Graecarum scilicet amore Literarum ducti, *Graece prius quam Latine docendos esse pueros* creparent, et receptam adeo ac diuturno usu firmatam consuetudinem immutarent prorsus ac perverterent. Quo minus ab hujus loci consilio alienum arbitrati sumus, paulo fusius tractare quaestionem illam, *Graece prius an Latine pueri docendi sint;* argumentumque cum per se grave, tum a multis non satis recte fortasse aut intellectum aut tractatum, latius ita persequi, ut videamus verene et animi sententia, nec ne, praeeuntibus Hemsterhusio et Ruhnkenio, Wyttenbachius optaverit, ut aliquando publice constitueretur illa ratio, quam nunc multis cum aliarum regionum, tum vero patriae nostrae locis constitutam videmus, plurimisque in scholis aut receptam, aut in eo ut brevi receptum iri videatur, ut *Graece prius quam Latine* pueri doceantur. Ac primum quidem, qui Wyttenbachio, ut perhibent, auctore tantopere vituperant *praeposterum* illum *puerilis institutionis ordinem*, nec prius Latine, quam Graece, discen-

cendum esse clamant; videntur illi, ut dicam quod sentiam, et vere dicere mihi videor, non satis tenere discrimen *discendi* ac *legendi*, ac potius quae duo, naturâ suâ plane diversa, probe secernenda sunt, ea temere confundere ac miscere. Nimirum longe aliud est *Graece ac Latine discere*: aliud *Graecis ac Latinis Literis studere*, sive, quod eodem redit, *Graecos ac Latinos Scriptores omnes deinceps ordine legere, excerpere, et Hemsterhusiana*, id est, *grammatica criticaque ratione pertractare.* Alterum faciunt omnes illi, qui in *Scholas* inferiores sive *Latinas*, quae dicuntur, pueri ventitant, prima utriusque linguae elementa percepturi, ad eumque modum progressuri, cum ut scriptos utrâque lingua libros probabiliter intelligere et interpretari discant, tum ut peculiarem quemdam sibi comparent Latine loquendi scribendique usum et habitum, qui ipsis tam in omni doctrinarum genere adjumento sit et emolumento, quam in omni vitae munere ornamento et instrumento, quo docti hominis laudem nomenque consequantur ac tueantur; sive illi Theologiae, sive Jurisprudentiae, sive salutari Medicorum arti, sive his ipsis Antiquarum Literarum studiis, sive denique cuicunque alii doctrinae generi sese deinceps tradituri, ex eoque honesta bene beateque vivendi subsidia sibi paraturi sint; nec parentibus, amicis, civibus oneri ac dedecori, sed ornatui potius ac laudi futuri. Alterum, id est id quod posteriore loco diximus, proprie ac praecipue ad eos pertinet, qui decursis pueritiae stadiis, adolescentes in superiores Academiae scholas delati, in Graecis Latinisque Literis vitae sibi tabernaculum ponere decreverunt, atque, aut intra certos fines et quasi sepimenta sese tenentes, pueritiae Graece Latineque erudiendae, utili

li sane nec, si bene peragere velis, facili negotio, sedulam operam navare; aut, si ulterius progressi rara quadam naturae bonitate et vehementiore animi motu majora concupiscant, ad illustrem quemdam in Literarum provincia locum contendere sibi propositum habent. Quamquam potest illud ad eos etiam ex aliarum doctrinarum studiosis referri, qui pari perfectionis studio ducti, quodammodo altius evolare cupiunt. Veluti disertus Divinorum oraculorum coram populo interpres, probabilis causarum actor et justitiae patronus, prudens aegrotorum curator, facile quivis esse potest, etiamsi Graecarum Latinarumque Literarum non ultra mediocritatem peritus: at *eruditus Theologus*, *perfectus Jurisperitus*, et *supra vulgarem captum doctus Medicus*, nemo esse potest, nisi qui accurata veterum Linguarum scientia et critices praesidio instructus, ipsos antiquorum fontes, puros illos ac limpidos, non recentiorum rivulos, inquinatos saepe ac turbidos, consectari didicerit. Sed haec ut latius persequi, rationibus confirmare et exemplis illustrare longum sit, nec cum instituti nostri ratione conjunctum; ita malumus, quae ab omnibus rite intelligenterque judicantibus concedi solent, obiter attingere, quam ulterius pertractando in loquacitatis reprehensionem incurrere. Universe quidem satis constat inter omnes, quod in Ep. ad Heusdium V. Cl. scripsit Wyttenbachius (*): „ Literarum studiosos alios aliud propositum habere: alios „ eas ut adjumentum aliarum doctrinarum adhibere: „ alios ad animi oblectationem: alios alia de caussa: „ pau-

(*) Vid. Opusc. Wyttenb. Tom. II. p. 4.

„ paucissimos ipsarum unice caussa et amore, et ut „ in ipsarum studio vitae tabernaculum ponant." His ergo missis, illud potius, quod nunc volumus, declarandum est. Illorum igitur, qui pueri *Graece ac Latine discunt*, aut parum aut nihil interesse censemus, ab utro discendi initium ducant. Nam, quod ajunt, Graecae Linguae scientiam ad Latinae cognitionem ducere, id quidem ejusmodi est ut, quamdiu in primis linguarum elementis haereas, aut vix aut ne vix quidem appareat: imperitis saltem et pueris nec significari nec declarari fere ullo modo queat. Et quod faciliorem esse praedicant Graeci, quam Latini sermonis facultatem consequi, multoque minore negotio *Graeca Belgice*, quam *Latine* verti; est istud quidem aliquid: verumtamen quominus propterea demus, prius Graece, quam Latine discendum esse, multa sunt quae impediant. Esto sane, facilius Graece quam Latine disci; itane levia puerorum ingenia, jamdudum facilioribus assueta, mox ad difficiliora traduces, ab iisque, quae illorum tarditas et inconstantia esse solet, plane absterrebis? nec potius facies, ut, devorato prius difficiliorum taedio, mox faciliora veluti per lusum et jocum addiscant? Sed enim vehementer nego, faciliora ad discendum esse Graecae, quam Latinae linguae elementa: de *elementis* enim hîc agimus, non item de universa sermonis indole, quae a pueris percipi nequit. Nam, ut alia mittam, vel ipsi literarum ductus et figurae, speciem prae se ferentes plane diversam ab iis quae quotidie oculis subjici solent, quanto sunt magis quam Latinorum nostris plane similes literae, comparatae ad quandam quasi fugam immittendam et horrorem incutiendum tardis puerorum ingeniis? Deinde vero, quum ad Nominum declinationem Verbo-

borumque conjugationem perveneris, quot quaeso difficultatibus ac tenebris septa tenetur Graecorum ars grammatica, quarum in Latina nec vola nec vestigium adest, aut saltem vulgo non apparet. Quid in numeris quidem nominum ac personarum, dicam de *duali*; quid, in verborum generibus, de formâ *media*; quid, in modorum ratione, de *optativo*; quid, in temporibus, de *aoristo* ac *paulo post futuro*; quid, in universa declinandi conjugandique ratione, de *augmentis*, *contractionibus*, *accentibus*, *dialectis*, *mutationibus* literarum *tenuium*, *mediarum*, *aspiratarum*; quid de infinitis aliis ejus generis minutiis? quae ut parva videantur ac levia, ita sine his nequeunt magna consistere, nec nisi his probe perceptis et fideli memoria repositis, linguae unius omnium pulcherrimae ac dulcissimae ratio teneri potest. Talia vero quis a puerulo exigat, vixdum a lusibus suis detracto, et recens in scholam misso? Quasi vero, inquiet aliquis, ejusmodi nulla in Latinae grammatica linguae occurrant. Fateor vero, et hanc suas sibi habere difficultates, multo vero eas minoris et numeri et ponderis, quam quae in Graecis objiciuntur: nobis praesertim, quorum, ut plerorumque populorum Europae, vernacula lingua, etsi origine suâ ac naturâ Graecae quam Latinae similior, tamen ad Latinae linguae grammaticas rationes, per temporis diuturnitatem hominumque perversitatem, tota fere non dicam exacta sit, sed reficta potius ac detorta. Quod quamvis pessimo instituto factum, hanc tamen habet utilitatem, ut simulac prima vernaculi sermonis elementa perceperis, eo ipso in Latinis adjuvari te sentias, nec plane hospes in ea incurras. Quorum omnium

nium, ut par est, ratione habita, equidem affirmare non dubito, perparum referre ab utrius elementis linguae puerilis institutionis exordia capiantur; imo potius hanc illi praeferendam esse patrum memoriâ receptam consuetudinem, quâ primum a vernaculi sermonis consuetudine ad Latinam linguam, deinde a Latina ad Graecam traducantur. Longe vero alia eorum res est, qui perceptis antea puerili institutione utriusque linguae elementis, aut in Academias delati, aut suo ipsi domestico ac privato studio, in Literis non tantum vitae sibi tabernacula collocare, sed *ad earum* adeo *principatum*, ut ait Ruhnkenius, *contendere* cupiunt. His enim quin primum Graeci, deinde Latini Scriptores legendi sint, nec sine Graecis ad Latina pateat aditus; nemo dubitat, qui meminerit Romanos, quae habuerunt literarum incrementa, a Graecis omnia desumsisse. Sed hoc illud est, quod initio diximus, eorum qui *discere* ac *legere* confundunt: id quod in simili causa egregie Wyttenbachius animadvertit: „Sunt," inquit Praef. laud. p. VI. „qui „(initio) Homerum velint (*): sunt qui solutae „orationis facilis ac perspicuae scriptorem malint. „Utrique partim recte, partim secus: recte, si „*discendi* initium a prosae scriptore, *legendi* ab „Homero fieri volunt: secus, si *discere* ac *legere* „confundunt. Sane in legendis Auctoribus et an„tiquitatis cognitione per illorum lectionem colli„gendâ, non est dubium quin *aetatis ordo* sequen„dus, *ab antiquissimo quoque ad proximum* dein-

„ceps

(*) De qua quaestione, lectu minime indigna Gesnerus protulit, Isagoges §. 148. p. 158.

„ ceps progrediendum, igitur a principe omnium Ho-
„ mero ordiendum sit, a quo, veluti fonte, reliqui
„ omnes et Poëtae et Scriptores manarunt. Sed haec
„ est viri, certe veterani, lectio, ad quam *linguae*
„ quaedam *cognitio*, *per tirocinium parata*, adferen-
„ da sit." Quibus ad praesentem causam translatis, hoc fere modo argumentari licebit: utrosque partim recte, partim secus praecipere, et qui initium a Graecis, et qui a Latinis ducere malint: recte, si *discendi* a Latinis, *legendi* a Graecis fieri velint: secus si *discere* ac *legere* confundant: nam quin in legendis Scriptoribus a Graecis ad Latinos progrediendum sit, non esse dubium: sed hanc viri, certe veterani, lectionem esse, ad quam utriusque linguae quaedam cognitio, per tirocinium parata, adferenda sit. Quod quidem si in contemplando, non secus atque in agendo, discrimen rite teneatur et observetur, nihil profecto est, cur, *qui semel istum erraverint errorem*, si tamen is error appellandus est, cujus probabilis ratio reddi potest; sed nihil est, cur *denuo pueri fieri debeant*, id est, quae bene jam perceperint, rursus ab initio omnia discere: neque hoc dixit Ruhnkenius, sed *veluti pueros*, ideo quod, cum antea *in discendo a Latinis ad Graeca* traducti fuerint, jam nunc *in legendo*, contrario ordine, *a Graecis ad Latina* transeunt. Nec aliter, si quid video, fecerunt Hemsterhusius, Ruhnkenius, et ipse Wyttenbachius. Quorum ille, licet quali puerilis institutionis exordio usus sit, memoriae proditum non reperiatur, quin tamen solito suae aetatis more a Latinae elementis linguae ad Graeca deinceps progressus sit, non est dubitandum. At vero maturiore aetate, plane contraria

ra-

ratione, „ inito eruditionis locupletandae consilio, „ veteres, inde ab ingeniorum fonte, Homero, „ scriptores, nunquam remisso studio legit: legit? „ immo vero excerpsit, et in horrea sua congessit, „ ut, quicquid vel ad utriusque linguae rationem, „ vel ad historiam, vel ad ritus et mores gentium, vel „ ad priscam sapientiam pertineret, id paratum es- „ set, ac, si res postularet, inde continuo depro- „ meretur." (*) Profecto humanis viribus majus divini viri exemplum, quod sedulo imitans Ruhnkenius, quum puer *Latinae* amore orationis incensus, eodem paulatim deinde aucto et ad firmum animi propositum habitumque confirmato, sentiret sibi in primis *Graecis* (†) opus esse, ad Hemsterhusium accessit, *non tiro et rudis, sed universae jam eruditionis supellectili instructus* (§). Tum vero *Graecos* omnes deinceps legit Scriptores, eo ordine, eaque ratione, qua hoc loco a Wyttenbachio relatum legimus: et, ne a Latinis desuesceret, Graecorum lectioni Latinorum cum reliquorum, tum similis quidem argumenti scriptorum, lectionem adjunxit: denique, a Graecis Literis docendis ad Latinas traductus „ licet Scriptores *Latinos* om- „ nes antea legisset, tamen, hac suscepta profes- „ sione, iterum à primo ad postremum omnes re- „ legit et excerpsit; — ut quantam *Graecarum* „ collegisset, tantam item colligeret *Latinarum* „ copiam materiemque Literarum." (‡). Sed tum XXX fere annorum aetatem consecutus, non am-

(*) Vid. supra Elog. p. 28.
(†) Vit. Ruhnk. p. 6, 10, 11, 12, 17.
(§) Ibid. p. 20. (‡) Ibid. p. 94.

amplius *puer discendi*, sed *vir* ulterius *progrediundi* et judicii exercendi *causa* legebat. Ad Wyttenbachium tandem quod attinet, is quomodo puer, duce Jaegero, *primum Latinae*, ac *deinde Graecae* elementa linguae perceperit, et utriusque Linguae praecipuos quosdam Scriptores, scriptorumque partes puerili commentatione tractaverit, cum antea ipse passim professus esset, nuper dedita operâ in Vita ejus exposuit Cl. Mahnius (*). Postea vero, XVIII annorum adolescens, memor quantum voluptatis puer in Graecis percepisset, exantlato primum illo Xenophonteorum Socratis Memorabilium legendorum labore, vel sola repetitione fructuosissimo, Scriptores *Graecos* ab Homero inde, praecipuos certe et optimos quosque, legit omnes: atque ea demum absoluta quadriennii opera, ad *Latinos* transiit, quocunque ingrederetur Graeca vestigia agnoscens, ita ut unus annus Latinas ei patefaceret Literas (†). Ergo quod Hemsterhusius, Ruhnkenius, Wyttenbachius, solita pueritiae institutione usi, suo ipsi deinde studio et labore consecuti sunt, ut eorum sua quisque via ac ratione ad principem in Literis locum perveniret, id nos neminem consecuturum dicemus, nisi qui prius *μοῦσα*, quam *mensa*, *τύπτω* quam *amo*, puer edidicerit? Nam si dicas illos, si hanc viam a pueritia inde ingressi essent, majores etiam, quam fuerunt, viros futuros, majores-

(*) Vit. Wyttenb. p. 20 sq. 25 sq.

(†) Vid. Praef. ad Sel. Hist. p. XXXI—XXXVI. et Vita Wyttenb. p. 68—87. Atque huc pertinet quod scripsit Ernesto, *primum in Graecis*, *postea in Latinis* operam sese posuisse: Opusc. Tom. I. p. 800.

resque, quam fecerunt, progressus facturos fuisse; id quidem ejusmodi est, ut a nobis certo judicari nequeat, utpote ab aliis multis pendens causis, eisque partem intra, partim extra illorum et voluntatem et potestatem positis. Tum demum ita argumentari licebit, quum aliquando ingeniosus quidam puer a primis inde annis ea via ac ratione ad egregiam Literarum scientiam informatus, Hemsterhusios, Ruhnkenios, Wyttenbachios, et quotquot unquam fuerunt aut futuri sunt Literarum principes, longo post se intervallo relictos, ad semidoctos, quin paene ad pueros ablegaverit. Quod an unquam visuri simus, in hac nostra praesertim tantopere celebrata puerorum instituendorum ratione, vehementer dubitamus.

Ergo videmus ex ipso illorum, quorum verba supra apposuimus, Triumvirorum exemplo, aliam in discendis utriusque Linguae elementis, aliam in legendis Scriptoribus ingrediendam esse viam; atque hoc sensu recte illos *praeposterum* judicasse puerilis institutionis ordinem. Videamus jam, an eum item, idque tam publice, quam privatim, abolendum et cum contrario permutandum censuerint. Hemsterhusius quidem nihil hac de re pronunciasse legitur: nihil item Ruhnkenius. Wyttenbachius autem, etsi ad uberiorem accuratioremque Latinae Linguae scientiam conducere judicabat, si puerilis disciplinae elementa prius in Graecis, quam Latinis, ponerentur literis; etsi porro *ut ea ratio* aliquando *publice constitueretur optabat; sperare* tamen *non audebat*, *adeo multa esse quae prohibeant;* saltem *privatim frequentari* posse; certe *iis tenendam fore qui puerum* a primis inde annis *ad egregiam Literarum scientiam infor-*

mare velint. Profecto plane, si quid video, ad mentem Ruhnkenii, puerilis institutionis aliam viam ingrediendam esse judicantis *iis, qui ad Literarum principatum contenderent:* de reliquis, qui tantum sibi propositum non haberent, etsi nil dicentis, vel hoc ipso silentio suo, quid sentiret, haud obscure significantis. Ac nobis quidem jure ac merito Wyttenbachius (†) judicasse videtur, *multa esse quae prohibeant*, quominus *publice* aeque ac *privatim* puerilis disciplinae elementa a Graecis ducantur Literis. Nam primum quidem, quod supra significavimus, non eodem omnes ducuntur consilio, qui *Graece ac Latine discunt:* paucissimi quidem eo ut *Graecis ac Latinis Literis studeant*, in iisque vitae sibi tabernaculum ponant: unde fit ut non ad eumdem modum omnes in Literis proficere, aut *velint*, aut *possint*, aut *debeant.* Deinde vero, in primis et ante omnia huc pertinet *Latinae linguae*, tamquam *communis eruditorum linguae*, *usus.* Qui honor si *Graecae* contigisset linguae, nae stultus sit qui dubitet, quin per omnia doctrinarum genera, perque omnes vitae partes, multo longius latiusque diffusa patuisset Graecae, quam nunc Latinae linguae ratio. Jam vero quum res aliter ceciderit, cumque inde ab everso per barbarorum invasionem Romano Occidentis imperio, Latinae linguae tamquam omnium populorum communis usus remanserit cum aliis in partibus, tum in primis in *Rebus Sacris et Ecclesiasticis*, in *Actis publicis et Jurisdictione*, in *Artium et Doctrinarum studio* (*); necessario ac sponte sequitur, vulgo ut nunc est,

(†) In eadem fuit sententia Gesnerus Isag. §. 140.

(*) Cf. Cl. Mahnii, Dialogus Crito, pag. 79.

est, hujus cum scientiam tum utilitatem ad longe plures homines pluraque negotia, quam Graecae pertinere. Etenim quis, quaeso, serio contendat, qui nunc Latine sciunt, Latinosque libros probabiliter et intelligere, et ipsi scribere possunt, eosdem omnes aeque Graece doctos esse debere? Quis in omni homine atque in omni vitae munere, aequalem ac Latinae scientiae Linguae parem desideret Graecae scientiam? Qualis, ut verum fatear, in magna illa, quae ubique cernitur, ingeniorum diversitate rerumque externarum dissimilitudine, ne ab iis quidem omnibus exspectari potest, qui ex harum professione Literarum vitae sibi subsidia paraturi, et pueris ad prima utriusque linguae elementa cognoscenda erudiendis operam navaturi sunt. In quibus adeo ferre solemus multos, qui etsi Graeco scriptori ad editionem commentando, aut Professoriae Literarum Cathedrae ornandae impares, vel sic tamen ad probabilem utriusque Linguae cognitionem, et Veterum intelligentiam, viam praeire tironibus honeste et cum aliqua laude sua possunt. Fac vero eosdem, quamvis Graece perdoctos, Latine nescire; carere promta ac parata Latine loquendi scribendique facultate; orationis genere uti sordido, barbaro, obscuro, impedito; nec verbum proferre audere, nisi ut id aegre facere sibique vim inferre videantur; quid quaeso talibus hominibus facias? aut quamnam iis Doctrinarum provinciam sine erroris periculo, ipsarumque tandem Literarum detrimento, tuto committas? Ergo vani sunt, qui omnes ad eumdem modum Graece, ac Latine, doctos cupiunt. Ab Hemsterhusiis, Ruhnkeniis, Wyttenbachiis, omninoque a claro quoque Doctore Academico, merito illud postulari potest: a re-

reliquis, qui ad usum vitae Graece ac Latine discunt, non potest. Multorum interest Graece scire; Latine vero, omnium. Graecarum imperiti Literarum alicui saltem doctae vitae parti satisfacere possunt; Latinarum vero, nulli possunt. Ergo omnium interest Latine discere, Latinaeque Linguae elementa puerili institutione probe percepta tenere: Graece, non adeo omnium, certe non ad eumdem modum. Ergo etiam praestat *prius Latine*, *quam Graece discere*. Nec, qui contrarium statuat, minore in errore versetur, quam qui peregrinae linguae facultatem infantibus tradendam dicat, antequam vernaculae usum satis teneant. Nam prouti civi turpis merito habetur patrii sermonis inscitia, ita eruditi nomen meretur nemo, nisi qui eruditae quasi civitatis, cujus se civem haberi cupit, linguam usu ac scientia tritam perspectamque habeat; id est, nisi qui *Latine* ut *legere* et *intelligere*, sic etiam *loqui* et *scribere* probabili ratione queat. Denique, qui peregrinarum studia linguarum patriae studiis linguae anteponunt, eosdem in vitae communis usu turpiter labi, errare, nescire, quis est qui ignoret? Similiter vero, in erudita civitate, quo quisque est Graece doctior, eo cuique turpius sit Latinae scientia linguae ac facultate aut nulla esse, aut nulla satis expeditâ. Et tamen vide, quo nos ducturi sint isti novitatis amatores, cum dicant, *antequam Graeca perceperis*, *de Latinis cogitandum non esse? Lexicis* nos beabunt, ceterisque libris Grammaticis, jam non *Graeco-Latinis*, sed *Graeco-vernaculis*. Habemus Latine scripta Mythologiae, Geographiae, Historiae, Antiquitatis, aliarumque Doctrinarum Compendia: comparanda erunt vernacula. Habemus egregias veterum Scriptorum editiones, Doctorum

Vi-

Virorum Commentariis Latinis illustratas: commentandum erit suâ cuique vernaculâ linguâ. Quorum omnium ut aliquem usum facile concedimus, ita omnem ac nimium illis tribuere temerarium sit, ac perniciosum Latinae Linguae studiis, cujus sic omnis usus de medio sublatus plane peribit et exstinguetur. Ac prouti olim, extremis scholarum curriculis, Rectoris scholam vulgo vocant, reservatae, neglectae jacuerunt Graecae Literae, ac suum sibi locum et honorem vix integrum et illibatum servarunt; similiter verendum, ne, si semel ea invaluerit ratio puerilis institutionis exordia a Graecae elementis linguae ducendi, Latinae sensim ac paulatim in desuetudinem abeant Literae, ac nisi penitus e doctrinarum studiis evanescat Latinae usus linguae, certe purae ac probae Latinitatis ratio prorsus oblivioni tradatur. Quo quid pejus, quid perniciosius, quid turpius excogitari queat? Ruhnkenius quidem istam vernaculorum librorum scriptionem graviter improbare solebat (*). Atque ut stultissimum fuit eorum dictum, qui *Graecas Literas* dicerent *homini erudito decoras esse, necessarias non item*, proptereaque merito a Casaubono castigatum (†); ita multo etiam magis vituperandi, qui, quod sibi aliquando dictum scribit Wyttenbachius, *Latinis Literis Grae-*

(*) Vitae Ruhnken. p. 250. Sed de Latini sermonis usu, in graviorum doctrinarum studiis, vernaculae cujusque populi linguae anteponendo, legatur in primis Cl. Mahnii Praefat. ad Epicr. Biblioth. Crit. et Epp. Sodal. Philom. p. 319—331. Nec negligatur dudum antea scripta (sive Burmanni, sive D'Orvillii) Praefatio ad Miscell. Obss. Crit. Belg. Vol. I. Tom. I.

(†) Elog. Hemst. p. 46.

Graecarum perito jam non opus esse dicant. Quae voces ab insigniorine stupore dicam, an superbia profectae, non longe abfuerunt quin optimum juvenem, secum in errorem tractum, a recta studiorum via deducerent, nisi cum sua ipse naturae bonitate victus, tum salubri Heynii consilio obsecutus, turpe sibi judicasset, in Graecis jam egregie versato, in Latinis, altera Literarum parte, non parum cedere tironibus, ipso longe doctioribus (*).

Quae cum ita sint, quis est qui neget, sapienter a majoribus constitutas esse *Scholas Latinas*, quibus esset ab eo ipso nomen impositum, quod Latinae elementis linguae, veluti graviorum Doctrinarum initiis praeparati, ac deinceps Graecis imbuti sacris, tandem ad interiora ac perfectiora verae eruditionis mysteria traducerentur? Quis est qui putet, Hemsterhusium, Ruhnkenium, Wyttenbachium, conspicuos doctrina et gravitate viros, *Latinas* illas scholas publica auctoritate in *Graecas*, ut ita dicam, reformandas censuisse, quibus illud tandem efficeretur, ut, qui sibi Graece perdocti viderentur, essent multi; qui probabilem Latinitatis rationem tenerent, nulli. Imo vero, ut illi graviter improbarunt pravam ac perversam aetatis suae consuetudinem, qua in plerisque Scholis Latinis Graecae prorsus negligebantur Literae, aut certe earum vix prima elementa pueris tradebantur; ita contra noluerunt, ut delatis Graeco sermoni primis partibus, Latinus extra usum poneretur. Quid ergo voluerunt? Nempe hoc:

(*) Vid. Praef. ad Sel. Hist. Gr. p. xxxv. et Vita Wyttenb. p. 80 sq.

hoc: ita conjungi utriusque elementa Linguae, ut simulac prima Latinae Linguae elementa Grammatica percepissent pueri, et Latine satis bene intelligere didicissent, statim ad Graeca traducti, utrorumque studia per reliquum scholasticae institutionis cursum porro conjunctim colerent, camdemque sibi, certe non multo minorem Graecae, quam Latinae linguae peritiam compararent. Eos vero, qui ex inferioribus ad superiores scholas migrantes, Graecis ac Latinis Literis porro operam navare decrevissent, insuper hoc agere voluerunt, ut repetitis puerilis institutionis elementis, iisque contrario ordine institutis, in Scriptoribus legendis a Graecis ad Latinos, ab ingeniorum principe Homero ad postremae usque aetatis scriptores, deinceps atque ordine procederent. Haec regia illa est et unica via, qua suus utrique Humaniorum Literarum parti honos constet ac pretium. Hac illi incesserunt via, qui, ante hos ducentos et quod excurrit annos, Literarum non modo statores et vindices, sed etiam principes ac duces in omni doctrinae genere et olim habiti sunt, et ad hunc usque diem habentur triumviri, *Scaliger*, *Casaubonus*, *Salmasius*. Hac, illorum vestigia secuti, *Hemsterhusius* ejusque alumni, *Valckenaerius* et *Ruhnkenius*, aut pares illis, aut fortasse adeo superiores exstiterunt. Hanc, etsi alia quadam ratione, primum ingressus *Wyttenbachius*, ac strenue persecutus, ad eamdem, atque haud scio an ad majorem, cum omnis elegantis accuratae que doctrinae, tum facilis certe ac perspicuae Latinitatis, laudem pervenire potuit. Hanc ille discipulis et voce monstrare, et suo ipse exemplo praeire solebat. Hanc ubi tenueris et secutus fueris, omnia plana ac facilia; sin contra feceris, obscura impedi-

taque videbuntur. Nos igitur, Hemsterhusiorum similiumque virorum exemplo, ut ipsis illorum verbis huic disputationi finis imponatur, *nos igitur*, inquam, *omnibus modis bene a majoribus constitutam rationem, qua utriusque linguae studium conjungatur, tucamur, ab eaque non semel descitum esse, vehementer dolentes*, ne et ipsi aliquando, nostra fortasse culpa, ab eâdem desciscamus, quoad ejus fieri potest, si sapere velimus, caveamus ac prospiciamus.

P. 33. *Ne studium ad solos Poëtas adhaeresceret, neve — ad prosae orationis Scriptores traduci nequiret, cet.*] De conjungenda utriusque, tam ligatae, quam solutae, orationis scriptorum lectione dixit Wyttenbachius in Praef. ad Sel. Princ. Hist. loco allato in Vit. Wyttenb. p. 136.

P. 36. *Nodum in scirpo quaereret*] id est, difficultatem quaereret, ubi nulla esset. *Scirpus* est juncus, qui nullos nodos habet: Vid. Festus in voce. Habent proverbium Ennius p. 136. ed. Hessel. Plautus Menaechm. II, 1, 21. Terent. Andr. V, 4, 38. ubi Ruhnkenius obiter monuit: Lindeman. ad h. l. Erasmus Adag. p. 158.

P. 37. *Ut in proverbio est, canis è Nilo bibit:*] id est, obiter tantum attigit, ut solent canes in Aegypto cursim ac praetereuntes de Nili aquis lambere, metu crocodilorum, testibus Aeliano Hist. Anim. VI, 53. Var. Hist. I, 4. Plinio Hist. Nat. VIII. 40. Cf. Phaedrus Fab. I, 25. Macrobius, Saturn. II. 2. Erasmus Adag. p. 239 et 364. Interpretes ad Scriptores laudatos.

P. 39. *Gesnerus et Ernestus antiquos scriptores — assidue legebant: sed parum annotabant, forte aliarum*

rum occupationum multitudine impediti:] De Ernesto habemus Ruhnkenii testimonium, infra p. 115: nec mirabitur qui meminerit, quot et quam varii argumenti, Theologici, Philosophi, Literarii, scripta ediderit. De se ipse Gesnerus in Epist. ad Moshem. p. 25 sq. „Tanto" inquit „me oportet magis circumspecte „agere, quod ab adolescentia inde, hoc est, ab eo „tempore, ubi potuissem per aetatem thesauros mi„hi colligere, aliis laboribus ita distractus sum, ut „satis habere cogerer, si unum itemque alterum li„brum bonum liceret mihi cognoscere, de excer„pendis autem et colligendis aliquando profuturis „cogitare non possem. Illud adeo tempus, quod „in Vinariensis Bibliothecae cura mihi jucundissime „transactum est, in catalogo potius octo spissorum „voluminum texendo, quam in congerendis, quae „mihi usui essent, consumsi, sperans hoc ipso ca„talogo me aliquando pro collectaneis usurum." Quae ideo hîc adscripsimus, ut ne quis, quod nonnunquam accidit, Wyttenbachii in rebus ad eruditos externorum, praesertim Germanorum, viros pertinentibus aut fidem desideraret, aut judicium contemneret. Cf. Philomath. L. III. p. 144 sq.

P. 39. *Forte — impediti*] Pro *forte* dicendum *fortasse* judicat Lindemannus; nam *forte* in conjectura locum nusquam habere, nisi in formulis *si forte*, *nisi forte*, *ne forte:* eandem admonitionem repetens infra p. 81. ad locum Ernesti e Praef. ad Callim. *erunt forte*, *qui — velint:* quem, auctore Matthiaeo ad Eloq. Lat. Exempla p. 220., sic saepe errasse scribit: item ad Elog. Meermann. p. 255. ac supra jam dederat ad Ep. Bentl. p. 112 et 100. laudato Wolfio Anal. Litt. P. IV. p. 331. Juvat

hâc

hâc opportunitate in istarum particularum originem, significationem, usum, aliquanto diligentius inquirere. Omnibus igitur communis origo est a nomine *fors*, quo significatur quae Graecis τύχη dicitur, id est, casus vel eventus in utramque partem, modo prosper, modo adversus. Dubia ista significatione legitur apud Virgilium Aen. XII, 712: FORS *et* VIRTUS *miscentur in unum*. Livium I, 40: FORTE *quadam an* DIVINITUS. et Vellejum Paterc. II, 66, 5: *vel* FORTE, *vel* PROVIDENTIA. Solebant enim Veteres *fortem* vel *fortunam*, τὴν τύχην, de incertis casibus positam, opponere iis quae a certa ratione sive divina sive humana, id est, aut ab hominum *prudentia*, aut a deorum nutu ac *providentia*, προνοίᾳ, penderent. Qua de re, ne nunc alios testes excitemus, exstat Mureti animadversio ad Ciceronis Catil. Opp. Tom. II. p. 552 sqq. Istud autem *fors*, ad imitationem Graeci τάχα, primaria origine ac significatione conjunctum, ut videtur, cum τύχη, ac saepius pro ἴσως usurpati, deinde abiit in particulam, incertam quamvis ac dubiam, vel et certa demum conditione futuram actionem, significantem. De Graeco τάχα passim Grammatici monuerunt; et nos obiter eam significationem attigimus ad Isocr. Areop. p. 178. Latini *fors* ita positi exempla praebet Virgilius, Aen. V, 232: *et* FORS *aequatis cepissent praemia rostris, ni*, cet. i. e. *fortasse*, fieri potuisset ut caperent, nisi cet. et XI, 50. *fors et vota facit*, i. e. fieri potest ut etiam vota fecerit: quae quidem inde enotare non neglexerunt e Veteribus Charisius L. II. p. 165. et Priscianus XV. p. 1815. At longe frequentius eadem significatione ponitur Ablativus *forte*, i. e. *casu*, fortunâ,

τύ-

τύχῃ τινι, ut apud Liv. I, 4: *forte evenit*, *ut*, id est, casu quodam accidit ut: unde eodem sensu ducuntur, cum pleonasticae locutiones *fors fortuna*, Terent. Hec. III, 3, 26. et *forte fortuna*, Eun. I, 2, 54. et Cicero de Div. II. 7. tum notissimae formulae *si forte*, *ni forte*, *ne forte*, pro *si*, *ni*, *ne casu quodam accidat ut* cet. Conjunguntur etiam *forte temere*, Terent. Phorm. V, 1, 30, ubi Ruhnkenio laudatur J. F. Gronovius ad Livium X, 43. idem quoque videndus in Notis ad Terent. p. 208. Jam vero, quemadmodum Graeci solent cum suo *τάχα* conjungere dubitantem vel optantem particulam *ἂν*, dicentes *τάχ' ἂν*, sequente plerumque Optativo; similiter Latini, quo evidentior esset incertus rei eventus, praecedenti Nominativo *fors* subjecerunt terminationem *an*. Hinc una voce ortum est *forsan*, poëtis et proprium, et relinquendum. Virgilius Aen. I, 203, *forsan et haec olim meminisse juvabit:* Graece dixeris: *τάχ' ἄν ποτε καὶ τούτων μεμνῆσθαι θέλοις*· quo sensu Euripides, cujus locum Latine vertit Cicero de Fin. II, 32. dixit in fragmento apud Stobaeum, Floril. p. 200: *ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.* Ab eodem *fors*, sequente Conjunctivo *sit*, factum est *forsit*, quo utitur Horatius Sat. I, 6, 49. indeque, addita quam diximus terminatione *an*, productum est *forsitan*, ac si Graece dixeris *τάχ' ἂν εἴη*, id est *τύχῃ ἂν εἴη*, *fortuna* vel *casus esse possit*, *fieri possit ut*, tam poëtis usitatum, ut Virgilio Aen. II, 507; quam prosae orationis scriptori Ciceroni de Offic. III, 6: *forsitan quispiam dixerit*, *τάχ' ἄν τις εἴποι*, ut frequenter Graeci initio sententiae vel periodi. Superest *fortasse*, de cujus origine, ut quae sit sententia nostra intelligatur, primum notan-

tandus est perversus nonnullorum error, quo pro *forte* perperam scribunt *fortean*; partim recte, ut *forsan*, sic etiam *forte an* exstitisse, ipsi fortasse inscii significantes: partim secus, cum Euandri matre, ut ajunt, ἀρχαΐζειν malentes, quam aetatis suae, antiquata ista fastidientis, rationem ducere. Ab isto igitur *forte an*, addito infinitivo *esse*, factum videtur *forte an esse*, deinde contractum *forteasse* ac *fortasse*, quod ad significationem attinet, elliptice dictum pro *forte esse possit ut*, vel et ita interpretandum ex usu Graecae particulae ἂν, respondentis Latino *possit*. Terent. Heaut. III, 4, 37: *Tu fortasse, quid me fiat, parvi pendis*, i. e. fieri potest ut tu parvi pendas. Mittimus alia, e Lexicis facile petenda. Pro isto autem *fortasse* alia dicitur terminatione *fortassis*, probae item notae scriptoribus usurpatum, veluti Plauto Bach. IV, 4, 20. Ciceroni Ep. ad Div. II, 16. dissentientibus tamen exemplaribus: Plinio Hist. Nat. II. 20. probabili illud conjecturâ natum ex *forte an sis*, *forteassis*, *fortassis*. Denique, ut a *fors forsan*, sic a *fortasse*, altero addito *an*, formatum est *fortassean*, quo, ad exemplum antiquorum, Varronis de Re Rust. III, 6. et III, 16, 10. Sisennae apud Nonium II, 101. usi sunt posterioris aetatis scriptores Gellius N. A. XI, 9. et Appulejus, ad cujus Metam. vid. Oudendorpius T. I. p. 338, *a*. Quae quidem omnia hactenus, copiosius fortasse, quam pro hujus loci instituto, disputata, planum faciunt, ni fallor, unam eamdemque esse diversarum istarum particularum originem, nec multum adeo diversam significationem; nisi quod *forte* ponatur pro *casu*; reliquae vero, *fors*, *forsan*, *forsitan*, *fortasse*, *fortassis*, *fortassean*, vim habeant omnes plenae dictionis

nis *fors sit*, i. e. casus sit, fieri potest ut. Cf. Schellerus Praecept. Stili Lat. p. 68. Quamobrem, ad earumdem usum quod attinet, etsi fieri potest, ut, ad propriam singularum significationem accommodate, vulgo ita distinxerint veteres; nolimus tamen temere assentiri affirmantibus, *forte* in conjectura *nusquam* locum habere, id est, nusquam pro *fortasse* poni: siquidem vidimus, usurpari eo sensu cum Graecorum τάχα, tum Latinum *fors*, tum vero ipsum illud *forte* postpositum particulis *si*, *ni*, *ne:* praesertim cum, nisi allatis comparatisque omnibus, quoad ejus fieri potest, scriptorum locis, ubi *forte* legitur, istud *nusquam* parum habeat auctoritatis. Quod quamdiu factum non erit, nos quidem hac reprehensione eximendos censemus, Ernestum, Wyttenbachium, Ruhnkenium aliosque principes in Latinitate viros, qui, quid postulet linguae ratio et usus, longe profecto et acutius perspexerunt et fidelius tenuerunt, quam eorum quisquam, qui illis nunc scribendi legem ponere audacius quam aequius cupiunt.

P. 41. *Duabus Epistolis Criticis: altera de Homero et Hesiodo, ad Valckenarium —: altera de Callimacho et Apollonio Rhodio, biennio postea, ad Ernestum*] Alteram, a. 1749 editam, ad Valckenaerium misit, adjunctis literis, quas brevi in lucem prodituras esse speramus: ad alteram Ernesto inscriptam, a. 1751. pertinet Epistola primum a Tittmanno edita p. 11. postea in Opusc. Ruhnk. repetita T. II. p. 824. Vid. quae pluribus diximus in Praefat. p. XIII sq. Addatur, si tanti videatur, in priorem Ep. Crit. Bernardi animadversio in Epistolis ad Reiskium, hujus Vitae subjectis p. 322, 563 et sq.

Ibid.

Ibid. *Iliadis libro vigesimo secundo, qui separatim ab eo (Valckenario) editus est*] Cum vetustis Porphyrii scholiis, e Codice Bibliothecae Lugduno-Batavae Vossiano ductis, ac Dissertatione de Scholiis in Homerum ineditis, Leovardiae 1747. Libellus plerumque adjectus reperitur Fulvii Ursini Virgilio cum Graecis collato, quem, praemissâ *exquisitae doctrinae plena* (judice Ruhnkenio Opusc. T. II. p. 820) ad M. Roeverum Epistolâ, emendatius repetiit Valckenaerius eodem loco ac tempore.

P. 42. *Labe — quam Graeci τὸ φορτικὸν, Latini molestum — vocant; quo significatur quidquid nimis est quaesitum, coactum, affectatum, frigidum, tortuosum, implicatum, ingratum:*] *Coactum*, quod hoc sensu apud Gellium legitur, I, 3. et XVI, 14. ubique cum adverbio *nimis* conjungendum censens Lindemannus, non vidit, hoc quoque loco, initio sententiae positum *nimis*, ad reliqua, quae deinceps sequuntur, omnia pertinere, ergo etiam ad *coactum*. Est autem elegans, ubi de vitiis agitur, adverbii *nimis* pleonasmus, de quo docte disputavit Cl. Mahnius in Annot. ad Dial. Critonem p. 111.

P, 43. *Joanni Albertio — in — Hesychii editione haud contemnendam praestabat operam*] Testes sunt cum Ruhnkenii ad Albertium duae Epistolae, Opusc. T. II. p. 877 — 883. et quae passim Rittero scripsit, ibid. p. 783, 788, 790 sq. alibi: tum vero etiam quae ex Albertii Praefatione retulimus in Addendis p. 1034.

Ibid. *Eumdem gravi morbo afflictum, restituendae valitudini fontes Spadanos petentem, eo comitatus est*] De hoc itinere scribit Ruhnkenius in Dedicatione Timaei, Opusc. T. I. p. 74 sq. et II. p. 660.

Ad-

Addatur Praef. ad Hesych. ibid. p. 186 sq. et conf. Bernardus ad Reiskium p. 401.

P. 44. *Jurisprudentiae studium, cui non solum communiter cum alumno et contubernali suo operam dabat ventitando quotidie in scholas Professorum, traditisque domi commentando, sed suo ipse consilio peculiarem laborem diligentiamque impendebat.*] Alumnus ille, de quo hic et modo ante agitur, Meermannus est minor, Gerardi frater, ut constat ex iis quae diximus supra ad p. 21. Jurisprudentiae studium quale fuerit, distinctius intelligitur ex iis quae scripsit a. 1745. Ruhnkenius Wilpio, studiorum suorum ei reddens rationem, Opusc. T. II. p. 873: „Interim in hac Academia horas subsecivas *Constantini Harmenopuli Graeco Promtuario Juris Romani* emendando et illustrando dicavi, invitatus ad id „cum MSS. quae Bibliotheca publica asservat copia, tum vero magni Hemsterhusii mei voluntate." ac triennio post Rittero, ibid. p. 769: „Ex hoc thesauro (loquitur de Biblioth. Publica) potiora *Constantino Harmenopulo* ornamenta depromsi; „cujus ego πρόχειρον νόμων, cum plurimis MSS. et „Basilicis, horumque synopsi collatum, indies magis „ac magis perpolio, ut aliquando digni quid et Tua, „mi Rittere, et ceterorum doctorum disciplina edere possim." Sed propositum, diu frustra exspectatis Cujacii castigationibus ineditis, effectu caruit. Fuit autem Harmenopulus scriptor seculi XIV. quem postea sibi tractandum sumsit G. O. Reitzius, cujus demum post obitum, curante filio C. C. Reitzio, tandem prodiit editio, inserta Supplemento Novi Thesauri Juris Civilis Meermanniano, cum a Ruhnkenio

quidem, praeter Falckenburgii notas et conjecturas, nil in eam collatum videatur. Qua de re legatur cum ipsius G. Meermanni, Supplementum illud promittentis, relatio in Diario Eruditorum (*Journal des Savans*) A. 1770. mens. Febr. p. 562 — 565. tum Jo. Meermanni, qui illud mortuo patre edidit a. 1780, Praefatio p. VI. et cf. Praefatio Opusc. p. XI sq. Ceterum, eodem circiter tempore repetendas curavit, docti Germani, JO. RICHEJI *Vindicias Praetoris Romani et Juris Honorarii*, Lugd. Bat. 1748. cum Praefatione a se scripta, quam retulimus Opusc. T. II. p. 915 sqq. Rittero item insigniter profuit in edendis aut repetendis compluribus operibus, veluti Heineccii Historia Juris Romani et Germanici, quae cum Ritteri notis, prodiit Lugd. Bat. a. 1748. auspice Ruhnkenio, cujus legantur Epp. ad Ritter. l. c. p. 771, 781 sq. 789 sq. et 917. Cum eodem egit de Historia Praefecturae Praetorianae, ibid. p. 794 et 865. in primisque de Schultingii Jurisprudentia Ante-Justinianea novâ luce donanda, ibid. p. 778, 791, 795, 799, 812. quae res exitu caruit. Reitzio denique, Theophili Paraphrasin Graecam Justinianarum Institutionum edenti, nonnulla suppeditavit, ipso fatente in Ep. ad Ritter. p. 772. In universo autem Juris studio ducem sequebatur Gerlacum Scheltingam, Schultingii discipulum, tunc temporis in hac Academia Jurisprudentiae primas tenentem: quem quanti fecerit cum aliunde patet, ex Epp. l. c. p. 768, 777, et 873, tum postea videbimus. Cf. Te Wateri saepius laudata Narrat. p. 217.

P. 44. *Traditisque domi commentando*] Operarum error, e principe editione, in hanc item migravit. Wyttenbachius scripsit, aut certe scribere vo-

voluit, *traditasque* (scholas) *domi commentando*, ut modo ante *ventitando — in scholas*. Poterat etiam scribi *traditis — commentandis*. Sed illud hoc quidem loco malebat orationis perspicuitas.

P. 45. *Drakenborchius*] Livii editor, Oratione funebri laudatus ab Jo. Oosterdyk Schacht, Traj. ad Rhen. 1748, formâ quartâ. Cf. Saxius, V. Cl., Onom. Liter. P. VI. p. 73.

Ibid. *Dukerus*] C. A. Dukerus cognitus in primis egregia Thucydidis Graeci scriptoris, et Flori Latini, editione. De illa cf. Wyttenbachii Praef. ad Sel. Hist. Gr. p. XXII. Vid. Saxius l. c. P. VI. p. 267. ejusdemque peculiaris Laudatio Dukeri, huic parti, nonnullis certe ejus exemplaribus, Corollarii loco adnexa. Cf. C. G. Hauboldi Institut. Juris Rom. Literariae, Part. I. Sect. IV. n. CCXLVII. Tom. I. p. 197.

Ibid. *Wesselingius*] non minus Historiae, quam Critices scientia excellens. Praeter classica loca Elogii Hemsterh. supra p. 60. et hujus libri infra p. 85 sq. et 97. vid. Viri Elogium, Latinum in Vriemoetii Athenis Fris. p. 791 — 793. Gallicum in Biblioth. des Sciences et des beaux Arts Tom. XXII. Part. II. p. 496 — 501. item Saxius l. c. p. 419 sq. Addatur obiter facta mentio in Ruhnken. Diss. de Antiph. Opusc. T. I. p. 145.

Ibid. *Saxius*] Vir in omni Antiquitatis et Historiae scientia primarius, cujus laudes, quousque humanitatis nostrae fines patent, ab omnibus celebrantur, judice Wyttenbachio Opusc. Vol. II. p. 214. ex Biblioth. Crit. P. XII. p. 94. cujus item conf. P. XII. p. 154 sq. Quanti porro Saxium fecerit Wyttenbachius, merito illum *Literarum Nestorem*

vocans, ipsius testatur annotatio infra ad p. 165. de quâ cf. Mahnius Epicr. Biblioth. Crit. p. 8.

P. 45. *Dorvillium*] Legatur P. Burmanni, minoris, Oratio Funebris in obitum Jac. Philippi D'Orville, Amstelodami primum edita a. 1751. formâ quartâ, ac postea repetita in D'Orvillii Siculis, item Burmanni curâ in lucem emissis a. 1764. Saxio laudata l. c. p. 346.

Ibid. *Valckenaerium, Burmannum Secundum, — Schraderum*] De illis postea videbimus. Schraderi Laudationem funebrem habuit Cl. E. Wassenberghius, Franeq. 1784. obiter item nuper meminit in Oratione Eucharistica Leovard. 1821. p. 16. Addatur Wyttenbachius Opusc. T. I. p. 182. ex Bibl. Cr. P. VIII. p. 142. et Saxius P. VII. p. 52. De juvene quale fuerit Ruhnkenii judicium, declarant haec ejus verba ex Ep. ad Ern. Opusc. T. II. p. 849. „Jo. Schra- „ derus, juvenis sagacissimus et tritus Latinorum „ poëtarum lectione, Animadversionum libros prelo „ subjecit." Juvenalem et Persium editurus dicitur, ibid. p. 777.

Ibid. *Lennepium*] Jo. Dan. Lennepius, Hemsterhusianae disciplinae alumnus in paucis egregius, secundum Valckenaerium, cujus videatur Praefatio ad Lennepii Phalaridea, indeque relata a Wyttenbachio in Bibl. Crit. l. c. in Praef. Opusc. Ruhnk. p. LVI.

Ibid. *In Valckenarii schola jam succrescebat Piersonus, cui instabat Koenius*] *Succrescebat*, id est, sensim ac paulatim increscebat, pedetentim planeque, ut in Graecorum proverbio est, βραδέως σπεύδων, ad magistri in Literis praestantiam festinabat: quae vis est praepositionum ὑπὸ et *sub*, tam in Graecis ὑποβλαστάνειν, ὑποφύεσθαι, aliis, quam in Latino

suc-

succrescere, quod proprie de plantis dicitur ab imo, id est a radice, in altum crescentibus, ut apud Ovidium Metamorph. IX, 352. de Dryope in arborem mutata: *succrescit ab imo Totaque paulatim lentus premit inguina cortex*; translate autem, notione ab hoc Wyttenbachii loco non plane diversâ, legitur apud Ciceronem de Orat. III, 61: *non enim ille mediocris orator vestrae quasi succrescit aetati*, i. e. increscit ad oratorum vestrae aetatis praestantiam; et Livium, X, 13: *et se gloriae seniorum subcrevisse, et ad suam gloriam consurgentes alios laetum adspicere.* Haec et alia loca Facciolatus attulit in voce. Nos obiter monemus, ne quis de Scioppii, Infam. Fam. p. 31. admonitione, etsi per se probanda, Wyttenbachio scribendum fuisse judicet *increscebat*, quum contra huic loco aptius videatur *succrescere*, quo similiter usus est Cl. Mahnius in Dial. Critone Ann. p. 114. et Vitae Wyttenb. p. 4. Jo. Piersono autem, doctissimo Verisimilium Criticorum (de quibus, iniqua Reiskii censurâ vexatis, conf. Ruhnken. Ep. ad Ern. Opusc. T. II. p. 824 et 833.) scriptori, itemque Moeridis Atticistae editori, ita in spem magistri succrescenti *instabat*, id est praeeuntem proxime subsequebatur, septem annis illo minor natu G. Koenius, JCtus, ejusdem Literarum laudis aemulus, Gregorii Corinthii de Dialectis editor, de quo obiter Ruhnken. ibid. p. 845. At neuter illorum ad optatum exitum pervenit, uterque immatura morte raptus, Piersonus anno superioris seculi LIX, aetatis XXIX, Koenius item anno LXVII, aetatis vix XXX exacto, ut scribit amantissimorum discipulorum memor Valckenaerius in Diatr. Eurip. p. 231, C. et 232, A. servatis nonnullis schedarum Piersoni MStarum reli-

quiis, ibid. p. 156, C. 159, B. 172, C. 203, C. Addatur Saxius Onom. P. VII. p. 174 et 211. de Piersoni laudibus teste usus Ruhnkenio ad Timaeum p. 259. edit. prioris. Koenium defunctum laudavit H. Cannegieterus; ejusque memoriam, fere intermortuam, revocavit Consult. J. Scheltema (*).

Ibid. *Clari — Literarum scientia, Jureconsulti Röverus et Bondamus*] Matthias Röverus, Delphis Batavorum natus, ejusdem urbis civis obiit hujus seculi anno tertio, relicta praestantissima Bibliotheca, cujus Catalogum confecit Amplissimae dignitatis vir, idemque totius rei Literariae peritissimus, et nunc insigni studiorum Humanitatis emolumento Academiae Lugduno-Batavae curandae QuinqueViris adscriptus, B. P. van Wesele Scholten, praemissa eleganti ac docta Praefatione, in quâ de Röveri, avunculi, rebus breviter ac dilucide exposuit: unde retulit Wyttenbachius Biblioth. Crit. P. XI. p. 163 sqq. De P. Bondamo, qui item senex, et Academiae Trajectinae ornamentum, obiit a. 1800, ab eoque destinatâ Putschii Grammaticis Latinis operâ, cujus operae, nunquam ad finem perductae, Apparatus in Bibliothecam nostram Publicam postea pervenit, praeter Saxium l. c. P. VIII. p. 97 sqq. vid. Cl. J. G. Te Wateri Narr. de Reb. Acad. L. B. Sec. XVIII. p. 50. et cf. ipsius Bondami Ep. ad Reisk. p. 518 sqq.

Ibid. *Medici, Bernardus et Heringa*] Jo Steph. Bernardus, Medicus Amstelodamensis, de cujus meritis in primis cf. E. Wassenberghius in Mnemosyn. P. VIII. p. 342 sq. cum aliis inclaruit scriptis erudi-

(*) In Diario vernaculo, *Schouwburg van in- en uitlandsche Letter- en Huishoudk.* 1805. N. 5. p. 92—98.

ditis, tum notissima Thomae Magistri editione, de qua agitur infra p. 53. et supra diximus ad Elog. Hemst. p. 64. Alterum, Adrianum Heringam, Leovardiensem, *recti in his literis judicii virum* publice laudabat ad Timaeum p. 169. Ruhnkenius, cujus elogio utitur Saxius Onom. P. VII. p. 140. Observationum Criticarum librum singularem, in quo multi veteres Scriptores, Graeci maxime, emendantur, edidit Leovardiae a. 1749. De quo in literis ad Valckenaerium, brevi, ut speramus, a Cl. Mahnio edendis, haec scripsit Ruhnkenius: „ Heringam merito suo magni facio. Observationibus ejus legendis mirifice capior; quamvis neque Hemsterhusii, neque Alberti, neque (si id addere liceat) meae exspectationi plane satisfecerint." Paucis de iisdem egit Bernardus ad Reiskium p. 354. *novum Observationum fasciculum* parare eum significans, ibid. p. 379. Idem Glossas Hippocrateas commentaturus, ut est infra p. 53. novam item parabat Geographorum Minorum Hudsoni editionem, cujus, ut reliqua omnia, morte viri interceptae, mentionem fecit Ruhnken. Opusc. II. p. 777 et 796. at cui argumenti ratione similes exstant illius Observationes in Stephani Byzantini Ethnica, proditae in Miscell. Observ. Belg. Nov. T. VIII. p. 927 — 958. et T. IX. p. 961 — 976.

Ibid. *Gymnasiorum Rectores*, *Zwollani Abreschius*, *Delphensis Hoogeveenius*] Fred. Ludov. Abreschius, auctor Animadversionum in Aristaenetum, Aeschylum et Thucydidem, Dilucidationum nomine inscriptarum, quorsum respiciens festive ac per jocum scripsit Ernesto Ruhnkenius p. 849: *Abreschium a Graecis scriptoribus obscurandis se ad Latinos convertisse.* Cf.

Saxius P. VII. p. 59. Henr. Hoogevenius, cognitus praeclaro opere Doctrinae Particularum Ling. Graecae, et exquisitis ad F. Vigerum de Idiotismis libellum animadversionibus, quae verae accurataeque doctrinae studiosum neminem latere debent: vid. ejus Vita in Harlesii Vitis Philol. Vol. IV. p. 114 — 183. et Saxius l. c. P. VIII. p. 47. ibique laudati.

P. 46. *Temporum — adversitatem*] Optime in paronomasia respondet sequenti *hominum perversitatem:* quae ratio, etiamsi non haberemus Plinii locum Hist. Nat. XI, 25, vel sola sufficiat ad defendendam, certe excusandam, rariorem dictionem *temporum adversitas*: in qua tamen nihil est, quod sive cum Linguae analogia pugnet, sive cum singulorum vocabulorum usu ac significatione. Nam primum notae probitatis phrases sunt *res adversae*, *casus adversi*, de calamitatibus: vid. Cicero de Offic. I. 26. Deinde substantivi locum nonnunquam tenent *adversum* et *adversa*, ut apud Cicer. Brut. 4. Terent. Hec. III, 3, 28. Plin. Paneg. 31. Tacit. Annal. 1, 1, cujus ibi est *adversa temporum*, id est, ut h. l. scripsit Wyttenbachius, *adversitas*. Denique, ut alia taceam, similiter *temporum varietas* legitur apud Cicer. ad Div. VI, 6. Cf. ad h. l. Lindem.

P. 47. *Arnaldum, à Literis ad Jurisprudentiam profectum, immatura morte his terris ereptum*] Obiit optimae spei juvenis, G. Arnaldus, Jurisprudentiae Professor Franequeranus, anno superioris seculi XL, aetatis nondum completo XXIX. Praeter laudatam Hemsterhusii Orationem funebrem, editam in Hemsterh. et Valckenaerii Oratt. p. 157 sqq. vid. Vriemoet. Athen. Fris. p. 832 sqq. Saxius Onom. Lit. P. VI, p. 430. Hauboldus l. c. n. CCLVII. p. 204. Ibid.

Ibid. *Bachium — nisi longiorem ei vitam fata invidissent*] Obiit ejusdem seculi anno LVIII, aetatis XXXVII. Elogium ejus scripsit F. Platnerus, editum Lipsiae, 1759. repetitum in Bachii Opusculis, a Klotzio collectis, Halae 1767. Saxii errorem l. l. P. VII. p. 92. correxit Hauboldus l. c. n. CCXXX. p. 183 sq. cui addatur Hugo, Elem. Hist. Juris Rom. post Justin. §. 400. p. 476. ed. sec. Jurisprudentiae insigne decus, in primis inclaruit egregia Jurisprudentiae Romanae Historia, quae ab ipso primum in lucem emissa Halae, 1754. aliorum deinceps accessionibus locupletata ac saepius repetita, classicum in eo genere ad hunc usque diem opus merito habetur. Doctrinae elegantiam probaverat antea commentando Xenophontis Oeconomico, minoribusque Opusculis, Lips. 1749. docta et accurata animadversionis dote germanum sese Ernesti discipulum praestans, ac porro magis etiam praestiturus, si per vitam ei licuisset ad eamdem rationem integrum tractare Xenophontem, cui illum edendo aptum judicabat, sperans ut *magnum aliquod et duraturum ingenii sui conderet monumentum*, idoneus auctor Ruhnkenius Ep. ad Ern. V. Opusc. T. II. p. 817. Verum *Dîs aliter visum.*

Ibid. *Ruhnkenius vetus Jurisprudentiae studium — longo intervallo intermissum repetivit*] Ista *longi intervalli intermissio* quomodo accipienda sit, apparet ex iis quae de Harmenopuli edendi proposito supra diximus ad p. 44. Nimirum ita, non ut Juris studium penitus deposuerit, sed ut praecipuam ei operam non tribuerit, destinatam elegantioribus Musis: quarum dum religiosissime sacra colebat, tantum abfuit ut severiorem Juris disciplinam traderet oblivioni, ut contra tantum ei potius laboris impende-

ret, quantum vix pauci eorum qui ei unice dediti sunt, in eaque vitae sibi tabernaculum ponere decreverunt; praeceptoris auctoritatem secutus Gerlaci Scheltingae, ipso judice in Praefat. mox laudanda, *summam, qua excellebat, Jurisperitiam Graecis Latinisque Literis mirifice exornantis.* Ergo etiam hac parte *Ruhnkenii adolescentia in exemplum proponenda adolescentibus Batavis*, iisque tam *bonarum Literarum*, quam *Jurisprudentiae studiosis*: quorum neutri alterius ope disciplinae sine gravi detrimento carere possunt, utrisque alterorum studia insigne praestant et adjumentum et ornamentum. Quo magis laetamur esse hodieque, et in hac ipsa adeo ab omni aevo celebrata Musarum sede, qui utriusque studii diligenter et assidue conjungendi discipulis auctores sint et suasores: et esse egregios juvenes, qui, ut nuper etiam vidimus, illustribus progressuum in utroque genere speciminibus edendis, et ad publicam disceptationem proponendis, immortale sui sibi nominis decus ipsi expetant, et avitam patriae laudem, ab Hugone Grotio, ut nomine sic re ipsa magno viro, profectam strenue vindicent ac tueantur.

Ibid. *Thalelaei, Theodori, Stephani, Cyrilli Commentarios Graecos in Tit. Cod. et Dig. de postulando sive de Advocatis et Procuratoribus, Latina interpretatione ac doctis animadversionibus illustratos.*] Editos cum separatim ab eorum auctore Ruhnkenio; tum conjunctim cum aliis similis praestantiae operibus in Illustriss. G. Meermanni Thesauro Juris Civilis, Hagae Comitum 1752, Tom. III et V: tum vero etiam postea repetitos in Basilici Fabrotiani Supplem. Lugd. Bat. 1765. honorifica autem Meermanni, Ruhnkenium *juvenem perquam eruditum* vocan-

cantis, commendatione celebratos in Praefat. Tom. I. Unde qui sint illi *eruditissimi adeo judices*, quorum mox mentionem facit Wyttenbachius, facile intelligitur. Cf. porro Bachius Hist. Jurispr. Rom. L. IV. C. I. §. 7 sqq. Hauboldus l. c. n. CCLXX. p. 212. Hugo l. c. §. 361. p. 422. Ruhnkenianae interpretationis et animadversionis, utpote longioris, neque a Graecae orationis contextu et argumento facile divellendae, ideoque in Opusculorum syllogen a nobis non relatae, tamen speciminis loco retulimus Praefationem T. I. p. 71 sqq. Cf. ibi Praef. nostra p. xiv sq. Ceterum, quam Hemsterhusius spem conceperat, fore ut Ruhnkenius Jurisprudentiae cathedrae imponeretur, eam frustravit eventus. Mortuo enim a. 1754. Vryhoffio, munus ambiit quidem Ruhnkenius, sed Professor creatus fuit Barthol. Sieben, cujus nulla in rem literariam exstabant merita praeter carmen in laudem P. Burmanni: id quod se dolere scripsit Reiskio Bernardus p. 509. Tam parum saepe valuit eruditionis, quamvis haud vulgaris, commendatio.

P. 49. *Critici, cet.*] Consulant ad h. l. tirones utilissimum H. Valesii libellum de Critica, una cum ejusdem Emendationibus et Burmanni animadversionibus editum Amstelodami 1740.

P. 51. *Ita quisque — majoris pretii aestimandus est, ut — artis rationem magis tenet.*] Parum viderunt Matthiaeus et Lindemannus, cum Columella de Re Rust. VI, 27. comparantes, alter Ernesti illa in Dedic. ad Stigliz. p. L: *quo quisque humiliore loco natus est, — ita humilius de Consule Cicerone sentire incipit*; ad Eloq. Lat. Exempl. p. 180: alter haec a Wyttenbachio scripta. En tibi Columellae locum: *ut quaeque est praestantior, ita ubere campo pascitur.* Qui

quam

quam parum cum illorum neutris conveniat, unusquisque facile videt. Nam primum, quas Columella habet particulas *ut — ita*, sequente priorem comparativo *praestantior*, posteriorem positivo *ubere*, earum loco adhibuit Ernestus *quo — ita*, subjecto utrisque comparativo. Deinde, quas ille sibi invicem respondere voluit *ut — ita*, Wyttenbachius contrario ordine maluit *ita — ut*, auctorem secutus, cum in exquisitiore harum particularum collocatione Ciceronem de Offic. I, 15, colendum praecipientem *ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus lenioribus erit ornatus;* tum in usu comparativi Columellam, modo apud eum pro *ubere* legatur *uberiore*, et Quinctilianum, Inst. Or. IX, 4, modo is locus recte sit allatus. Ac quemadmodum, ut ceteroquin bene monuit Lindemannus, cum particulis *quo — eo* vel *hoc* comparativum, contra cum *ut — ita* superlativum conjungere solet Cicero, de Off. I, 19. de Orat. II. 66. alibi: sic ad hanc consuetudinem prorsus accommodate verissimeque infra scripsit Wyttenbachius: *quo plures per illam medii aevi barbariem perierint boni libri, eo majore cum cura ex hoc tanquam naufragio tabulas colligendas esse;* et scripserat supra p. 22: *reliquias sordesque medii aevi — ita quemque certissime abstergere et eluere, ut maxime diligentissimeque pectus limpidissimis Antiquarum literarum fontibus irrigaverit.* Quo in argumento versatur Bakii illa a nobis supra laudata Oratio.

Ibid. *Timaei hic libellus, cet.*] Conferatur cum hujus loci argumento Ruhnkenii Praefatio ad Timaeum repetita Opusc. T. I. p. 78 sqq. unde partim sua desumsit Wyttenbachius.

Ibid.

Ibid. *Seorsim*] Corrigendum, de admonitione Scioppii Infam. Fam. p. 54, aliorumque, *seorsum*, ortum quippe ex pleniore *sevorsum*, pro *seversum*, compositum ex *se*, disjungendi particula, et *versus* vel *versum* : significat ergo *separatim*, *disjunctim*. Eadem est aliorum ratio : ut *advorsus* et *adversus*, *advorsum* et *adversum*; *deorsum* et *deorsus*, ex *devorsus* pro *deversus*. Male positum aliquoties *seorsim* in Bibliotheca Critica, ipse emendari jussit Wyttenbachius in Corrigendis ad calcem Partis extremae; hic item, et infra p. 169. aliisque locis, in altera si quando Editione correcturus.

P. 53. *Valckenaerius — tractaverat Ammonium de Differentiis vocabulorum*] ab ipso editum Lugduni Batavorum 1739. De Piersoni Moeride et Bernardi Thoma Magistro res nota est, cum aliunde, tum ex supra dictis p. 45. Eadem Koenii ratio *Corinthum de Dialectis* edentis, sive potius vero nomine *Gregorium Corinthium*, vel et *Corinthi Episcopum:* ipso judice Koenio in Praefat. p. XII. sq. et Ruhnkenio Ep. ad Ern. VIII. Opusc. T. II. p. 845. De Heringa item supra diximus.

P. 54. *Platonis dictione — et nominata et habita divina*] Vid. Wyttenb. Praef. ad Phaedon. p. VI. Opusc. T. II. p. 92. Ipse Plato, *Philosophorum Deus* celebrari solet: ut supra p. 48. infra p. 55.

P. 55. *Prouti — ita*] id est, quemadmodum — eodem modo. Vid. supra p. 8.

Ibid. *Utramque, ut ita dicam, paginam faciunt*] Proverbialis locutio, ducta tam ex Veterum scribendi more, quam ex Plinii loco Hist. Nat. II, 7. Conf. Erasmi Adag. p. 182.

Ibid.

Ibid. *Prosaici*] Rectius *prosae*, vel et *prosae orationis scriptores*. Saepius ista voce usus Wyttenbachius in Select. Histor. Graec. edit. priore, correxit in posteriore. Est autem *prosa oratio*, quasi *prorsa*, id est *proversa*, in rectum protensa, nullo distinctionis indicio intermissa vel terminata, ideoque continua, perpetua: eique opponitur *versa*, id est, quae certo spatiorum numero circumscripta, denuo ab initio ad finem deinceps decurrit, unde dicuntur *versus*, qui proprie sunt *versi calami* vel *stili ductus*. Vid. egregie disputantem Gronovium Lect. Plautin. p. 137.

P. 56. *Orationis elegantia — ornaret et quasi laetificaret.*] Animadvertatur usus metaphoricus verbi *laetificare*, similis alii *exhilarare*, supra p. 21. infra p. 137. et in Praef. ad Select. Hist. p. xx. id est, adspectu veluti laetum et hilarem reddere. Cicero de Nat. Deor. II. 40: *Sol — quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim laetificat, ut cum coelo hilarata videatur.* Ita Graeci φαιδρὸν πρόσωπον *laetum hilaremve vultum* dicunt, proprie *lucidum*, et verbum φαιδρύνειν, *lucidum reddere, exhilarare.*

P. 58. *Kulenkampio, Goettingensi Professori*,] cognito cum aliunde, tum specimine Etymologici Magni e Codice Gudiano, medio seculo superiore edito: de quo Codice operae pretium est cognoscere Ruhnkenii judicium in Epist. ad Heusinger. Opusc. T. II. p. 886. Etymologicon istud nuper Lipsiae edidit Sturzius.

P. 59. *Quosdem de Hemsterhusio judicantes — eum Luciani editionem deposuisse, quod jam omnem animadversionum materiam consumsisset.*] Quam vana fuerit suspicio ac reprehensio, apparet ex Viri Elogio

gio p. 44, 64—66. et luce clarius patescet ex illius operae Supplementis postumis, Geelii nostri curâ, in lucem nuper emissis.

Ibid. *Doctum quemdam virum Lipsiensem — qui Timaeum et Moeridem — repetiit, omissis Ruhnkenii et Piersoni animadversionibus*] Fischerum, si bene conjicit Lindemannus, significat, qui utrumque conjunctim edidit Grammaticum Lipsiae 1758. Ruhnkenii nil nisi Praefatione retenta: Piersoni Moeridem, qui anno demum 1759 prodiit Lugduni Batavorum, nondum viderat.

P. 61. *Regiomontano Ruhnkenii condiscipulo*] Kantio. Vid. supra p. 10. et quae ibi diximus.

Ibid. *Ad publicum docendi munus provectus*] Minus recte vulgo eo sensu dicitur *promotus* et *promovere*, a Ruhnkenio castigatum ad Muretum, sive Opusc. T. II. p. 751.

Ibid. *Muneris adeptionem*] Sic supra etiam legitur p. 40. Ciceronis est *adeptio boni*, de Fin. II, 13. et *adeptio commodi*, Partit. Or. c. 32. quibus locis, apud Facciolatum et Schellerum allatis, addatur Quinctilianus V, 10, 33. laudatus Lindemanno, recte improbanti barbaram vocem *assecutio*, quae nullam prorsus auctoritatem habet.

P. 61. *Multis Batavae terrae suavitatibus captus, et sua ipse natura cum hominum ingeniis mirifice congruens, perpetuo in ea manere constituerat*] Quae quales intelligendae sint suavitates, luce clarius ostendunt quae supra ad p. 19 et 21. ipsis partim retulimus Ruhnkenii verbis, modo *sese* ajentis *de patria repetenda nunquam cogitare: jam enim*, sociorum Ulyssis instar, λωτὸν φαγεῖν; modo *Regum sese felicitatem cum sua permutare nolle* jactantis: *nihil si-*

sibi deesse, *neque divitiarum*, *neque voluptatis*, *neque honoris : paene fidem superare Batavorum erga se studium;* modo *auream* illam celebrantis *Batavorum libertatem;* modo *nusquam terrarum tantum antiquae probitatis*, *fidei*, *veritatis*, *quantum hic*, *reperiri* affirmantis. Vid. Epp. ad Ritter. Opusc. T. II. p. 773, 779, 867 et 868. item p. 788, 794, 799. ne plura congerantur, in illis ad Ritterum, Ernestum, alios Epistolis passim ubique obvia. Quid autem causae fuerit, quamobrem et ipsi adeo Batavia, et ipse adeo Batavis placuerit, constat ex naturali illa ingenii morumque facilitate, quâ, ut supra legimus p. 29, fere Pamphili Terentiani similis, *facile omnes perferre ac pati* poterat. Quae quidem ipsi propria naturae dos, conjuncta cum quadam ab externo corporis habitu commendatione, ultro ipsi omnium conciliabat favorem : tantumque abest ut vili adulandi studio adscribenda sit, a quo nil magis alienum fuit quam excelsus et generosus Ruhnkenii animus, infra p. 241 sqq. adumbratus; ut ei contra laudi potius ac decori videatur annumeranda. Qua de re, adversus falsas nonnullorum suspiciones, verissime monuit, qui vivam adhuc Ruhnkenii imaginem fideli memoriae impressam servat, venerandus et eruditus senex, idemque Valckenaerianorum ultimus, Ev. Wassenberghius in libro vernaculo, at vetusto Mnemosynes nomini inscripto, Vol. VIII. pag. 318.

Pag. 63. *Luculentiore reditu*] i. e. lautiore, ampliore. Sic infra p. 185. *luculenta captura*, i. e. copiosa. Lindemanni admonitio nititur scriptorum locis a Facciolato laudatis.

Ibid. *Sua sibi — studia*] id est, sua privata studia. Elegantiam dicti tirones animadvertant,

et

et conferant ad Terent. Adelph. V, 8, 35, Gronovii Notas p. 145. et Ruhnkenii Scholia. Vid. et infra p. 146.

Ibid. *Instituendi*] Sunt qui malint *docendi:* sed utrumque, absolute positum, conjunxit Cicero Brut. C. 91: *Molonem — instituendo docendoque prudentissimum.* Alia videbimus infra ad p. 161.

Ibid. *Hujusmodi nil placebat Ruhnkenio*] Nec placere poterat, cum per se probe tenenti illud *nosce te ipsum*, tum de amicorum fortasse admonitionibus intelligenti, sese magisterio scholastico minus aptum esse; idque cum aliis de causis, tum quod recens in has regiones advena nondum satis calleret Batavorum linguam; cui porro hactenus tantum eum assuevisse, quantum satis esset ad quotidianum vitae communis usum, infra legimus p. 138. Ergo neque superbiae illud tribuendum, neque contemtui scholastici ordinis: imo vero modestiae potius ac verecundiae.

P. 64. *Proximo anno* (1755) *Lutetiam Parisiorum profectus est*] Verius: *Eodem anno* 1754. siquidem ipsis Kal. Febr. 1755. scripsit Ernesto, Ep. VII. Opusc. T. II. p. 839, *sese plures jam menses in Gallia haerere:* ita ut sine dubio, post editum anni 1754 mense Majo Timaeum, proxima deinceps aestate, eo profectus esse videatur, quum peregrinandi consilia, jam superiore anno 1753 agitata, adhuc impedivisset Timaei illa commentatio (*). Quod por-

(*) Testis est Bernardus in Ep. ad Reiskium p. 473. Ipse autem Reiskius, posteaquam in literis ad Wesselingium, d. 6. Junii 1754 datis, Ruhnkenii Timaeum prodiisse significaverat, proximis deinde literis, non ita multo postea scriptis: *in procinctu*, inquit, *est Cl. Ruhnkenius itineris Gallici.* Vid. ibid. p. 801 et 803.

porro addit, *sese sub futurae aestatis initium in Bataviam reversurum*, ad ejus *exitum* potius redeundi consilium distulit. Sic enim Reiskio VII. Idus Novemb. 1755. scripsit Wesselingius p. 810: *Ruhnkenius hisce diebus Parisiis Lugdunum revertit, onustus, ut audio, multa rerum elegantium et utilium copia.* Quo pertinent quae legimus infra p. 67: *annum Lutetiae transegisse Ruhnkenium, et incredibile dictu esse, quot tam brevi spatio collegerit ineditos thesauros.* De quibus thesauris, nova identidem sequentium annorum accessione locupletatis, quae paucis diximus in Praefat. Opusc. Ruhnk. p. XVI sq. iis, ni longum foret, multa addi possent. Tot enim tantaeque illorum sunt divitiae, in Biblioth. nostra publica asservatae, ut, quamprimum eas oculis lustraveris, fere obstupefactus haereas. Quam autem mira Ruhnkenium dudum cepisset peregrinandi cupiditas, praeter alia, indicio sunt, quae a. 1747 scripsit Rittero p. 772: *fortasse brevi D'Orvillii sumtibus iter suscipiam in exteras regiones, inde Codd. MSS. et variis lectionibus onustus rediturus.* Quod Ruhnkenii adolescentis consilium, tametsi tunc temporis quidem nondum ad maturitatem perductum, quantopere in exemplum proponendum sit reliquis omnibus adolescentibus, bonarum Literarum studiosis et peregrinari cupientibus, non opus est ut moneamus.

Ibid. *Sancti Germani in Pratis*] Cujus Bibliothecae incendio vastatae calamitas, quam in annot. dubitanter significavit Wyttenbachius, accidit a. 1794. Absumtis eâ magnam partem libris editis, salvi evaserunt Codices MSti, alibi forte repositi, ac deinde cum illorum reliquiis in Bibliothecam Regiam translati: teste ad h. l. Eberto apud Lindemannum.

P. 65. *Hos libros doctis Batavis sponte et gratis venire*] Virgilii locus, Georg. II, 10 sqq. a Lindemanno allatus, huc non plane pertinet. Nam quod ibi *sponte venire* dicuntur arbores, *crescere* significat: hoc autem loco de libris dictum praestat accipere pro *venum exponi*, a verbo *veneo*.

Ibid. *Benedictinorum biblioth., cujus praefectus minus ad gratificandum facilis videbatur.*] Quis fuerit non facile dixerim, nec quaerere nunc vacat: fortasse Bejotius, Capperonnerii postea successor, de quo similia habentur in Vita Wyttenb. p. 104.

P. 66. *Surdis fabulam narremus*] Notum proverbium, de quo Erasmus Adag. p. 322.

P. 68. *Herculem Musageten*] De quo egerunt J. A. Emmrich, de Musarum Hercule, Meiningae 1765. 4°. et Heynius in Comment. Soc. Reg. Scient. Goett. Vol. III. p. xxiii sqq.

P. 70. *Materies et opificia*] Sic pro *materia*, sequente vocali, hiatus evitandi causa scripsit Wyttenbachius: et recte scripsit. Nam quae a Frontone, quem sequitur Lindemannus, fingitur in vocabulis *materia* et *materies* propriae ac translatae significationis differentia, eam nihili esse, vel unicuique Lexica inspicienti facile patebit. *Materies* de ligno navibus fabricandis est apud Cicer. Verr. V. 18. et Virgil. Aen. XI, 328. *Materia docendi*, *scribendi*, cet. frequens est et aliis et Horatio A. P. 138. Huc pertinet Phaedrae illud Ovidianae Hippolyto dictum, Her. IV, 86: *Non sum materia digna perire tua*, i. e. ingenio tuo averso ab amore et ad venandum omnino converso, interprete Facciolato in Voce.

Ibid. *Lutetiam tibi eundum censeo*] Wyttenbachio dictum, qui fecit a. 1775, suadenti Ruhnkenio ob-

secutus: nec minore partim alacritate, partim doctrinae fructu; quippe qui intra *sex* mensium spatium *duodecim* Plutarchi Codices contulerit: ut novimus ex ejus Vita p. 103 sq.

P. 71. *Miretur quis eum (Ruhnkenium) non in sodalitium Academiae Inscriptionum fuisse adscitum*] Atqui contra, adscitum se fuisse, nondum suscepto Lutetiam itinere, ipse a. 1753 scripsit Ernesto, Opusc. T. II. p. 837: „Coepi, inquit, aliquid commentari in „ Marmora vetera, quod inseretur Memoriis Academiae „ Inscriptionum et elegantiorum literarum Parisinae, „ *cui* ante aliquod tempus *socius sum adscriptus*." Cujus repugnantiae causam ex Ruhnkenii, amicos atque adeo etiam Wyttenbachium ista celantis, modestia repetivimus in Praef. Opusc. Ruhnk. p. XVI.

P. 72. *Eos aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere.*] Herodoteum est, I, 8: τὰ ὦτα ἀπιστότερα εἶναι τῶν ὀφθαλμῶν· quod multi multis modis postea imitati sunt: suo item poëtice expressit Horatius, A. P. 180 sq.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus.

Cf. Erasmus Adag. p. 248. Atque huc pertinet istud Ciceronis pro Plancio l. c. *in oculis civium habitare*, Wyttenbachio adhibitum pag. seq.

P. 73. *Magno natu*] Recte, de aetate provectâ, ut praeter alios monuerat Vavassor de vi et usu Verb. p. 561. dudum ante Lindemannum, cui immerito suspectus fuit locus Nepotis Dat. VII, 1: *maximo natu filius*. Nam altero loco Ages. I, 3: *qui maximus natu ex liberis esset*, ubi post *maximus* ex sequenti *liberis* subauditur *filius*, aliter scribere Nepoti nec libuit, nec licuit. Cf. Heusingerus in Indice.

Ibid.

Ibid. *Mense Octobre*] Imo, *mense Majo*, d. XVI. ut ex ipso Orationis constat titulo, relato Opusc. Ruhnk. p. 88; cum quidem ejusdem anni 1757 proxime praecedente mense *Februario*, Ruhnkenio delata fuisset docendi provincia, ut novimus ex datis mense *Martio* Ernesto literis, ibid. p. 846: „ Obtigit „ enim tandem" inquit „ vitae meae studiisque por- „ tus maxime tranquillus et optatus. Namque men- „ se proxime elapso Illustrissimi Academiae Leiden- „ sis Curatores, Hemsterhusii commendatione ad- „ ducti, me publicum *Graecarum literarum Praelec-* „ *torem* (Germani *Professorem extraordinarium* di- „ cunt) proposito satis luculento stipendio crearunt. „ Cessit igitur mihi summus magister, ob aetatem „ ingravescentem, Graecae linguae docendae provin- „ ciam: historiae [*patriae*, nam *universalem* Ou- „ dendorpius tradebat] enarrationem sibi servavit." Monuimus item in Praef. p. XVIII.

P. 74. *Haud dubio*] Wyttenbachio operarum errorem obtrusum esse, suspicatur Lindemannus. Sane aliis locis, ut supra p. 17 et infra p. 81, habet usitatius *haud dubie*, quo sexcentis locis utitur Livius, exceptis tamen XXXIV, 2. et XXVIII, 17. ubi vid. Interpretes. Fortasse discrimen ita statuendum, ut cum conjunctione ponatur adverbium, dicaturque *haud dubie:* cum praepositione Ablativus neuter, *sine dubio.* Fortasse etiam vulgaris formula *haud dubie*, librariorum culpa, nonnunquam irrepsit in locum rarioris *haud dubio;* quae ita certe sese tueri potest, ut accipiatur pro *haud dubio animo:* nam *animus dubius* legitur apud Cicer. pro Leg. Manil. 10. et alibi. Sed de hoc ut facile locum ces-

simus acutae sane Cl. Bossii suspicioni, ita neutram in partem statuimus.

Ibid. *Lucae Evangelio et Actis*] *Paulinae* item *Epistolae ad Galatas*, quarum scholarum exemplar nuper nacti sumus. Illas in *Homerum* nunquam vidimus, ne inter autographa quidem Viri Cl. De Xenophonteis mox videbimus.

P. 75. *Nolebat se continuo extemporali consuetudine committere*] *Extemporali*, id est, ex tempore dicendi: probum, nec tamen Ciceronianum. Vid. Addend. Opusc. Ruhnk. p. 1018. Ceterum hanc Ruhnkenii, de scripto omnia recitantis, religionem ad universum dictatorum dicendorumque argumentum, ad quod domi sese praeparare poterat, pertinere; non item ad alia, quae opportuno loco addenda, ei subinde in mentem venerint; res ipsa loquitur, et nos obiter notamus adversus eos, qui et h. l. Wyttenbachii fidem desiderant. Quis enim adeo illum meticulosum fuisse credat, ut ne verbum quidem nisi de scripto, proferre auderet? Cf. pag. 76 et 96.

Ibid. *Lutulentos — barbariei et inficetiarum sordibus fluere*] Horatianum, de Lucilio poëta, Sat. I, 4, 31. nemini non notum.

P. 77. *Dictata — domi describit*] Sunt qui pro *describere*, tam hic quam supra p. 66 et 67. itemque infra p. 185, malint *rescribere:* quod non necesse est, siquidem alterum eodem sensu habet Cicero ad Div. XII, 17. et Acad. IV, 4. Ex alio genere est Mureti locus T. IV. p. 610, ubi omnino cum Ruhnkenio legendum *rescribere.* Proprie ita differunt, ut posterius significet, antea scripta *iterum*, et ea quidem emendatius, *scribere* (Belgice *overschrijven*): prius autem, *de scripto exemplo alterum scribe-*

bere (*afschrijven*). Illud arctius definitur: hoc latius patet, et proprium est Codicum, Dictatorum, aliorum: quamquam subinde utrumque promiscue usurpare licet. *Dictata*, sive *lectiones*, ut vulgo loquuntur, rectius *scholia* dici, non est quod moneamus. Horum quis rectus usus sit, et quomodo magis ut χρῆμα, quam ut κτῆμα, habenda sint, intelligitur ex Wyttenbachii exemplo, ipsius Vit. p. 56.

P. 77. *Professorem in Graecis Literis novum ac rudem*] Eumdem significat, qui infra p. 160 Ruhnkenii dicitur *alius amicus*, *homo semidoctus*, *qui et ipse aliquis esse vellet*. Quis fuerit, nemini dubium esse potest in illorum temporum rerumque memoria aliquantum versato: et nos ab idoneo teste, qui sese ex Wyttenbachio audivisse fateretur cum diceret, aliquando accepimus. Sed hominis, satis aliunde noti, equidem Herodoteo (IV, 43) more, quamquam ἐπιστάμενος τὸ οὔνομα, ἑκὼν ἐπιλήθομαι. Neque alterius illius *doctioris Professoris* nomine ipsum intelligi Wyttenbachium, data operâ monere necesse est.

P. 79. *Duo publici doctoris officia — institutio studiosae juventutis — scriptio librorum*] Conf. Wyttenbachii, utroque ad Ruhnkenii exemplum pari cum laude functi, Vita p. 102 sqq.

Ibid. *Illius laus intra parietes alebatur Ruhnkenio*] Cicero in Brut. c. 8. de Isocrate: *intraque parietes aluit eam gloriam*, *cet*.

Ibid. *Itaque persuasit ei* (*Ernesto*) *ut Callimachum*, *cet*.] De toto hoc negotio Callimacheo satis superque constat, quam ut multis dicere opus sit: et notae sunt omnibus Ruhnkenii, Valckenaerii aliorumque ad Ernestum Epistolae, primum a Tittmanno editae Lipsiae 1812. nuper autem, quantum quidem ad Ruhnke-

 nium

nium attinet, in hujus Opusculis repetitae, T. II. p. 813—861. Neque etiam attinet Wyttenbachii probare fidem, ab illarum Epist. editore Germano invidiose ac temere in dubium vocatam: cujus rei nobis otium fecit auctor Censurae, cum Batavorum defensione conjunctae, Philomathiae L. III. p. 110—183. Cf. Praefat. Opusc. Ruhnken. p. LIV. Igitur nunc sufficiat universe ac breviter indicasse locos illos, quorum cum argumento narrationis Wyttenbachianae peculiariter conjuncta est ratio et comparatio. Ergo de operis suscepti initiis, ab editionis Graevianae Lugduni-Batavorum repetendae Luchtmansiorum consilio profectis, legatur Ruhnkenii Ep. I. scripta a. 1748, quâ continetur oblatum Ernesto Specimen Emendationum in Callimachum: quod quam gratum acciderit viro Ruhnkenii amantissimo, constat ex Ep. ad Ritter. p. 799. Erat autem hoc specimen quasi prolusio missae a. 1751. ad Ernestum, novam Callimachi editionem meditantem, Epistolae Criticae II. de qua supra egit Wyttenbachius p. 41 sq. et Ernesto scripsit Ruhnken. Ep. II et III. Cf. Praef. nostra ad Opusc. p. XIII. De Codicum autem scriptorum collationibus, Ernesto oblatis, itemque Annotationis ipsi ab Ruhnkenio suppeditatae subsidiis, praeterquam ex ipsa Callimachi editione, intelligitur cum universe ex compluribus illarum Epistolarum locis; tum peculiarius ex schedarum Ruhnkenianarum reliquiis, quas in Ernesti literaria supellectile repertas, quamvis ab ipso in adornanda editione diligenter jam adhibitas et longe maximam partem editas, vel sic tamen rursus totas repetere placuit Tittmanno p. 92—117. con-

consilio quidem non satis probato Censori Philom. l. c. p. 117. Sed in his unum, neque id omnibus fortasse notum, silentio non est praetereundum, consilium edendi Callimachi aut ante Ernestum, aut eodem fere tempore, his in regionibus agitasse Jo. Dan. Lennepium, Coluthi editorem: hunc autem, intellecta Ernesti voluntate, deposito Callimacho, ad Phalaridem edendum animum adjecisse; pro humanitate suâ Ernesto concessurum Codicis Vossiani collationem, et quidquid alias in suos usus, praesertim ex ineditis Bibliothecae Lugduno-Batavae subsidiis, congessisset: ut scribit Ruhnkenius p. 814. Cujus quidem consilii eo magis h. l. renovanda videbatur memoria, quoniam nullam, quantum novimus, disertam Lennepii mentionem fecit Ernestus, qui in Praefat. p. VI. Codicis Vossiani Lectiones, non secus ac Parisini et Palatini, Ruhnkenio sese debere scribat. Cf. Ruhnken. Ep. XIII. p. 855. et XIV. p. 857.

P. 79. *Callimachum, jam antea ab eo Lipsiae in tironum usus editum*] Verius, ni fallimur, *ad editionem instructum*, non item in lucem publicam emissum; siquidem fatetur Ernestus in Praef. p. II. consilium quidem cepisse se edendi eâ ratione Callimachi, sed illud abjecisse ob duplicem ejus editionem, alteram Lipsiensem, Britannicam alteram. Cf. editionis Ernest. censura in Nov. Act. Erud. 1762. P. I. p. 241. Sed ad doctorum hominum notitiam prodiderat antea Ernestus Specimen Emendationum in Callimachum, Ruhnkenio laudatum in Epp. p. 785. ac 815. et Bernardo ad Reisk. p. 324, 346, 357.

P. 80. *Ernestus suscipit hanc editionis provinciam, cet. — copiarum petendarum fontes.*] Vid. loca Epp. ad Ernest. VII. VIII. XII et XIII. allata

Philom. L. III. p. 127 — 130. et quae ibi animadvertit Censor.

Ibid. *Monentes ut à Valckenario — opem peteret, quem in primis ad ornanda fragmenta egregium — apparatum habere*] Epist. III. Opusc. T. II. p. 825: „ Valckenario, inquit Ruhnkenius, nemo plura col- „ legit Fragmenta, ex ineditis praesertim Grammati- „ cis." Tirones usum animadvertant relativi cum infinitivo, *quem — habere*, pro *et* vel *nam hunc — habere*, Ciceroni aliisque frequentem. Cf. de Fin. III, 19. et Lindem. ad h. l. Callimachi Elegiarum Fragmenta, a Valckenaerio collecta, ex ipsius apparatu postea edidisse Luzacium V. Cl. Lugd. Bat. a. 1799. omnibus notum est.

Ibid. *Nil ad horum rationem triumvirorum*] Conf. infra Wyttenbachius p. 224.

Ibid. *Nec à Valckenaerio quid adjumenti*] Quippe cujus ne nomen quidem, ut Hemsterhusii et Ruhnkenii, in titulo libri comparet: nam quod eum aliquoties, idque vix duodecim locis, citet Ernestus in notis suis; hoc tam parvum adjumentum pro nullo haberi poterat: judice Censore Philom. L. III. p. 133.

Ibid. *Non quod hic (Valcken.) nollet dare, sed quod Ernestus nollet rogare, intelligens suas copiolas in tantis auxiliis obrutum iri.*] Conf. ad h. l. Ernstii et Valckenaerii Epp. ad Ernestum, apud Tittmannum p. 43 — 55. et Censura laud. p. 134 — 138.

P. 81. *Addidi etiam — excerpta misit*] Locus est in Praefat. Ernest. p. XVIII.

Ibid. *Ruhnkenii — merita in Spanhemianum commentarium: quem ille multis locis — correxit*] Quod cujusmodi fuerit, intelligitur ex ipsius Ruhnkenii ad Ernest. literis p. 846: „ Spanhemianum, inquit com-

„ commentarium operae prope totum exscripsere. „ Ultimam, quam vocant, revisionem legens, infi- „ nitos errores sustuli, a superioribus operis, Span- „ hemii manum minus assecutis, temere invectos. „ Vel sic quidem restant aliquot loci, ex quibus „ nullum idoneum sensum elicias. Integrae enim „ periodi loco suo turbatae videntur." Ut adeo ne hoc quidem, quod plerisque leve videtur, nec satis dignum summorum virorum personis, speciminum corrigendorum negotium, ubi absit Critici acumen, recte peragi queat. Idem postea docuit Ruhnkenii in Mureto navata opera, ejusdemque suorum ipsius operum specimina oculo perlustrantis exemplum, infra p. 202. Ceterum desumta sunt haec et proxima ex Ernesti Praef. p. xx.

Ibid. *Nec verba aliam, quam interdum raritatis commendationem habent*] Ad Valckenaerium referri potest, de quo scribit Ruhnken. Ep. IV. p. 828: „ Doctus hercle vir Valckenaerius, et in Graecis „ literis id quod summum est, consecutus. Sed „ eodem, quo quondam Isaac. Vossius, morbo la- „ borat. Rarissima quaeque et insolentissima con- „ sectatur, invitisque obtrudit auctoribus." Sed hoc intererat Valckenaerium inter et alios, quod cum vulgo ingenii penuriam arguere soleat raritatis consectatio (cf. Elog. Hemsterh. p. 56), in illo contra admirabilem ejusdem ubertatem sagacitatemque certissimo documento comprobaret.

P. 82. *Rariorum verborum, ut Augustus vocabat, foetoribus*] Vid. Sueton. in Aug. 86.

Ibid. *Qui facultatem, quam sibi deesse sentiret, argutando clevare maluit*] Quo sensu accipienda sint,

sint, ne quis dubitet, docuit Censor Philom. l. c. p. 126 sq. et 133.

Ibid. *Valckenaerii — humanissimis literis*] editis a Tittmanno loco supra laudato p. 46 sqq.

P. 83. *Speciminibus typographicis — inspiciendis*] De quo constat ex iis, quae modo attulimus ad pag. 81. — Ceterum, praeter haec Ernesto suppeditata subsidia Callimachea, et Xenophontea infra memorata p. 155, in *Aristophanis* etiam *Nubes* Varias Lectiones cum Codicis Leidensis, tum alias, suas item ipsius in Scholia Notulas, eidem transmisit Ruhnkenius, cujus schedas e tenebris revocavit Tittmannus ibid. p. 118—136. ea vero omnia demum, ut videtur, post repetitam editionem Kusterianam cum Ernesti Praefatione, Lipsiae 1753. siquidem in illius Notulis laudantur Piersoni Moeris, Wesselingii Herodotus, alia, tunc temporis quidem nondum in lucem prolata. Ita ut mirum non sit, quod scribit Tittmannus, in iis reperiri nonnulla, quae in editione Ernestina desiderantur.

P. 83. *Quae caussa moverat Ernestum — eadem apud Gesnerum valuit, quominus Ruhnkenianis Orpheum ornaret, cet.*] Quanto studio legerit Ruhnkenius Orpheum, cujus adeo edendi aliquando consilia agitaverit, monuimus in Praefat. Opusc. Ruhnk. p. xx. Locus Praefationis Hambergerianae est p. VIII.

P. 86. *Si quae forte inde nata esset disjunctio*] Lindemannus pro *si quae* rectius judicasse videtur *siqua*, auctoribus Prisciano V, 12. et Goerenzio ad Cic. Acad. II, 262. Quod non est necesse. Nam, etsi sensus loci postulat *si qua*, ut apud Virgil. Aen. II, 537: *si qua est coelo pictas quae*

ta-

talia curet; idque solemni contractione positum pro *si aliqua*, ut vel maxime ostendunt ea loca, ubi plene legitur *si aliquis*, *si aliqua*, *si aliquid*, Ciceronis de Amic. C. 23. Orat. C. 24. de Fato, C. 19; est etiam, ubi pro *qua* recte dicitur *quae*. Cicero de Orat. II, 72: *confiteorque me, si quae premat res vehementius, ita cedere solere*, cet. cujus loci non alia fere est, quam hujus, de quo agimus, ratio. Varro de Re Rust. III, 7: *neve quae serpens*, i. e. vel ne aliqua serpens: neuter Schellero praetermissus in Lexico voce *Qui*, *Quis*. Conf. ejusdem Praecepta Stili Lat. P. I. C. 2. p. 60. et App. I. p. 755.

P. 86. *Ruhnkenii studium — utile fuit Wesselingio ad ornandum Herodotum*] Cf. Praefat. Opusc. Ruhnk. l. c. De palmaria autem hacce Herodoti editione, praeter peculiarem censuram proditam in Biblioth. des Sciences et des beaux Arts, T. XXII. P. I. p. 173—187. et loca supra allata ad Elog. Hemsterh. p. 60, conferatur plane simile Wyttenbachii judicium Biblioth. Crit. P. XI. p. 144. Valckenaerii quidem quanta fuerit religio, intelligitur ex iis quae scripsit ad Theocriti Adon. p. 263, C: „ad Herodotum *sese* saepe *sua contraxisse*, *ne copia Wesselingius offenderetur*, quem, praeceptorem olim suum, tum ob virtutes animi, tum ob veteris historiae peritiam faceret sane maximi." Quo iniquiorem fuisse patet istam nonnullorum a Wyttenbachio feliciter dispulsam suspicionem.

P. 87. *Ruhnkenium subit Ritteri sui cogitatio: cet.*] De toto hoc negotio Ritteri ad Cathedram Lugduno-Batavam, Curatorum jussu, a Ruhnkenio frustra invitati, legantur ipsae hujus Epp. X. et XI.

Opusc.

Opusc. T. II. p. 865 sqq. ac XV. ad Ernest. p. 860. Addatur Wernsdorfius ad Reisk. p. 774 et 780.

P. 88. *Vita parum vitalis*] Graece *βίος ἀβίωτος*. Dictio notae ac probatae elegantiae, frequens utriusque orationis Scriptoribus. Habet ex Ennio, cujus conf. Fragm. p. 332. ed. Hessel., Cicero de Amic. C. 6. ubi vid. Graevius, et in Scholis monere solebat Wyttenbachius.

Ibid. *Exemplum de uxore Heineccii, qui Franequeram profectus, cet.*] Rem refert Vriemoetius Athen. Fris. p. 802 sq.

P. 89. *Oudendorpius moritur*] Ad d. XIV. Febr. A. 1761. teste Te Watero Narrat. de rebus Acad. L. B. p. 219. Cf. Saxius On. Lit. P. VI. p. 336.

Ibid. *Oratione, de Doctore Umbratico*] *Doctorem Umbraticum*, ista quidem in malam partem sumta significatione, quem intellexerit Ruhnkenius, hoc loco minus dilucide explicitum, in altera autem, si quando, hujus Vitae editione diligentius retractandum, postea disertius dixit Wyttenbachius Philom. L. I. p. 10—15. ex ejusque sententia uberius declararunt Sodales Philomathiae et Cl. Mahnius in Annot. ad eorumdem Epistolis, locis laudatis in Praefat. Opusc. Ruhnken. p. XVIII sqq. Videlicet tempori magis, quam veritati obsecutus, non adeo sui ordinis homines, Professores Academicos, significavit Ruhnkenius, sed potius minores Doctores et Rectores Scholasticos; ex iisque nominatim unum, *Augustinum Staverenum*, Gymnasii Leidensis tunc temporis Rectorem; quocum ipsi et Heusingero, edendi Nepotis causâ, aliquid simultatis intercedebat. Atque hoc ipsum illud est, quod infra legitur p. 126: *Ruhnkenio ex illa hominum Scholasticorum of-*

offensione subiratum fuisse Staverenum, *qui se item doctoris umbratici nomine significari crederet.* Unde partim illustranda sunt, partim etiam corrigenda, quae mox narrantur pag. 91: fuisse *nonnullos Scholarum Rectores, qui se significari et ipsi putarent, et aliis hominibus Scholasticis persuaderent, suum vitae genus ac munus in illa oratione rideri ac velut in scenam traduci a Ruhnkenio, sibi placente quod numquam in ipsorum ordine et obscuritate vixisset.* Quae quam iniqua fuerit reprehensio, luce clarius ostendunt causae, quibus inductus, et longe aliud quid spectans, Ruhnkenius istiusmodi Scholastica munera, quali rite obeundo sese haud parem arbitraatur, constanter repudiaverat. Vid. supra p. 63. et quae ibi diximus. Ceterum, quae de honesta veteribus *Doctoris umbratici* appellatione monuerunt Wyttenbachius et Mahnius, locis laudatis, ea etsi sunt ejusmodi, ut quod contra dicas nil facile reperias; verumtamen haud spernenda sunt in contrariam partem disputata ab J. F. Gronovio, Lect. Plautin. p. 93.

P. 92. *Cum Burmanno eum animorum liberalitas et similitudo facilius reconciliavit*] Vid. infra p. 170.

P. 93. *Quod proverbio dicitur, iter caeci*] Graecis ἡ τύφλου πορεία. Conf. Erasmi Adagia p. 112.

Ibid. *Peregrinitatis crimen — nec morabatur*] Conferantur hîc simili in caussa a Wyttenbachio scripta in Protreptico, Philom. L. II. p. 180 sq. Opusc. T. II. p. 278 sq. item Epist. Sodal. Philom. p. 149. De *eruditae civitatis*, quae sequitur, appellatione infra dicemus ad pag. 226.

P. 95. *Nunc triplex erat pensum*] Accedentibus insuper Literis Graecis, quarum ut antea Lector, ita nunc Latinarum Professor, tamen ad Hemsterhu-

sii

sii obitum usque perpetuo Scholas habuit: ut cum ex illius provinciae consilio sequitur, tum perspicue mihi apparuit ex Scholis ad Xenophontis Memorabilia, habitis annis 1765. et proximo, in quibus alicubi: „Herodotus," inquit „VI, 62: τὸν δὲ ἔκνιζε „τῆς γυναικὸς ἔρως. quem locum ab aliis postea imi„tando expressum esse docet summus *Hemsterhu-* „*sus*, *qui ante tres dies anno aetatis LXXXI et III* „*mensibus mortuus est*, in Obss. Miscell. Vol. VI. „Tom. I. p. 303." Discipulorum autem, doctrinae laude conspicuorum, quos in Graecis habuit Ruhnkenius, eodem circiter tempore, in primis fuit F. G. Boersius, cognitus docta Disputatione de Anthropologia JCtorum Stoicâ, Lugd. Bat. 1766. Vid. Wyttenbachii Ep. ad H. Bosch. Opusc. T. II. p. 58. et Viri memoria, ibid. p. 358 sqq. ex Philom. L. III.

P. 95. *Exemplum Jacobi Perizonii*] De quo, teste Schultingio in Elogio Viri, „omnibus constitit, „*nullius unquam Professoris* in illo studiorum gene„re, (praecipue autem *in Historiae universalis enar-* „*ratione*) *auditoria*, sive privata, sive publica, „*tanto studiosorum numero floruisse*." Vid. Vriemoet. Athen. Fris. p. 629.

P. 96. *Ruhnkenius id agebat, ut Historiam, — re ipsa Universalem redderet, — veri disceptatricem Criticam adhiberet, cet.*] Est haec *Critica* Historiae tractandae ratio, quam Hemsterhusii magistri exemplo, cujus vid. Elog. p. 37, constanter tenuit Ruhnkenius; ex eoque tenuerunt omnes, quicunque in historia tradenda prudenter versati sunt, prouti Wyttenbachius, de quo constat ex ejus Vita p. 130—136. Eaque nisi omnium optima, longe certe aliis praeferenda rationibus; veluti ei, cujus locum excepit,

eo-

eorum qui historiam sese *pragmatice* tractare professi, aut Boecleri aliorumque exemplo, historicos veteres politicis animadversionibus onerarent; aut suam ipsi civilem prudentiam jactarent, Geigeri illius instar, de quo festivus est Mahnius in Vit. Wyttenb. p. 34. Longe item anteferenda ei, in qua, missa Scriptorum auctoritate, et veri disquisitione Critica, hodieque tantopere sibi placent illi, qui *in historia philosophandum* esse clamant, rerum causas et eventa magis quam res ipsas sectantes. Contra quos graviter monuit Wyttenbachius: „Nunc sunt," inquit, „qui „in historia scribenda nil nisi disserant ac ratioci„nentur, et rerum gestarum ignorantiam philoso„phando dissimulent. Quin quotidiana in vitae con„suetudine saepe nobis usu venit, ut quaerentibus „ecquid publice novi acciderit, nil narrent, sed „sua de rebus notis judicia expromant. Quibus me„rito reponamus: Da mihi res gestas et facta; ipse „habeo judicium, quo ex his causarum eventorum„que cognitionem colligam." Vid. Vit. Wyttenb. l. c. Quo magis videndum est, ne *philosopha* illa causarum eventuumque indagatio, virorum historiae rerumque gestarum peritorum meditationi multo melius, quam tironum, rerum ipsarum cognitione nondum satis instructorum, intelligentiae accommodata, quidquam historiae studio detrimenti potius quam emolumenti afferat. Vere enim magnus Ernestus in Dedic. ad Stigliz. p. LXXVIII. *historiam* ex eo genere esse judicavit, quod *nisi uno tenore* totum *percipiatur*, *numquam recte discatur*.

P. 96. *Hanc Scriptionem veluti dictans praelegebat*] Videtur quidem, accommodate ad Ciceronis consuetudinem, scribendum fuisse *recitabat*: quod rectius ju-

dicat Lindemannus. Verumtamen et *praelegere* habet quo se tueatur: si quidem, auctore Facciolato, dicitur pro *ante legere*, *legendo praeire*, enarrandi et dicendi causa; atque sic usus est eo verbo, indeque ducto nomine *praelectio*, Quinctilianus Inst. Or. I, 5 et 8. I, 2. II, 5. et Suetonius de Gramm. C. 16. Qui sensus quam apte congruat Doctorum Academicorum scholis, nemo non videt. *Recitare* contra, eodem judice Facciolato, proprie dicitur de iis qui in causis libellos legunt et testimonia: deinde translatum ad poëtas carmina amicis legentes; et ad discipulos ea, quae *memoriter* edidicerunt, coram magistro *referentes*. Hoc non ignorabat Wyttenbachius, qui *recitandi* et *praelegendi* discrimen ipse fecerit infra p. 103.

P. 97. *Scidulam*] idest, parva *schida*. Alii scribunt *schedula* et *scheda*: quam controversiam paucis attigit Lindem. ad h. l. Sed *schidula* fortasse rectius, quippe ductum a Graeco σχίζειν, communis originis cum Latino *findere*, unde significat *plagulam*, sive membranam tenuem *papyri fissi*, et hinc in genere chartam vel tabellam, cui aliquid memoriae causa inscribitur. Legitur apud Cicer. ad Div. XV, 16. ut *scheda* ad Attic. I, 17. Cf. Ernestus in Clave.

P. 98. *Gubernatricem, ut vocant*] *Ut vocant* prudenter addidit Wyttenbachius, voce usus, eo quidem sensu, veteribus non usurpata, caeteroquin proba et bene Latina. Cf. Cicero de Orat. I, 9.

P. 104. *Magistra te adhuc tractat ut puellum*] *Puellus*, prisca ideoque rarior forma, de qua obiter Lindemannus monuit, eleganter hîc opponitur *adolescenti*, et per contemtum dicitur quasi *parvus puerulus*. Sed unde tandem istud *puellus?* Nimirum nil aliud est, quam ipsum *puerulus*, unde per celeriorem

rem pronuntiationem, ejecta mediae syllabae vocali *u*, fit primum *puerlus;* deinde, alterâ liquidâ cum altera commutatâ, *puellus;* non alia ratione quam a *perlucidus* fit *pellucidus*, a *perlicio pellicio*, et complura alia. Est igitur *puellus*, aeque ac *puerulus*, diminutivum vocis *puer*, et proprie significat parvum puerum: sed longe frequentioris usus est forma foeminina *puella*, cujus contra productior *puerula*, si modo Lexicis fides est habenda, nusquam reperitur. Hinc fortasse etiam *pullus*, quamquam id alii a Graeco πῶλος ducere malunt.

P. 110. *Terentius*, *Suetonius*, — *Cicero et Ovidius*] De Ruhnkenianis in *Terentium* scholiis, non est quod eximiis laudibus, quas illis merito tribuit Wyttenbachius, quidquam amplius addatur. Edidit eas in Germania P. J. Bruns V. Cl. subjectas Terentii Comoediis ad textum Codicis Halensis editis Halae 1811. ut diximus in Praef. Opusc. Ruhnken. p. XLIX. Paris, ac fortasse etiam superioris, praestantiae Scholia in *Suetonium*, partim suae hujus Scriptoris editioni inseruit F. A. Wolfius, Lipsiae 1802. Similiter de Ruhnkenii in *Antiquitatem Romanam* Lectionibus, partim jam editis, partim brevi edendis, nuper relatum legimus in Nuncio quodam Literario (*). Sic, quae solis Batavis debentur, a peregrinis occupantur: ac fortasse etiam, nisi prudens delectus habeatur, cum Auctorum dedecore in lucem protruduntur. Utinam tandem nostratium aliquis, manu operi admota, Ruhnkenii Scholia cum illa, quae diximus, in Terentium, Suetonium, et Antiquitatem, accuratius

(*) Vid. *Jenaïsche Allg. Lit. Zeit.* 1823. Novembr. No. 207. et cf. *Intell. Blatt.* No. 47.

tius ex ipsis autographis, ut Wyttenbachii consilium aliquando fuit, repetenda curaret; tum alia recens adderet, veluti ea in *Ciceronis ad Familiares Epistolas*, et in *Ovidii Heroïdes*; quarum illa numquam, haec non nisi raro videre nobis contigit. *Plautum* etiam subinde in scholis tractasse Ruhnkenium, hoc ipso tempore a Bossio accepimus.

P. 110. *Invidia, de qua supra diximus*] Pag. 91 sq.

Ibid. *Quantum aera distarent lupinis*] Horatianum, proverbii vim habens, Epp. I, 7, 23. ubi vid. Lambinus, et Erasmus Adag. p. 172.

P. 111. *Cartesiana Philosophia — Literarum Scholas, ut ita dicam, viduabat*] Eleganter dictum: nec apud Columellam tantum et recentiores poëtas legitur *viduare*, sed habet jam hoc verbum Virgilius, Aen. VIII, 571. qui locus fugisse videtur Lindemannum, ceteroquin recte judicantem de additis verbis *ut ita dicam*. De voce *vidua* dignus est qui legatur Vavassor de vi et usu verb. p. 609.

P. 113. *Ruhnkenii commendatione factum est, ut Heynius Goettingam vocaretur*] Quae qualis fuerit commendatio, intelligitur ex Ruhnkenii literis ad Jungium, per quem cum ipso egerat Munchusius. Has literas, primum ab Heerenio editas in vita Heynii p. 74, retulimus Opusc. T. II. p 885: „Sed, „ inquit, quid est quod extra patriam quaeratis, cu„ jus patria copiam praebet? Cur non Gesnero suc„ cessorem datis *Christianum Gottlob Heynium*, „ Ernestinae disciplinae alumnum, excellenti virum „ ingenio, qui, quanta Literarum praeditus sit „ scientia edito Tibullo, quanta Graecarum edito „ Epicteto ostendit. Hic mea et Hemsterhusii τοῦ „ πάνυ sententia unus est, qui jacturam, quam Ges-

„ ne-

„ neri morte fecistis, resarcire poterit. Nec est „ quod quis dicat, Heynii famam nondum satis illustrem et pervagatam esse. Tanta, mihi crede, in „ hoc viro ingenii et doctrinae ubertas est, ut brevi „ omnis cultior Europa ejus laudes celebratura sit." Quibus quam feliciter eventus responderit, constat inter omnes. Cf. Praef. nostra p. LIX. De Tibullo et Epicteto, significatur utriusque prior editio, Tibulli Lipsiae 1755, Epicteti Dresdae et Lipsiae 1756 in lucem emissa: altera utriusque editio nota est ex Censuris proditis Biblioth. Crit. P. III. p. 53 sqq. et P. II. p. 113 sqq. Tibulli tertia est, eaque multo castigatior et locupletior, ibid. 1798.

P. 113. *Salarium*] Bonae, quamvis non optimae, aetatis vox, proprie est *annona salis*, quae olim dabatur militibus, teste Plinio Hist. Nat. XXXI, 7. Vid. Facciol. voce *Salarius*.

Ibid. *Obitu Joannis Albertii*] Ao. 1762. d XIII Augusti, ut constat ex Te Wateri Narrat. Saecul. p. 23 sq. et 218. Vid. Saxii Onom. Lit. P. VI. p. 387.

P. 115. *Poterat se Jureconsultum — profiteri*] Id Ernestus ostendit cum aliis scriptis, tum in primis Indice Legum Clavi Ciceronianae praefixo. Vid. Hauboldus Inst. Jur. Lit. P. I. S. IV. n. CCXXIV. Tom. I. p. 176. et Hugo Elem. Hist. Jur. Rom. §. 436. p. 533. Ceterum ad universum hunc de Ernesto locum cf. Philomath. L. III. p. 144.

P. 115. *Albertii alia fuit ratio cet.*] Ex hisce serio ab Ruhnkenio dictis, a Wyttenbachio autem, qui ab illo saepius narrante acceperat, summa fide relatis, corrigantur, certe mitigentur, quae per jocum et sub fide silentii olim juvenis Rittero scripserat Opusc. T. II. p. 779 sq. ubi obiter monuimus.

P. 116. *Rudimentorum tenus*] id est, non ultra prima rudimenta, sive elementa. Qui usus vocis *tenus* cum genitivo, praesertim plurali, nisi Ciceroni, certe ejus aequali Coelio Ep. ad Div. VIII, 1. et Livio XXVI, 24. adhibitus, ideo non videtur solis poëtis relinquendus. Nec videndum adeo, quid poëtarum auctoritas, quam quid cujusque loci sententia postulet: quae h. l. fere convenit cum Virgiliano, Aen. X, 210. *laterum tenus*, i. e. usque ad latera.

Ibid. *Systema*] Graeca vox, σύστημα· unde, quantopere peccent, qui barbare *systhema* scribunt, luce clarius est. Qui error quo est apud Graecarum imperitos Literarum pervulgatior, eo magis tironum causâ notandus.

Ibid. *Homiliis*] *Homiliae*, item Graecum ὁμιλίαι, Latine *conciones:* quae vox in utraque lingua et de populi congregatione, et de oratione ibi habita usurpatur, nisi a veteribus Graecis ac Romanis Scriptoribus, certe ab Ecclesiae Patribus aliisque. Cf. Suiceri Thes. Eccles. in Voce Ὁμιλία.

P. 117. *Regiam illam viam, gravissimorum et antiquissimorum quorumque deinceps Scriptorum ex ordine legendorum*] Quid hoc sit, *deinceps ex ordine legere*, perperam a Lindemanno explicitum, tirones monendi sunt: nimirum hoc sibi volebat Ruhnkenius, optimos quosque Scriptores legendos esse *deinceps*, id est, *singulos deinceps*, sive, ut barbare dicitur, alterum post alterum: idque *ex ordine* id est, habita aetatis qua singuli vixerunt ratione, ita ut ab antiquiore quoque ad posteriores deinceps progressus, tandem in postremis desinas. Hanc suo ipse rationem probavit exemplo, supra proposito p. 32. Atque haec propria est ac peculiaris adverbii *deinceps*

si-

significatio, quâ perinde ac Graecorum ἑξῆς, ἐφεξῆς, καθεξῆς, proximum quidque in serie indicat, manifesta compluribus locis, e quibus unum laudasse sufficiat Ciceronis Tuscul. IV, 2: *morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam.* Eademque significatione eleganter scripsit Wyttenbachius supra p. 8: *quemadmodum ad ingens saxi pondus movendum plures pluresque deinceps accedunt et frustra nitentes sudant.* Alia est quaestio, supra ad Eleg. Hemsterh. p. 23 mota, an item simpliciter dixerint Latini pro *postea*, *deinde*: ad quam nec affirmando, nec negando respondere audemus. Sane ut ex praepositione *de* et adverbio *inde*, formatum *deinde*, ac subinde contractum *dein*, Graece εἶτα, ἐκ τούτου, ἐντεῦθεν, in genere significat omne quod sequitur sive tempus sive spatium; ideoque cum *dehinc*, *postea*, *post haec*, alia permutatur; ita huic, tamquam generi species, subjectum est *deinceps*, origine sua non aliud nisi ipsum illud *dein*, auctum terminatione *ceps*, oriundâ illâ vel a verbo *capio* vel a nomine *caput*, et in aliis multis frequentata vocabulis, veluti *anceps*, *biceps*, *triceps*, *praeceps*, *princeps*, cetera. Ad quorum omnium rationem *deinceps* proprie adjectivum est, significans *id*, *quod deinde capit*, *incipit*, *excipit*. Unde habet Appulejus, frequens antiquitatis sectator, Florid. 16: *deincipite die*, id est, proxime sequenti, sive postero die. Hinc in adverbium abiit, partim ea, quam supra diximus, significatione: partim ita ut in orationis ac disputationis divisionibus, seu diversis partibus, *secundo* aut *tertio* loco positum, transitum ex altera in alteram declaret; ut apud Cicer. de Offic. I, 13: *De justitia satis dictum est: deinceps — de be-*

beneficentia ac liberalitate dicatur, id est altero sive secundo loco. Idem, ibid. C. 17: *principes sunt patria et parentes —: proximi*, i. e. secundi, *liberi —: deinceps*, i. e. tertio loco, *bene convenientes propinqui.* et C. 45: *ut prima diis immortalibus; secunda, patriae; tertia, parentibus; deinceps*, idest quarta, quinta, cet. *gradatim reliquis debeantur.* Nec quod sequitur in universum, sed quod proximo intervallo sequitur, peculiariter indicat. Unde fit ut cum aliis, latioris potestatis particulis, ejusdem arctius circumscribendae causa, frequenter conjungatur. Cicero de Divin. I, 30: *Qui primus, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus esset*, id est qui tertius, quartus, quintus, et sic porro. Vid. ibi Ernestus et Hottingerus, et conf. de Legg. III, 2. Brut. 3: *posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt;* ubi *postea* indicat prosperas res multas Marcelli proelium ad Nolam consecutas esse, *deinceps* easdem sine intermissione se invicem excepisse ostendit. Ibid. C. 90: *Itaque prima causa publica, pro Sex. Roscio dicta, — deinceps inde multae*, i. e. post primam illam altera, tertia, itemque plures continue actae sunt: prouti apud Livium V, 37: *deinceps inde aliorum populorum*, pro *inde aliorum deinceps populorum;* ut loquitur I, 44: *inde deinceps auget Esquilias*, id est *statim postea.* Animadvertendus etiam, quamquam ex alio genere, locus librorum ad Herenn. I, 9: *cavendum — ne id, quod semel supra diximus, deincets dicamus*, idest iterum, denuo; ne simulac quid dixerimus, idem eodem intervallo repetamus; ut declarant allata ibi, illustrandi magis quam reprehendendi causa, poëtae verba. Unde patet, nisi pro *postea* in genere, certe pro *statim*

post,

post, *brevi post*, subinde usurpari *deinceps*; quod omnino ita accipiendum videtur apud Horat. Sat. II. 8, 80. Quid quod adeo permutari solent *deinceps* ac *deinde*: primum iis locis ubi posterius, aeque ac *deinceps*, distinguendis orationis partibus adhibitum, ponitur pro *secundo*, *tertio*, cet. quorum quanta frequentia sit, ut nemo ignorat et Lexica testantur, ita satis docent loca de Offic. I. 17. de Invent. I. 26. Tum vero aliis ubi, non secus ac *deinceps*, itidem conjungitur cum *post*, *postea*, *tum*, *porro* similibusque particulis: quorum exempla vid. apud Facciolatum. In illo certe Elogii Hemsterhusiani loco, a Lindemanno notato, pag. 23: *amorem — salutarem deinceps utrique poëtae futurum*, sive pro *statim postea*, sive pro *alteri primum*, *deinde alteri* accipiatur, ne levissima quidem apparet reprehensionis causa: imo vero sequenti *utrique* longe aptius erat *deinceps*, quam *deinde* aut *postea*, cum hiatûs evitandi causa, tum quia de pluribus agitur. Neque etiam Crassum, scribentem in Elog. Meerm. p. 2. ed. Lindem. p. 227: *primum Delphis*, *deinceps Lugduni Batavorum excelluit*, propterea reprehendendum fuisse, supra disputata satis ostendunt. Nec Wyttenbachius infra scribens p. 274: *Hiems deinceps domi eum tenuit*, simpliciter pro *postea* posuit, ut fortasse cuiquam videatur, sed pro *proximo post autumnum tempore*. Cf. similis alius locus p. 182. Tanti interest, antequam in reprehensionem involes, probe attendere, quid cujusque loci nexus et ratio postulet.

P. 118. *Fratrum quoque gratiam raram esse*] Proverbiale, eleganter item et apposite Napoleonti illi ejusque fratri, mitioris ingenii viro, Ludovico adhibitum in Vit. Wyttenb. p. 102.

P. 119. *Annum primum supra quadragesimum*] Graecismum esse, ad modum praepositionis ἐπὶ, contendit Lindemannus. Conferri possunt non multum dissimilia loca Livii XXX, 35: *Carthaginiensium — caesa supra millia viginti;* et XXVIII, 1: *exercitum supra novem millia hominum.* Utroque loco, ut saepe, ponitur *supra* pro *ultra*, *plus quam.*

Ibid. *Homini in Literarum doctrinaeque studiis viventi, — uxorem aut nullam esse quaerendam, aut eam quae aliquid rei adferret*] In priore sententia fuit Eobanus Hessus, suavissimus suae aetatis Latinus poëta, in libro de tuenda bona valetudine; cujus elegantissimos in hanc rem versus huc transscribere juvat:

Quaeritis an Veneri liceat parere vocanti?
Hîc quoque erit certus (sicut ubique) modus.
Multa Venus vires exhaurit, spiritibusque
Noxia consumit corpora mille modis.
Rara levat, corpusque juvat Venus. Optima vita est,
Quae neque casta nimis, nec nimis est petulans.
At tu, cui studii flores, fructusque petuntur,
Si possis Venerem spernere, sanus eris.
Namque nec Aonidum Venus improba ludit in hortis,
Nec turpes flammas Musa pudica probat.
Ipsa gubernatrix studiorum casta Minerva est,
Artibus ingenuis est inimica Venus.

Neque ab hoc loco aliena sunt à Ruhnkenio festive scripta ad Wyttenbachium, in hujus Vita p. 237. De universo autem hoc argumento, an et qualis viro literato ducenda sit uxor, exstat D. Heinsii Epistola, in Baudii Amoribus p. 289 sqq.

P. 120. *Zeuxidis*] Annotationem supplevimus ex Biblioth. Crit. P. XII. p. 113. unde mox item *Helenae* nomen restituimus pro *Veneris*. Cf. Hier. de Bosch

Bosch ad Anthol. Graec. Vol. IV. p. 294. cujus notitiam Bossio debemus.

Ibid. *Niveus candor roseo robore suffusus*] Ducta fortasse ex Maximiani Eleg. I, 89. a Lindem. allata:

Candida contempsi, nisi quae suffusa rubore
Vernarent propriis ora serena rosis.
Hunc Venus ante alios sibi vendicat ipsa colorem,
Diligit et florem Cypris ubique suum.

Ibid. *Aristippi exemplo — magis habere quam haberi*] Apud Diog. Laërt. II, 8, 15: *Ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι.* laudatum item Lindemanno.

P. 124. *Paucitatem brevitatemque temporis*] *Paucitatem temporis*, pro *temporum*, ut haud male animadvertit Lindemannus, excusat additum *brevitas*, quod cum Genitivo singulari *temporis* legitur apud Ciceronem ad Att. I, 10.

P. 126. *Augustinum Staverenum — Ruhnkenio — subiratum*] Vid. supra p. 91. De ejus autem cum Heusingero dissensione sequentia tenenda sunt. Nepotis editionem majorem, cum selectis Variorum notis suisque animadversionibus, A. Staverenus dederat Lugd. Bat. 1734. Decimo post anno in lucem emisit J. M. Heusingerus Spicilegium Emendationum et Observationum ad Nepotem post A. van Staveren, Isenaci 1744. Heusingeri reprehensionibus respondit Staverenus, cum fusius et ad singula loca proximo anno 1745, in Miscellaneis Obss. Crit. Belg. Novis Tom. VI. p. 513 — 538. tum brevius et universe in Praefatione ad minorem Nepotis editionem, selectis ipsius animadversionibus instructam, et minori forma excusam Lugd. Bat. a. 1755. quem quidem minorem ejus Nepotem, deinceps saepius repetitum, majore adeo magis editione laudare

et

et commendare solent harum rerum periti. Biennio post suam prodidit Heusingerus Nepotis editionem, Isenaci 1747, et mutato tantum titulo 1756: praeclare ille de Nepote meritus, judice Ruhnkenio in Praefat. ad Schelleri Lex. p. XII. v. *Offendo.* In qua, quantum nobis quidem constat, nulla apertae reprehensionis vestigia apparent: uti nec in repetita Stavereni editione majore a. 1774. in quâ adeo interdum Heusingeri cessit consilio. Ad illa autem Nepotis fragmenta, post ab J. F. Heusingero Ruhnkenii hortatu edita, quod attinet; subjecta leguntur illius Mallio Theodoro, una cum vindiciis adversus Klotzium, loco laud. in Praef. Opusc. Ruhnken. p. LIX.

P. 127. *Infra verbo dicemus*] Vid. pag. 159 et 160.

Ibid. *Rhetorum omnium, certe plerorumque, cet. — in altera Timaei editione*] Fuit qui totum hunc locum repeteret, *hac sibi venia petita, ut duo tria, quae elegantissimo calamo exciderunt, inter ipsam transcribendi operam mutaret.* Quam veniam ei concedamus oportet, si quidem negare non amplius licet. At ea quomodo usus sit, jam videamus. Primum igitur omnium, in verbis modo appositis vocem *plerorumque* mutavit in *plurimorum.* Quae duo, auctore Facciolato, ita quidem differunt, ut illud minus, quam hoc significet. Sic enim distincta leguntur apud Tacitum Hist. IV, 84: *Deum ipsum multi Aesculapium, quidam Osirim, plerique Jovem, plurimi Ditem patrem conjectant.* Vulgo autem, ut nobis quidem multa loca persuadent, illud discriminis habere videntur, ut *plurimi* absolute dicantur *valde multi: plerique* contra, arctiore significatione, sint *valde multi ex iis de quibus agitur*, id est *permulti, bona* aut *major pars.* Quod si verum est, quamquam fieri po-

potest ut subinde alterum cum altero permutetur, intelligitur cum quare Genitivum post se habere saepe soleat *plerique*, ut *pleraeque gentium*, Plin. Hist. N. XXI, 15. tum quid sibi velit frequens optimis scriptoribus formula *plerique omnes*, idest omnium, sive ex omnibus, major pars, aut, quod eodem redit, fere omnes. Quem ad modum si Wyttenbachii ista: *Rhetorum omnium, certe plerorumque;* accipiantur pro *Rh. omnium, certe plerorumque omnium;* vel et pro *Rh. plerorumque omnium* idest *fere omnium*, majoris certe eorum partis; nil iis inesse videtur quod reprehendas, aut quamobrem pro *plerorumque*, dicendum judices *plurimorum.* Nisi forte apud Ciceronem quoque de Invent. I, 36: *Multi nihil prodesse philosophiam, plerique etiam obesse arbitrantur;* similiter pro *plerique* corrigere velis *plurimi.* Quod quam inane sit, vident omnes.

Ibid. *Aliam Orationem — similem eam Longini multo sibi usu cognitam*] Haec verba, quem supra nominavimus, censor dum emendare studuit, pro *cognitam* posito *cognitae*, pessime corrupit. Nam, etsi minime ignoramus *Longini* nomine significari *Longini orationem;* attamen qui scribere ausus fuerit *Longini — cognitae*, haud profecto levius peccet, quam qui *virum bonam*, *mulierem*ve *bonum* dixerit. Omnino quadruplici ratione ponere poterat Wyttenbachius: vel, *orationem — similem Longini* sibi *cogniti:* vel, *Longini orationis* sibi *cognitae:* vel *Longinianae* (scil. orationis) sibi *cognitae:* vel denique, ut nunc est, *orationem — similem Longini* sibi *cognitam.* Harum rationum prima cernitur frequenti illa personae ac rei enallage, de qua diximus supra ad Elog. Hemst. p. 19. sed in hac quidem sententiae colloca-

catione non sine quodam perspicuitatis damno admissâ. Eam altera non habet: sed habet ingratam vocis *orationis* repetitionem, conjunctam cum quadam obscuritate positâ in duplici Genitivo, *Longini orationis.* Ista duo vitiá in tertia evitata sunt, suppresso altero Genitivo *orationis*, ac pro *Longini* nomine, substituto adjectivo *Longinianae.* Quarta denique iterum habet enallages speciem, quâ *cognitam* refertur non ad proxime praecedens *Longini*, id est *Longini orationis*, sed ad superius positum *aliam orationem — similem eam.* Harum igitur quatuor verborum construendorum rationum reliquis, suas sibi cuique incommoditates habentibus, postremam praetulit Wyttenbachius: ac praetulit optimam. Nisi enim acquiescendum censeas in tertia, quae et ipsa tamen hoc habet incommodi, quod simul ac scripseris *Longinianae*, Longini, id est ejus cujus causa tota haec instituta erat narratio, nomen aut reticeatur, aut certe minus diserte significetur; duarum priorum neutra tantam habebat, eamque in grata quadam orationis negligentiâ positam, sententiae et facilitatem et perspicuitatem, quantam postrema. Nec est quod quis dicat, eam vel dialecticis repugnare vel grammaticis legibus, vel etiam usui loquendi. Nisi enim *utramque* orationem, et *aliam* istam, et *Longini eam*, cognitam perspectamque habuisset Ruhnkenius; de neutra sane judicare poterat: atqui utrâque ei, ut fuit, multo usu cognitâ, ad utramque aeque referre licebat *cognoscendi* et notionem et vocem: ea autem ad *aliam orationem similem eam* relata, necessario dicendum erat *cognitam*, non *cognitae;* quod, ut jam diximus, cum Genitivo *Longini* constare nequit. Nec desunt Scriptorum exempla, quibus ejusmodi, qua-

qualem sibi finxerunt in his verbis, orationis sive inconsequentia, sive negligentia, aut confirmetur, aut certe excusetur. At ne levissima quidem, si verum quaerimus, inest inconsequentiae species, modo, post *Longini* facta distinctione, verba ita ponantur: *se in aliam orationem incidere*, *similem eam Longini*, *multo sibi usu cognitam.* Sic omnia plana et facilia. — Haec fusius exponenda erant: cum tironum causa, ne in errorem traherentur; tum ut omnibus pateret, quanto facilius sit reprehendere quam corrigere, *mutare* quam *emendare.*

P. 127. *Aristidis*] Immo, *Hermogenis*, ut legendum esse, ex sequentibus intelligetur.

Ibid. *Nullum — dubium*] Ille, quem diximus, censor edidit *nihil — dubii:* neque elegantius, neque melius; si quidem *nullum* idem valet ac *non ullum*, ne ullum quidem, plane nullum. Vid. supra de voce *nullus* disputata ad Bentl. Ep. p. 86.

Ibid. *E perdito Longini opere*] *Deperdito* dedit idem ille reprehensor, cujus rationes, ipsius verbis allatas, ad h. l. repetiit Lindemannus: ipse minime ignarus, composita cum simplicibus, ac vicissim simplicia cum compositis saepius permutari: et hoc ipso loco agi de opere *perdito*, cujus tamen adhuc supersint reliquae; necdum *deperdito*, id est, cujus plane nihil sit relictum.

P. 128. *In Diario Eruditorum Gallico*] Quum respondere videretur Gallico titulo, *Journal des Savans*, in hoc diu frustra quaesitum Ruhnkenii programma, tandem a Boissonadio V. Cl. repertum est in alio Diario, Gallicâ quidem linguâ conscripto, sed in patria nostra Hagae-Comitum edito, *Bibliothèque des Sciences et des Beaux Arts*, Vol. XXIV. P. II. a. 1765. mens.

mens. Jul. Aug. et Sept. p. 273: unde illud, quamquam nuper in Opusculis tam Wyttenbachii T. I. p. 793 sq. quam Ruhnkenii T. I. p. 183 sq. repetitum, quippe cum hujus loci intelligentia arctissime conjunctum, denuo referre lubet. Sic igitur ibi Vir Cl.

Il y a quelques mois que lisant Apsinès, Rhéteur Grec, qui se trouve dans la Collection qu'Alde Manuce a donnée de plusieurs autres ouvrages de cette espèce, je fus surpris de voir le style changer tout d'un coup au milieu du livre. J'y reconnus non seulement la marche de Longin, mais plusieurs expressions qui lui sont particulières. Continuant ma lecture je tombai sur un assez long passage, que je me souvins d'avoir lu dans le Scholiaste d'Hermogène, et dans le Commentaire non encore publié que Jean Sicéliote a fait sur ce même Hermogène. Ce passage y est cité non sous le nom d'Apsinès, mais sous celui de Longin, et tiré du livre qui a pour titre: Λογγίνου Τέχνη ῥητορική. *Voilà donc un ouvrage de Longin que nous venons de recouvrer, et que tout le monde croyoit perdu. Il existe en entier, à l'exception du premier Chapitre* de l'Invention, *où il paroit manquer quelque chose. L'ouvrage est digne de Longin, et n'est point inférieur à son admirable traité* sur le Sublime. *J'ignore par quel hazard ce livre a été inséré au milieu d'un ouvrage d'Apsinès. Il y a apparence qu'ils se sont trouvés réunis dans un même volume, et que le relieur, qui devoit le placer avant ou après le livre d'Apsinès, l'a placé au milieu. Cette erreur a passé dans les autres MSS. et dans l'édition d'Alde. Malheureusement cet ouvrage a été fort corrompu par les copistes. Il y a même par-ci par-là des lacunes indiquées par Alde; mais je me flatte que les MSS.*

d'I.

d'Italie et de France, que je fais consulter, y suppléeront. J'en ai déja rempli quelques unes au moyen des variantes que j'ai tirées de la Bibliothèque de Wolfenbuttel. Je me propose de publier cet ouvrage au plutôt, collationné avec plusieurs MSS., corrigé, et avec mes remarques et une traduction Latine.

Hactenus Celeberrimus Ruhnkenius. Apsinis autem et Scholiastae in Hermogenem loca, quibus eadem Longini verba referuntur, haec sunt:

Apsines secundum Rhet. Gr. Ald. T. I. p. 715.	*Longinus secundum Schol. in Hermogenem inter Aldi Rhet. Gr.* T. II. p. 380.
ὅσα δὲ σχήματα τῶν ἐννοιῶν ὠνόμασται· οἷον, προδιόρθωσις. ἀποσιώπησις. παράλειψις. εἰρωνεία. ἠθοποιΐα· ἅπαντα ταῦτα οὔ μοι δοκεῖ δικαίως σχήματα καλεῖσθαι, ἀλλ' ἔννοιαι καὶ ἐνθυμήματα, καὶ λογισμοῦ τοῦ πιθανοῦ χάριν καὶ πίστεων εἴδη. τὰ μὲν γὰρ προοιμίων ἔχει δύναμιν προδιόρθωσίς τε καὶ ἐπιδιόρθωσις, ἡ δὲ παράλειψις τὸ ἀξιόπιστον ἐνδείκνυται· καὶ μέρος ἂν εἴη τῆς παθητικῆς τε καὶ ἠθικῆς ἀποδείξεως τῇ τῆς ὑποκρίσεως ἀρετῇ πρέποντα.	καὶ δὴ Λογγῖνος ὁ Φιλολόγος ἐν τῇ ῥητορικῇ τέχνῃ μόνης τῆς λέξεως εἶναι λέγει [τὰ σχήματα αὐταῖς λέξεσι φάσκων οὗτος], ὅσα σχήματα τῶν ἐννοιῶν ὠνόμασται. οἷον προδιόρθωσις. ἐπιδιόρθωσις. ἀποσιώπησις. παράλειψις. εἰρωνεία. ειθιοποιΐα. ἅπαντα ταῦτα οὔ μοι δοκοῦσι δικαίως σχήματα καλεῖσθαι, ἀλλ' ἔννοιαι καὶ ἐνθυμήματα καὶ λογισμοὶ τοῦ πιθανοῦ χωρίου, καὶ πίστεως εἴδη· τὰ μὲν γὰρ προοιμίων ἔχει δύναμιν ἐπιδιόρθωσίς τε καὶ προδιόρθωσις, ἡ δὲ παράλειψις τὸ ἀξιόπιστον ἐνδείκνυται· καὶ μέρη ἂν εἴη τῆς παθητικῆς τε καὶ ἠθικῆς ἀποδείξεως τῇ τῆς ὑποκρίσεως ἀρετῇ πρέποντα.

Haec nefas fuisset omittere. Ceterum, de hoc invento Literario, post Rev. Kiddium in Opusc. Ruhnken. ex edit. Londin. 1807. Praef. p. XXVII. et Weiskium in Praef. ad Longinum p. XIX sqq. datâ opera egit V. Cl. F. A. Wolfius in Analectis Literariis, Germanice editis, Part. IV. No. VIII. p. 515—526. Longini opus, Ruhnkenii sagacitate in lucem revocatum, cum ejusdem Apparatu emendationis et interpretationis, ut Bakii nostri, Viri Celeberrimi, curâ ex Bibliothecae publicae latebris brevi ad publicam omnium notitiam proferatur, sicuti optavimus in Praef. Opusc. Ruhnk. p. XXI. ita h. l. denuo optamus, et optant nobiscum omnes antiquarum Literarum amantes.

P. 128. *Simile quid — apud Photium in Agatharchide*] Quod cujusmodi esset cum Valckenaerio suo communicavit per literas, e quibus postea didicisse se scribit Wyttenbachius in Laudatione Wassenaerii Philom. L. III. p. 18: et nunc ipsa huic loco illustrando apponere juvat Ruhnkenii verba, quorum edendorum copiam nobis fecit singularis Cl. Mahnii benivolentia. Sic igitur ille:

Qualem (scribit Ruhnkenius) *librorum perturbationem olim in Apsine, talem his ipsis diebus in Photio deprehendi. Nam Excerpta, quae dedit Agatharchidae, non unius sunt Agatharchidae, sed trium diversorum Scriptorum, glutinatoris culpâ inter se permista. Hoc inventum an ab aliis occupatum sit, nescio, quoniam careo Geographis minoribus Hudsonii.*

P. 1332, 18—47, *ed. Rothom. a verbis* Αὐστηρὸς ὁ λόγος *incipiunt Excerpta ex libro morali Tutoris ad juvenem regium usque ad* πλέον εὐλαβεῖσθαι. *Tum pau-*

pauca interponuntur ex Agatharchide de Aethiopum colore. Sed mox reditur ad Excerpta ex eodem libro morali a verbis, ibid. 53, Ἐγὼ δ' ἀφ' ἧς *usque ad* 1333, 25, τοῦτο πείσεσθαι. *Quis ille tutor, qui hunc libellum vel Epistolam ad juvenem regium, mox regem futurum, scripsit? An Antigonus tutor ad Philippum II. Alius jam non succurrit. Tu videris.*

P. 1333, 44 — 1337, 57, *est Excerptum e libro Rhetorico a verbis* ὅτι πολλοὶ *usque ad* παραγράφεται. *Neque me movet, quod p.* 1337, 6, *dicitur,* φησὶν ὁ Ἀγαθαρχίδης. *Nam haec verba non Photii sunt, sed interpolatoris. Et nimis manifestum est, alterius esse Scriptoris Excerptum. Sed cujus tandem? An Longini* περὶ παθῶν? *Quamquam dignum est Longino, stilus tamen differre videtur.*

P. 1344, 35, *In vero Agatharchide sic editur,* ἀναθέμενοι πέτρους αὐτοπαγεῖς ἐπὶ τῆς κοιλίας οἱονεί τινας ἀραιούς· *scribendum* οἱονεί τινας ἁρμούς. *Forte quis malit* οἱονεί τινας ἀραρινούς, *ex Hesychio* Ἀραρινοί. ὅσα *cet. Sed mihi, ut nosti, dudum suspecta visa est ista forma et mutanda in* Ἁρμοί. ὅσα *cet.*

Hactenus Ruhnkenius. In Hudsonii autem Geographis Minoribus hujus inventi nec vola nec vestigium exstat, nisi quod utroque loco, tam ad priora illa Αὐστηρὸς ὁ λόγος κ. τ. λ. quam ad posteriora Ὅτι πολλοὶ κ. τ. λ. ed. Hudson. Vol. I. Agath. p. 13 et 16. *multa desiderari* dicuntur *in Graeca editione H. Stephani:* unde liquet scriptorum illam perturbationem originem suam debere lacunae. Ergo integra manet et illibata sua sagacitati Ruhnkenianae laus, cujus ille tenue quoddam vestigium publice exstare voluit, ubi in annot. ad Rutil. Lupum p. 26. si-

sive Opusc. T. I. p. 381. ab eo laudatur *Agatharchides, vel potius Rhetor quidam, apud Photium Cod. CCL. p.* 1335. Cf. ibid. p. 364. et quae in Praefat. diximus p. XXI.

P. 129. *Compilator*] dicitur qui aliena dicta suis permiscet, et quasi *in pila contundit*, auctore Isidoro Hisp. X. p. 1071. Vocem temere suspectam Wolfio, Anal. Lit. II. p. 49, optime ex analogia defendit Lindemannus; si quidem translata significatione *compilare* et *compilatio* exstant apud Cicer. pro Mur. 11. et ad Div. II, 8.

P. 130. *Valkenarius*] de cujus in tuenda sententia sua pertinaciâ, operae pretium est legere quae in Praefat. Opusc. Ruhnken. ed. Londin. p. XXV. scripsit Cl. Kidd; cujus ibidem proditum honorificum de hac Ruhnkenii disputatione judicium retulimus in Praef. edit. Batavae p. XXII, ubi de Hesychio agitur.

P. 132. *In Praefatione ad Timaeum*] Versus finem, ubi: „ex hoc, inquit, Belgii Hemsterhusio, Varrone, „ varias et recondita plenas eruditione animadversio„ nes vel *blande elicui*, vel *importune expressi*. — „ Nam *quo minus ipse*, quae divinitus excogitavit, „ *in lucem proferre curat*, eo magis mihi, ne illis „ literae nostrae carerent, enitendum putavi." Cf. supra Elog. Hemst. p. 64 sq.

Ibid. Not. (47). *Aliquantum*] Idest *multum:* ut saepe. Videatur, praeter alios, Tursellinus de Partic. in voc. Ernestus ad Sueton. Caes. C. 86. p. 71. Hottingerus ad Ciceron. de Divin. II, 1. p. 167. et conf. alia loca infra p. 170 et 227, ubi conjunguntur *aliquantum*, i. e. haud parum, et *plurimum*, i. e. valde multum. De Hemsterhusii adversariis alibi diximus.

Ibid.

Ibid. *Quod proverbio dicitur, in cineres abiit*] i. e. plane periit, incendio quasi absumtus. Horatii est Epp. I, 15, 39, *vertere in fumum et cinerem.* Imprecantium formulam *vertatur in cineres* tractavit Erasmus Adag. p. 225. Nec multum differt *in fumum abire*, Graecis εἰς κάπνον οἴχεσθαι, ibid. p. 700.

P. 133. *Gronovium*] Magnum illum *Joannem Fredericum*, qui fere intelligitur ubicunque nulla diserta filii *Jacobi*, aut nepotis *Abrahami* mentio fit, laudis in illa gente auctor, ut infra dicitur p. 191. Vita ejus, eleganter scripta, praemissa legitur Lectionibus ejus Plautinis editis Amstelodami 1740. *Perfecti Critici* praestantiam ei tribuit Ruhnkenius in Elog. Hemsterh. p. 62. pluribus explicatam in Orat. de Doct Umbr. Opusc. T. I. p. 139. Cf. et p. 115. Summus Vir et Latinitatis scientià facile princeps, *pure* magis, quam *bene* scribendi facultatem habuit: judice Wyttenbachio infra p. 227. Plura Saxius Onom. Lit. P. IV. p. 427 sqq. et 601.

P. 136. *Rivalitatis*] Ciceronianum esse, Tusc. IV, 26, praeeunte Lindemanno, tironum causâ monemus. Quae autem de Ruhnkenio et Valckenaerio, si in certamen descendissent, judicavit Wyttenbachius, iis nil verius umquam judicari potuisse, facile unicuique patebit comparanti dissimilem in magna similitudine rationem, qua uterque Taylori aliquando rationes oppugnavit; alter in Hist. Crit. Orat. Graec.; alter in Adversariis, e quibus eum qui huc pertinet locum edidit Sluiterus. Vid. Ruhnken. Opusc. T. I. p. 326—330.

P. 137. *Ut magis etiam Hemsterhusius factitaverat*] Vid. supra Elog. Viri p. 35. De Ruhnkenio Societati Literarum Belgicarum Leidensi adscripto,

ejusque in hoc Literarum genere meritis, diximus in Add. Opusc. Ruhnk. p. 1014.

P. 140. *In Hemsterhusio — natura omnia ad gravitatem finxerat.*] Elog. Hemst. p. 72 et supra p. 20.

Ibid. *Unus è multis*] Vid. infra p. 264.

Ibid. *Contemnebat — despiciebat — confutabat*] Elegans gradatio, tironibus animadvertenda. De discrimine verborum, *spernere*, *contemnere*, *despicere*, post Lambinum, monuit Ruhnken. ad Muret. T. II. p. 127. sive Opusc. T. II. p. 760.

Ibid. *Quod magnis praesertim et heroicis ingeniis accidisse constat, — intemperie — afficiebatur, quam μελαγχολίαν Graeci vocant*] Ἡρωϊκὸν πάθος Graeci vocarunt. Conferatur similis de F. G. Boersio Wyttenbachii narratio, Philom. L. III. p. 251. sive Opusc. T. II. p. 365.

P. 142. *Rutilium Lupum*] Cf. Praef. Opusc. Ruhnk. p. XXVII sqq. De Gorgia, cujus mox fit mentio, vid. Ruhnkenii Praef. ibid. T. I. p. 293.

P. 146. *Antiphonte, de quo antea — quorum scripta*] Locus suppletus ex Bibl. Crit. P. XII. p. 113. Legitur autem illa Disputatio in Opusc. Ruhnken. T. I. p. 142 sqq. Cf. Praef. p. XX.

P. 148. Not. (55). *Jo. Enschedeus*] Notitia de hujus Disputatione item ducta est ex Bibl. Crit. l. c. Vid. ipsa Disput. ibid. p. 412 sqq. et Praefat. p. XXIX.

Ibid. *Fuit — Ruhnkenius mihi, ut ipsi Hemsterhusius, novae veluti vitae auctor*] De Ruhnkenio, proditum supra p. 32. De Wyttenbachio, ista de se fatente, Vit. Wyttenb. p. 75 sqq. Similiter Hemsterhusii auctoritate motus Wesselingius *totam studiorum rationem immutavit*, ut est in Elog. p. 61.

Ibid. *Platonem, mirifico — hujus studio capiebar*] Haec

Haec item alibi de se fatetur Wyttenbachius, cujus legatur Vita p. 73—76 et 117.

P. 149. *Quoad ejus fieri posset*] Elegans formula, et optimis quibusque scriptoribus perfamiliaris: de qua nec Lindemanni, nec scriptiuncularum ei laudatarum, auctoritatem desideramus. Cf. supra p. 21. infra p. 183, 238, alibi.

P. 150. *Enchiridion*] Quamquam Graecum, non est quod Graecis literis scribatur. Plura sunt hujus generis in Latinis scriptoribus: v. c. *acta*, pro ἀκτή, de litore, ap. Cicer. in Verr. V, 31, annotatum Mureto Var. Lect. I, 3. Cf. ad Att. XIV, 8. Addantur *chirographa*, *doriphorus*, *epidicticus*, *epilogus*, *thesis*, alia passim apud eumdem aliosque Rhetores.

P. 151. *Heynio*] Vid. Vita Wyttenbachii p. 77 et 89.

P. 152. *Ruhnkenius — adeo mihi amanter scripsit*] Literas prodidit Mahnius Vit. Wyttenb. p. 79.

Ibid. *Ejus diei, quo die*] Elegantem repetitionem, cum singulari laetitiae significatione conjunctam, tirones animadvertant. Infra p. 254, *clades: quam ille cladem*. Cf. Lindem. ad h. l. et qui nonnulla hujus generis collegit Jensius Obss. Sing. Stili Lat. p. 28.

Ibid. *Multos mei studii reprehensores*,] Qui quales fuerint, constat ex Vita Wyttenbachii (p. 67.) perpetuo iis reponentis illud:

Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν.

Cf. Biblioth. Crit. P. V. Praef. p. VI.

Ibid. *Quis meus fuerit sensus ad Ruhnkenii Valckenariique adspectum*] Vid. Wyttenb. p. 92 sq.

P. 153. *Sumant superbiam quaesitam meritis*] Horatianum, supra jam laudatum ad Elog. Hemsterh. p. 70. De istiusmodi superbo Professore legatur festiva Mahnii narratio in Critone p. 41 sq.

Ibid. *Remonstrantium Societas, cet.*] Legatur Vita Wyttenbachii p. 94.

P. 154. *Sui caussâ*] Sic pro *suâ causa* singulari sententiae incremento aliquoties scripsit Wyttenbachius, infra p. 190, 212 et 254, improbante Lindemanno. Nos quidem non videmus, quidni cum Genitivo pronominis, non secus ac nominis, Ablativos *caussâ*, *gratiâ*, cet. ponere liceat ad imitationem Graeci ἕνεκα: sed in quaestione difficili, et summorum Virorum L. Vallae Elegant. II, 1, Sanctii ac Perizonii Minerv. II, 13, dissensione, nil temere assumendum arbitramur.

P. 155. *Xenophontem peculiari quadam cura tractaverat*] atque adeo ejus edendi consilium aliquando agitaverat, et cum Ernesto ac Bachio ea de re egerat locis laudatis in Praef. Opusc. p. XXXIII. Ceterum hanc de Ernesto relationem, temere a Tittmanno reprehensam, defendit Censor Philomath. L. III. p. 119 — 122. ubi in primis conf. Valckenaerii Ep. p. 182.

P. 156. *Parum aberat*] Ne cui suspectum sit, dubitanti an *parum* accipere liceat pro *non multum*, *non longe;* per me licet, accipiatur pro *nihil*, ut scripsit Cicero ad Att. XI, 15: *prorsus nihil abest, quin sim miserrimus.* Nihil, aut certe fere nihil abfuisse, quin tota excluderetur Valckenaerii opera, sequentia ostendunt. Cf. Schelleri Praec. Stili P. I. C. II. p. 71. et P. II. C. I. p. 565.

Ibid. *Valckenaerium inter et Ernestum*] idest mutuo, aut invicem inter Valck. et Ern. Phaedri est, Fab. II, 8, 20: *haec inter.* Ciceronis de Amic. C. 22: *quos inter.* Livii XXII, 3: *Faesulas inter Arretiumque.* Ergo falsum est, quod Lindem. contendit, eam structuram, qua inter duo substantiva

pe-

ponatur illa praepositio, *praeter Tacitum et poëtas*, *neminem* invenire fautorem.

P. 157. *Narrationem de vita J. M. Gesneri*] nuper illam repetitam ab A. Matthiae in Exempl. Eloq. Lat. p. 212 sqq.

Ibid. *Ut supra dixi*] Vid. p. 126.

P. 159. *Scripsit alicubi Ernestum, caet.*] Istud *alicubi* ubinam reperiatur, quamvis saepius quaerentes, nondum indagare potuimus.

P. 160. *In Actis Literariis*] Vol. VI. P. III. p. 331 — 336. Nos de Medenbachio Wakkero diximus in Opusc. Ruhnken. Praef. p. XXX. et LXIII. item Suppl. p. 1007. Plura Saxius Onom. Lit. P. VIII. p. 373. Ceterum pro *praeceptore suo* fortasse verius legatur *patrono suo*, si quidem sese Ruhnkenii *clientem*, potius quam *discipulum*, professus est in Carmine ejus nomini inscripto.

Ibid. *Burmannus Anthologiae Latinae Volumine altero*] Pag. 482 et 745. significans locum Elogii Hemsterh. de perfecto Critico, Geometriae ac Philosophiae non ignaro, p. 32 — 36. ac fortasse etiam N. Heinsii cum P. Burmanno majore comparationem p. 14. Vid. Add. Opusc. Ruhnk. p. 1030.

Ibid. *Schraderus in Emendationibus*] Praefat. p. LI — LIV. suum sibi, quod Observationum Cap. V. p. 54. conjecerat apud Virgilium, Aen. I, 134: *Vos ego*, acriter vindicans adversus verissimam simul ac lenissimam Ruhnkenii, Schraderi nomini parcentis, reprehensionem ad Aquilam Rom. p. 147.

Ibid. *Alius amicus homo semidoctus*] Vid. supra p. 77. Neque etiam eum, qui sequitur, *nescio quem Scholae Rectorem*, et Wyttenbachii haec scribentis aetate non ignoratum magnaque cum doctrinae fama

 ce-

celebri in urbe docentem, et nunc, quamvis mortuum, multorum adhuc in animis recordatione sui ac desiderio viventem, nominatim commemorare attinet. Fuisse autem dicitur vir in illo, ut ajunt, *enthusiasmi* genere haud sane contemnendus; et, si cum aliorum multorum, qui sese postea *aestheticos* jactarunt, levitate comparetur, prorsus egregius: at nihil ad Ruhnkenios, Valckenaerios similesque viros eruditissimos; qui quid de *aestheticis* scriptorum *editionibus* sentirent, infra dictum p. 244.

P. 161. *Erudire tirones — docere veteranos*] Sic pro *instituere*, mox repetitum in verbis *instituere initiatos*, dedimus *erudire* ex Biblioth. Crit. P. XII. p. 113. Est hoc proprium tironum, quos magister *rudes* accipiens, ac fere omnium ignaros, *erudire* debet, idest, excolere, expolire. Nec tamen alterum *instituere*, quamquam absolute positum speciem habere videtur Gallicismi, idcirco plane repudiandum, propter loca Ciceronis et Quinctiliani, eâ significatione apud Facciolatum allata, in his illum de Senect. C. 9: *ut (senectus) adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat.* Cf. supra ad p. 63. Latius patet *docere*, ad tirones aeque ac veteranos et ipsos doctos pertinens; ac, pro varia aliorum locorum ratione, modo *doctum*, modo *doctiorem facere* significans. Alio sensu *doctis* opponuntur *eruditi*, idest, qui ita docti sunt ut iis ad doctrinae perfectionem nihil fere desit, ne ultima quidem manus et lima. Cf. supra p. 21.

Ibid. *Initiatos ad ἐποπτικὰ et interiora mysteria adducere*] Graecis τὰ τέλεα καὶ ἐποπτικὰ, ut apud Platonem in Symp. p. 210, A, *perfecta et interiora mysteria:* quorum *inspectio*, i. e. ἔποψις, non nisi perfec-

fecte initiatis concedebatur. Cf. Valckenaer. ad Eurip. Hippol. vs. 25.

P. 162. *Ulyssis*] Scribendum *Ulixis* contendit Lindem. auctoritate codicum, eorum quidem quot ipse usurpaverit. Aliquanto prudentius Facciol. voce *Ulixes*, ita esse ait *in quamplurimis MSS. et veteribus libris*. Nec tamen propterea temere omnibus locis immutanda vulgaris scriptura. Nam et nihil habet quod cum Graeco 'Οδυσσεὺς aut cum linguae Latinae analogia pugnet: et libri scripti non semper idem, neque eodem modo habent; nec vitiorum expertes existimandi sunt. Sed mittimus longiorem, quam pro hujus loci instituto, quaestionem.

P. 164. *Sebastiani Corradi — Quaestura*] Huc pertinent Ernesto scripta, Ep. I et IV. Opusc. Ruhnk. T. II. p. 820 et 832. Cf. Praefat. p. LV.

P. 165. *J. Christianus Bangius*] Biblioth. Crit. loco laudato addatur viri memoria ibid. P. XII. p. 97 sq. Cf. et Wyttenb. Ep. ad Ern. ed. Tittm. p. 85. seu Opusc. Wytt. T. I. p. 802. Dignus item, qui de eo legatur, Creuzerus V. Cl. in Notitia de vita sua Germanice scripta.

P. 167. *Quamdiu his in loci angustiis Bibliotheca relicta fuerit*] Iniquae non erant Ruhnkenii, ac Wyttenbachii ista scribentis, querelae de Bibliothecae Lugduno-Batavae angustiis, non adeo ab angustia loci repetendis; quamquam erat locus non valde amplus; sed potius ab increscente quotidie magis magisque novorum thesaurorum numero, in primis post illatam ei universam Ruhnkenii literatam supellectilem; quo fiebat ut, quod ajunt, *copia inopiam faceret*. Contra, iniquae plane ac falsae sunt recentes nonnullorum voces, de praestanti nostro librorum

rum editorum scriptorumque apparatu ita fere pronuntiantium, ac si omnia illa, situ et squalore obruta, perpetuis quasi tenebris sepulta jacere arbitrentur, neque cuiquam patere tantarum divitiarum usum adi-tumque. Ex eo genere sunt, quae passim protulit Germanus ille Censor noster ed. suae pag. 9, 24, 91, 92, et 167, idem de Hispanorum Bibliothecis haud mitius sentiens pag. 94. Quae omnia profecto, nisi superbiae, malevolentiae et ingrati animi, ignorantiae certe ac temeritatis haud levem movent suspicionem: et, quamvis longa refutatione indigna, non plane tamen silentio praetereunda sunt. Ac de loco quidem, etsi quod sperabat Ruhnkenius, et nuper etiam sperabant alii clari viri, in his Te Waterus noster Narrat. Saecularis p. 80 sq., *ut Bibliotheca* nostra *Publica* tandem aliquando *ex angustia sua in amplius et cum ipsius praestantia, tum Academiae fama dignum domicilium traduceretur*; hoc igitur, etsi factum nondum est, attamen idem Bibliothecae locus ex angustiore et obscuriore factus est cum amplior tum splendidior: et quod ad commodum librorum ordinem, eorumdemque facilem usum attinet; in quo cernitur primaria cujusvis Bibliothecae laus, multoque ea magis quam in magnifici aedificii amplitudine, thecarumque libris reponendis ornatu; ut nunc quidem sese res habet, in Biblioth. Lugduno-Batava omnia ita comparata sunt, ut et suo quodque loco positum, quoad ejus fieri potest, facile in promtu sit: et neminis justo desiderio modestaeque petitioni quidquam denegetur: Catalogi denique conficiendi labor, alacriter ac strenue susceptus, brevi tempore insigniter proficiat. Quorum omnium laus ut modeste praedicanda, sic ac-

accepta referenda est singulari industriae ac diligentiae, pari cum humanitate conjunctae, Virorum Clarissimorum et Eruditissimorum J. Voorstii et J. Geelii. De quo ut constat inter omnes qui suis ipsorum oculis perlustrarunt, ita qui non viderunt, iis constare potest ex Orationibus Rectorum Magnif. Clarissii, Ekamae et Siegenbeekii, in Annalibus Academ. a. 1821, 1822 et 1823.

P. 169. *Dissertationem de Vita et Scriptis Longini*] Vid. quae diximus in Praefat. Opusc. Ruhnken. p. XXXII. Mox pro *seorsim* lege *seorsum*.

P. 170. *Bibliothecam Criticam scribere instituento — suasor fuit consilii*] Atque adeo socius, conferendis duabus censuris, altera Ignarrae Commentarii de Palaestra Neapolitana, a. 1780: altera Poëmatis Orphici de Lapidibus a Tyrwhitto editi, a. 1783. quae ei acceptae referuntur Bibl. Crit. P. IX. p. VI. Vid. Praef. laud. p. XXXVI. et Vita Wyttenb. p. 109. Conf. et Philom. L. III. p. 172.

Ibid. *Tum Burmannus Sec., abdicata Amstel. cathedra — fuissemus discipuli*] Relata sunt in Vita Wyttenb. l. c. De Burmanni inimicitia vid. supra p. 92 et 160. Pro constructione verbi *abdicare* cum Accusativo, *abdicato magistratu* e Sallustio de B. Cat. 47. affertur a Frontone ap. Lindem. et *abdicare dictaturam* ex Livio VI, 18. Dicitur, ante tempus deponere, ut fecit Burmannus, appropinquante senectute. Vid. viri memoria mox laudanda, et conf. Facciolati Thes. Lat. in Voce.

Ibid. *Communis amici Laurentii Santenii*] Conf. Ruhnkenii Praefat. ad Muret. Opusc. T. II. p. 689. et Annot. ad Hermesianactis elegiam, ibid. p. 633 et 638. Viri memoriam servavit Wyttenbachius in

Bi-

Biblioth. Crit. P. XI. relatam Opusc. T. II. p. 80 sqq. cui, praeter Hoeuftium et Saxium, addatur Ev. Wassenberghii Orat. Euchar. p. 28. et Annot. p. 14.

P. 171. *Mihi — in aurem dicebat*] Horatianum, Satir. I, 9, 9: *in aurem Dicere nescio quid puero.* Euripidis in Andromache Orestes, v. 1094, *εἰς οὖς ἑκάστῳ δυσμενεῖς ηὖδα λόγους*, idest, clanculum, ne audirent alii.

P. 172. *Notitiae cum Christ. Frid. Matthaei*] De quâ, ut in universum de illa Hymnorum Homericorum editione, praeter ea quae infra leguntur p. 176 et 183. et in Praefat Opusc. Ruhnk. p. XXXVI sqq. uberius nobis constitit ex ipsis a Matthaeo datis ad Ruhnkenium Epistolis autographis, quas in Bibliotheca nostra publica asservatas propediem edituri sumus.

Ibid. *In Praefat. Plutarchea*] Opusc. Wyttenb. Vol. I. p. 288, 343, 350.

Ibid. *Dissert. — supra memoratam*] Pag. 169. Cf. infra p. 293.

P. 173. *Valuit tum Ruhnkenii amor — ad me in Batava terra retinendum*] Vita Wyttenb. p. 110.

P. 173. *Corn. Oudendorpius — se a Ruhnkenio adjutum — professus est*] Viri verba retulimus in Praef. Opusc. Ruhnk. p. XXXIV. ubi simul agitur de Ruhnkenii partibus in Propertio Burmanniano a. 1780. L. Santenii curâ edito.

P. 175. *In monstrosis verbis* (II, 82), *Libium in Caesare et rep.*] Velleji verba sunt: *Qua aestate Caesar tam prospere* LIBIUM *in Sicilia* BENE *fortuna in Caesare et rep.* MILITAVIT *ad Orientem.* Ruhnkenii emendatio haec: *Q. a. C. t. p.* SEPELIVIT *in S.* BELLUM, *f. in C. et r.* MUTAVIT *ad Or.* Quae, prae-

praeeunte Lindemanno, operae pretium duximus apponere, illorum in gratiam adolescentum, quibus non nisi nomine cognita est Velleji illa editio Ruhnkeniana, de qua cf. Praef. Opusc. p. xxxv.

Ibid. *Delata mihi in Amstelodamensi Athenaeo Philosophiae professione*] A. 1779. Vid. vita Wyttenb. p. 111.

Ibid. *Burmanni obitu superiore anno mortui*] A. 1778. Vid. viri memoria Opusc. Wyttenb. T. I. p. 135. ex Biblioth. Crit. P. II. p. 139. deque ejus Bibliotheca per auctionem divendita, jucunda narratio Philom. L. II. p. 202 sq.

P. 176. *Illud Catonis in tribus sibi poenitendis factis tertium censentis quod unum diem intestatus mansisset*] Vid. Plutarch. in Cat. C. 9. Lindemanno laudatus.

P. 177. *Vitae notationem Hakenius Germanice à se versam — edidit*] Hanc, ex Germanicis denuo Latine versam retulimus Opusc. Ruhnk. T. II. p. 876 sq. unde eam, utpote cum hujus libri argumento arcte conjunctam, h. l. iterum repetere lubet:

DAVID RUHNKENIUS *hac ipsa in urbe Stolpa, ut scribit, honestissimis parentibus ortus est. Prima disciplinarum elementa, propter certas quasdam propinquorum necessitudines, non in Stolpensi, sed in Schlavensi schola percepit, duce ejusdem Rectore Kniephofio, qui postea per multos annos, pari cum laude sua et discipulorum utilitate, Coslinensi praefuit scholae.*

Exinde Regiomontium in Collegium Fridericianum delatus, decursis ejus spatiis a. 1741, *consilium coepit Goettingam adeundi, Gesneri maxime fama impul-*

pulsus. Igitur per Pomeraniam iter faciens, ac per breve tempus apud parentes commoratus, Berolinum proficiscitur ut, quaecunque illa Regia sedes peregrinantibus spectatu digna offerret, omnia suis ipse oculis lustraret. Antea vero quam Academiam Goettingensem adiret, cepit eum visendae Witebergae desiderium, ad Bergeri *ac* Ritteri *notitiam sibi comparandam. Vix autem horum duumvirorum, qui civitati eruditae tanto fuerunt ornamento, notitia sibi contracta, conciliata item sibi arctissima* Jo. Aug. Ernesti *amicitia, adeo ipsi placuit Witeberga, ut, misso Goettingam adeundi consilio, illius Academiam sibi praeferendam duceret. Literae Latinae, Antiquitas Romana, Historia Universalis et Jus Civile, omnia Witebergae quam optime tradebantur: solae penitus jacebant Graecae Literae, quarum tamen ardentissimo desiderio tenebatur doctus juvenis. Relicta igitur Germania, a.* 1744. *Lugdunum Batavorum proficiscitur eo consilio, ut, duce* Tiberio Hemsterhusio, *suam discendi cupiditatem per aliquot annos satiaret; quaeque praeterea desiderabat, in hac Academia reperit, Historiae et Juris Civilis Doctores, vera seculi sui ornamenta. In primis diligenter uti solebat publicae in eâ urbe Bibliothecae divitiis, unde factum est, ut Celeberrimo Joanni Alberti in edendo Hesychio operam suam et auxilium praestaret; atque adeo, mortuo Albertio, opus ipse suo Marte absolveret, cujus alterum volumen a.* 1766. *ex ejus manibus exiit.*

Anno 1755. *in Galliam sese contulit, et integrum annum Lutetiae Parisiorum transegit, ad Bibliothecam Regiam perscrutandam, partim ut, quae in unaquaque disciplina scitu dignissima sunt, ex hoc thesau-*

sauro sibi excerperet, partim ut veteres Scriptores cum Codicibus Mss. conferret.

Tot tantisque doctrinae divitiis onustus, in Belgium rediit: dum interea magister ejus et alter parens Hemsterhusius, probe perspecta ipsius praestantia, a Curatoribus Academiae perpetuo ac sine ulla intermissione petierat, ut sibi, longius aetate provecto, Ruhnkenius in docendi munere adjungeretur. Sic factum est, ut crearetur Professor extraordinarius, sive potius Lector docendis Graecis Literis.

Porro per quatuor annorum spatium, pari et sua laude et studiosae juventutis emolumento, hac statione quam fieri poterat diligentissime functo, post obitum Francisci Oudendorpii, *delata est ei ordinaria Historiarum et Eloquentiae Professio; atque a.* 1774. *Praefectura Bibliothecae Publicae Lugduno-Batavae.*

Latissime pervagata Ruhnkenii fama motus Ampliss. Munchusius, eum in Gesneri locum Goettingam evocavit: ipse ab Academia Leidensi relinquenda quam maxime alienus, satis habuit Curatoribus commendare celeberrimum Heynium; cui haec provincia prosperrimo successu demandata est.

A. 1763. *matrimonium iniit cum mercatoris Amstelodamensis filia*, Maria Heiermann (*), *quod conjugium duabus carissimis filiabus*, Elisabetha *et* Maria, *beatum voluit Deus O. M.*

Scripta, quae nomen ejus commendant, sunt sequentia:

I.

(*) Paulo aliter Wyttenbachius scripsit *Heirmans*, supra p. 119.

1. *Diss. II. de Galla Placidia Augusta. Vitemb.* 1743. 4.
2. *Epistolae criticae in Homerum, Hesiodum, Callimachum, et Apollonium Rhodium* 1749—1751. 8.
3. *Thalelaei, Theodori, Stephani, Cyrilli, Commentarii in Tit. D. et Cod. de postulando sive de Advocatis et Procuratoribus. Gr. et Lat. Hagae Comitum* 1752. *fol.*
4. *Timaei Sophistae Lexicon vocum Platonicarum cum animadv. Lugd. Bat.* 1754. 8.
5. *Orat. de Graecia, artium et doctrinarum inventrice, Lugd. Bat.* 1757. 4.
6. *Orat. de Doctore umbratico, publice dicta in Academia Lugduno Batava d. XXI. Septbr.* 1761. *quum ordinariam Historiar. et Eloquentiae professionem auspicaretur. Lugd. Bat.* 1761. 4.
7. *Hesychii Pars altera. Lugd. Bat.* 1766. *fol.*
8. *P. Rutilius Lupus de figuris sententiarum et elocutionis libri duo cum not. accedunt Aquilae Romani et Julii Rufiniani de eod. arg. libri. Lugd. Bat.* 1768. 8.
9. *Elogium T. Hemsterhusii. Lugd. Bat.* 1768. 8.
10. *Notae in Xenophontem adjectae sunt editioni Ernestinae, Lips.* 1772. 8.
11. *Vellejus Paterculus. Lugd. Bat.* 1779. 8.
12. *Notae in Longinum adjectae sunt editioni Toupianae. Oxonii* 1779. 4.
13. *Homeri Hymnus in Cererem. Lugd. Bat.* 1780. 8.

Sub ejus quoque praesidio juvenis quidam Petrus Joannes Schardam, *Sparendamo Batavus, ab ipso conscriptam* Dissertationem de vita et scriptis Longini *publice defendit.*

Mit-

Mittimus reliqua ab Hakenio addita. Similem Vitae rerumque suarum Commentariolum aliquando scripsit Wyttenbachius, relatum in ejus Vit. p. 222.

P. 179. *Discordia, tamquam ignis sub doloso cinere latens*] Cum Horatio, Carm. II, 1, 8: *Et incedis per ignes Suppositos cineri doloso;* recte comparavit Lindemannus.

P. 184. *Varronis Attacini*] Sic operarum vitio editum, ipso quamvis Wyttenbachio probe gnaro, scribendum esse *Atacini*, nomine ducto ab *Atace*, Galliae Narbonensis fluvio. Vid. Ruhnkenii de eo disputatio Opusc. T. II. p. 604.

P. 185. *Supplementum Florilegii Stobaeani*] Quod supplementum, paginis constans octoginta, novissimae Florilegii editioni, Oxonii excusae a. 1822, Appendicis loco T. IV. subjecit Vir de Stobaeo idem ac de bonis Literis praeclare meritus, Th. Gaisford, cujus legatur Praef. T. I. p. VIII. Plura dicemus ad p. 238.

Ibid. *Plato*] De Ruhnkenii studiis in Platone positis, Wyttenbachii vestigia secuti, diximus in Praef. Opusc. Ruhnk. p. XLI sqq. Animadversionis in Scholia specimen exhibuimus T. II. p. 918 sqq.

Ibid. *Edenburgensibus novam editionem molientibus, cet.*] De hoc eorum instituto scripsit a. 1751. Bernardus Reiskio p. 434: „ *Edimburgi* paratur „ nova *editio* operum *Platonis* novem voluminibus „ in 4°. comprehendenda, vel sex in folio."

P. 186. *Nonnullas interpretationis correctiones*] Quod cujusmodi fuerit, disci potest ex Opusc. Ruhnk. T. I. p. 231 sqq.

P. 188. *Himerius Wernsdorfianus*] De hoc Himerii edendi negotio, tarde et cunctanter suscepto agitatoque, conferri possunt ipsius Wernsdorfii querelae in

Epp. ad Reiskium p. 758 sq. 761, 764, 772, 777.

P. 189. *Doeyereni obitu*] d. xxxi. Decembr. 1783. teste Te Watero, Narr. de Acad. L. B. p. 232. Viri memoriam celebravit Cl. E. Sandifort in Museo Anat. T. I. p. 93 sqq. De ejus cum Ruhnkenio consuetudine vid. supra pag. 176.

Ibid. *Successoris Paradysii*] Vid. Te Waterus l. c. p. 238. Viri, d. vii. Sept. 1812, defuncti Opuscula Academica, addita vitae scriptorumque notitia, edidit H. Tollius V. Cl., censuit Wyttenbachius Philom. L. III. p. 273. seu Opusc. T. II. p. 347.

Ibid. *Alii — eumque me futurum*] Gratam orationis familiaris negligentiam, recte a Lindemanno animadversam, tirones discant hoc exemplo.

P. 190. *Novus Collega J. G. Te Water*] A. 1785. Orationem illam de Theologo erudito habuit a. 1789. Jablonskii Opuscula, ejus curae commissa, prodierunt Lugd. Bat. apud Honkoopios, IV. Voll. deinceps a. 1804 et seqq. partim censa Bibl. Crit. P. XI. p. 156. et XII. p. 98. partim honorifica mentione commendata in Animadversionum ad Plutarch. de Iside et Osiride Exordio. Obiit Senex Ven. anno proxime praeterlapso 1822. d. xix. Octobris, laudatus a Cl. Siegenbeekio coram Societate Literarum Belgicarum.

P. 191. *Tum quoque praeclare meruit de Celso — quadrata*] Ex Biblioth. Crit. P. XII. p. 113. Ruhnkenii Praefatio legitur Opusc. T. II. p. 649 sqq.

P. 192. *Reliqua pars — ingenti pretio venditata*] XXX vel XL millium florenorum: *divendita*, ne III. quidem millibus florenorum: teste Te Watero Narr. l. p. 76. Ceterum, quod ait Wyttenbachius, *Ruhnkenium maximam optimamque* partem *librorum*

Gro-

Gronovianorum, *Bibliothecae Lugdunobatavae vindicasse*, cum Platonis loco, in Alcibiade I. *auri Lacedaemonem ingredientis vestigia manifesta* esse, *exeuntis nusquam apparere* querentis, importunus doctrinae suae ostentator, planeque contra veritatem, comparavit Lindemannus; parum cogitans tot tantasque Literarum divitias, haud secus atque ingens auri argentique pondus, in sacram Bibliothecae nostrae publicae insulam, veluti in alteram Delum et commune eruditae civitatis aerarium, deportandas ibique religiose asservandas esse; unde suo tempore suoque loco unicuique modeste petenti tantum, quantum indigeat, impertiatur: neque eas fas esse patere molestae profanorum ac proletariorum turbae, quorum in manibus aut perirent, aut adulterarentur. Ruhnkenius quidem, ut est infra p. 250, ventosos homines ab his sacris arcere solebat. Meliore fato usus Lindemannus, cui ad ea patuit aditus, nunc impune sibi licere arbitratur mentiri et calumniari. Hoccine tandem hominis est beneficiorum memoris, ac non potius unius omnium maxime immemoris et ingrati!

P. 193. *Reliqua Appuleji pars adhuc in scriniis continetur*] Anno 1799. quo haec scribebat Wyttenbachius. Quam ejus brevi in lucem prodituræ spem feceramus Opusc. Ruhnk. T. II. p. 659. nuper comprobavit eventus, reliquo omni Oudendorpii Apparatu anno superiore apud Luchtmansios II. Voll. edito. Quo facto gratulari par est cum doctissimo editori Joanni Bosscha, tum universae Patriae, quae, classico veteris eruditionis opere absoluto, suam sibi pristinam Literarum laudem egregie vindicatam vidit.

P. 196. *Hoc quosdam pungebat, et — aggregabat*] Nulla inest, quam sibi finxit Lindemannus, aut obscu-

scuritas aut difficultas: nec opus erat repetere *eos*, utroque verbo eumdem casum regente. Innumera sunt talis structurae exempla.

P. 196. *Sicut olim in simili rerum conversione Jo. Meursius*] Anno 1625, quo suam ipse vitam conscripsit, ediditque in Athenis Batavis p. 194.

P. 197. *Ciceronis*] De Divinatione, II, 2.

P. 198. *In scholis numquam de praesente rei publ. statu loquebatur*] Quod probare et imitari solebat Wyttenbachius. Vid. ejus Vita p. 145.

Ibid. *Quod Academia Oxoniensis Plutarchum meum excudendum recepisset*] Res nota, praeter Vitam Wyttenb. p. 147 sq., ex Biblioth. Crit. P. X. p. 106 sq. Cf. Saxii Onom. P. VIII. p. 416. Plutarchi autem edendi auctorem suasoremque sibi fuisse Ruhnkenium, pluribus locis testatur Wyttenbachius, infra p. 211 et 237. Ep. ad Ernest. Opusc. T. I. p. 805. et Ruhnkenius ipse laetus scripsit Vaassenio, Opusc. T. II. p. 892. ubi vid. Addenda p. 1034.

P. 199. *Henricus Hana, cet.*] Dolemus quidem nos, quamvis sedulam operam navantes, testimoniorum Ruhnkenii neutrum nancisci potuisse. At nacti sumus Wyttenbachii testimonium, et de hoc ipso negotio scriptas literas: quas ab Hanae filio, optimae spei adolescente, et qui in hac ipsa Academia Literas humaniores cum maxime colit, cum Bossio nostro communicatas, h. l. omittere nefas sit. Et Testimonium quidem hujusmodi est:

* * *

Logicam et Metaphysicam docenti mihi operam dedit HENRICUS HANA, *per unum quidem annum, sed*

ita

ita ut temporis brevitatem progressuum magnitudine compensaret. Neque enim tantummodo illis percipiendis doctrinis ingenii bonitatem cum laboris assiduitate conjunxit, sed in aliis quoque doctrinarum generibus domesticâ industriâ tractandis et rectâ studiorum viâ persequendâ docilem se et obtemperantem meis consiliis praebuit. Itaque verissime eum in iis numero, qui egregiae spei discipuli et habentur et nominantur.

Dab. Amstelaedami d. 7. Septembr. A. MDCCLXXXIII.

Cui eodem anno aliud alius praeceptoris judicium, nec minus Hanae honorificum, tunc temporis adhuc Theologiae studiis destinato, accessit hoc:

L. S. D. DID. ADR. WALRAVEN *in Illustri Amstelaed. Athenaeo Ling. et Antiq. Orient. Professor.*

H. HANA, *vir juvenis ingenio atque doctrinae amore praestans, meis in linguis Orientalibus per biennium usus institutionibus, quotidiana assiduitate et accuratissima diligentia se mihi probatissimum dedit, atque insignes, quanti quidem per hoc temporis spatium a studioso juvene alia humanitatis studia non minori cum diligentia excolente fieri potuerunt, in lingua Hebraica, Chaldaica, Syriaca et Arabica fecit progressus. Faxit Deus immortalis, ut aeque prosperi sint reliqui hujus juvenis labores et conatus laudabiles, ut Ecclesiam Christianam sua etiam eruditione aliquando exornet! Dabam Amstelaedami* XXVIII. *Decemb.* CIƆIƆCCLXXXIII.

Literae tres sunt numero, paucorum deinceps dierum intervallo datae:

* * *

Redditae mihi nuper sunt literae ad me tuae, mi Hana, peramanter scriptae. Nunc aliud te volo. Munus Rectoris apud nos vacat. Hujus si tibi suscipiendi gerendique est animus, experiar si quid tui caussa efficere possim; quamquam res nunc multo sunt incertiores quam antea. Nam missus jam Ommerenus Bosscham commendavit. Praeceptores etiam provehendo uno ad rectoratum, omnes se aliquantum progressuros sperunt: et est adhuc unus eorum cujus tu discipulus fuisti. Sunt et alii qui ambiant nostros Curatores. Sed tu constitues quid tibi faciendum sit cum uxore tua: quam meo nomine salutabis: nam in hoc munere bene gerendo magnae cernuntur partes matris familias: praesertim quum haec primaria sit conditio, ut rector, quantum possit discipulorum contubernales et disciplina et convictu suscipiat educandos. Interea nemini quid dicas per quos effluere propositi nostri notitia possit. Aliae etiam sunt hujus negotii partes: de quibus quum per festinationem scribere mihi non liceat, coram agemus. Ego satis valeo: at neptis vehementer nec sine vitae periculo aegrotat. Vale, Mahniumque nostrum saluta. Scr. Amstelodami d. 10. *Decembris* 1795.

HANAE SUO D. W. S.

Crescit spes nostra. Sed sunt, de quibus te quam citissime certiorem reddere debui.

Primum est de stipendio: quod ab 1800 *gl. ad* 1200 *redactum est, tantumque manebit quamdiu is qui nunc dimissus est Rector, vivet. Hunc tamen non diu*

diu vitalem fore, novo iterum indicio compertum. Caetera omnia commoda. et emolumenta servantur novo rectori.

Alterum pertinet ad rectum de re publica sensum, quem civismum *vocant: cujus tu tibi triplex testimonium parare debes.*

Primum est: ut formulam professionis, (declarationem vocant,) huic epistolae adjectam (*) describas, eique nomen tuum subscribas.

Secundum: ut à Senatu (municipalitate) Amisfurtano petas atque impetres testimonium civismi scriptum: eadem formula.

Tertium: ut Ruhnkenius item testimonium tibi scriptum det cum civismi, tum doctrinae. *Qua de caussa ipse ad eum scribam: quod tu item facies. Hujus viri his temporibus testimonium summam habet existimationem.*

Tria haec si tibi prospexeris, haud dubito quin Scholarchae multo futuri sint paratiores ad te ornandum. Habebunt enim quo se muniant adversus malevolorum reprehensiones. Hoc igitur age, et primo quoque tempore perage.

Orationis tuae exempla recte nobis reddita sunt.

Vale mi Hana, meque ut facis ama. Scr. 19. *Dec.* 1795.

HA-

(*) Hanc edere nihil attinuit. Ei Wyttenbachius praemiserat inscriptionis loco: *Formula testimonii de civismo tibi ab Amisfurtanis exhibendi.* Subjecerat haec: *Eamdem formulam, mutatis mutandis, tuo nomine et profiteberis et subscribes.* Quae, quamvis obiter commemorasse sufficiat, non erat tamen cur praetermitteremus.

HANAE SUO D. W. S.

Gratulor tibi munus Rectoris Amstelodamensis Gymnasii, quod hodie consentientibus fere Senatorum suffragiis ad te delatum est. Laetum petitionis tuae exitum Temminkius noster tibi significandum recepit; nolui tamen committere, quin meis etiam literis hoc ad te gaudium perveniret. Tuum jam est res tuas ita componere, ut primo quoque tempore ad nos venias. De reliquis rebus coram inter nos agemus. Vale. Scr. d. 28. *Dec.* 1795.

Ad *Phrynichum* porro *Arabium* quod attinet, ejus quidem Eclogas vocum Atticarum, jam antea ab aliis editas, denuo repetiit C. A. Lobeckius V. Cl. Lipsiae 1820: sed hîc *novum et ineditum adhuc Literarum munus* significatur, videlicet ejusdem Προπαρασκευὴ Σοφιστική, *Apparatus Sophisticus*, qui est Lexicon breve vocabulorum quorumdam secundum Alphabeti ordinem tractatorum, nuper e Codice Segueriano sive Sangermanensi in lucem publicam prolatum ab E. Bekkero Anecd. Graec. Vol. I. Hunc ex eodem fonte in suos sibi privatos usus Parisiis descriptum Ruhnkenius, cujus Apographum adhuc servatur in Biblioth. nostra publica, ipse olim edere destinaverat, ut diximus in Praefat. Opusc. Ruhnk. p. XVII; postea depositum opus edendum tradidit Hanae, cujus obitu, anno hujus seculi sexto, omnis editionis ab ipso adornandae spes evanuit; teste Wyttenbachio viri, antea falsa suspicione liberati Biblioth. Crit. P. XI. p. 157, memoriam pie prosequente ibid. P. XII. p. 94. sive Opusc. T. II. p. 214. Cf. porro Saxius Onom. Lit. P. VIII. p. 450.

P.

P. 200. *Timaeus — epistolas mutuo nostras — frequentavit*] Vid. epistolae Wyttenbachianae pars in Addendis ad Timaei ed. alt. p. 283. Qui sequitur, locus Praefationis Plutarcheae, legitur Opusc. Wyttenb. T. I. p. 453. „Unus, inquit, fortasse „est commentarius Ruhnkenii in Timaei Lexicon „Platonicum, ex editione altera, *cui nil ad absolutionem desit.* Sed quis dicat, non uno aut altero „loco quid addi possè? quandoquidem ea est horum „operum natura ut semper accessioni locus relinquatur. Atque si quid video, unus fuit post renatas Literas Ruhnkenius ex paucis iis, quibus „hoc in studiorum genere par cum efficacia facilitas, par cum secundo fortunae flatu gubernandi „solertia obtigerit."

Ibid. *Reformatis*] i. e. mutatis, emendatis, correctis, ut Plinius dixit Paneg. C. 53. *reformare mores depravatos.* Alia sunt quae apud solos poëtas, alia quae apud poëtas aeque ac prosae orationis scriptores leguntur. Illius generis nonnulla in Mureto merito notavit Ruhnkenius: ad hoc referimus verbum *reformare*, quod instar Graeci μεταμορφοῦν proprie est, aliam formam induere, nec idcirco solis poëtis relinquendum. Quod contra Lindemannum monemus.

P. 203. *Revaluerat*] Ut supra p. 157. *convaluerat*, sic hoc item loco scribendum judicat Lindem. *Revalescere* pro *convalescere* ex Ovidio Heroidum Ep. XX. et Gellio VI, 13. jam Vorstius attulit de Lat. falso Susp. C. XVI. p. 138. Affertur item ex Tacito et Appulejo. Vid. Lexica, et conf. modo disputata de verbo *reformare.*

P. 204. *Quod supra dixi*] pag. 132. De Hemsterhusii libris emtione vindicatis Bibliothecae Lugdu-

duno-Batavae, Wyttenbachio testis accedit Te Waterus Narr. Saecul. p. 77.

P. 204. *Obitu Francisci Hemsterhusii*] De quo praeter reliqua, eaque classica, loca Elogii Hemsterhusiani p. 67 sq. et hujus libri p. 60, laudasse sufficiat gravem in primis auctorem Hier. Bosschium in Praefat. ad Poëmata, et Saxium Onom. Lit. P. VIII. p. 141. Ejus de Philosophia Opuscula, Gallice scripta, et jam antea seorsum edita, nuper conjunctim II. Voluminibus prodierunt Parisiis, 1809.

P. 206. *Quum liber — e chalcographia Honkoopiana in publicum exierit*] Exiit a. 1799. J. J. G. Schelleri Lexicon Latino-Belgicum, curante D. Ruhnkenio, cujus Praefationem retulimus Opusc. T. II. p. 697 sqq. Hanc autem ille quo tempore absolutam typographis tradiderit, postea demum nobis patuit ex plagulâ, vivo adhuc Ruhnkenio, speciminis loco typis descriptâ, cui subjecta erant verba, deinde ab editoribus praetermissa: *Dab. Leidae, d.* 10. *Januar.* 1795. De ista plagula, reperta inter schedas Cl. Te Wateri, plura dicemus alio loco. Ceterum, pro *chalcographia*, rectius scribatur *chalcographeo*, a neutrius generis recto casu *chalcographeum*, Graece χαλκογραφεῖον; siquidem eadem est hujus vocabuli ratio ac similis τυπογραφεῖον, Latine *typographeum*, non item *typographia*, de quo monuit H. Stephanus de Abusu Ling. Graec. p. 55.

P. 207. *Schultensium*] Praenomine *Henricum Albertum*, eumdem de quo supra agitur p. 175. Vid. viri memoria, breviter adumbrata, Bibl. Crit. P. XI. p. 138. et Te Wateri Narrat. I. p. 235. Nam ejus Laudationem patrio sermone a Kantelario conscriptam, utpote notissimam, non moramur.

P.

P. 208. *Viginti et quatuor annos natus, — ei cathedra mandaretur*] Corrigendum *nato, — ei:* ut in altera editione facturum fuisse Wyttenbachium, non est quod dubitemus. Modeste talia notanda sunt: neglexit, alias molestus saepe censor, Lindemannus.

P. 209. *Nieuwlandius cet.*] Cum h. l. conf. Bibl. Crit. l. l. et Te Wateri Narr. p. 242. cui addatur Saxius Onom. Lit. P. VIII. p. 477. Disputatio ejus de Musonio Rufo, Philosopho Stoico, prodiit Amstel. a. 1783. censa Biblioth. Crit. P. VIII. p. 128 sqq. Cf. Vit. Wyttenb. p. 125. Atque huc pertinet illud Ruhnkenii sagacitate detectum Supplementum Florilegii Stobaeani, de quo supra agitur p. 185. Quo quidem Supplemento continentur cum alia multa, tum quatuor Musonii disputationes, tunc temporis nondum editae, quas una cum editis apud Stobaeum commentaturus erat Nieuwlandius, immatura morte raptus: nuper autem, posteaquam primus eas in lucem protulisset Wyttenbachius Philom. L. I et II, cum Nieuwlandii Disputatione denuo recusâ, uno Volumine comprehensas Harlemi a. 1822 edidit J. Venhuizen Peerlkamp Vir Doctiss. Celeberrimi nostri Peerlkampii frater et in Harlemensi Rectoris cathedra successor.

Ibid. *Ut ne suspicaretur quidem esse in se aliquid praeter alios homines praecipuum*] Terentianum, Adelph. II, 3, 8: *Itaque unam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror;* ubi *praeter alios* ponitur pro *prae aliis*, *super alios*, de quo usu praepositionis *praeter* cf. Ruhnken. ad Andr. I, 1, 31. ita ut non opus sit Bentleji emendatione *praeter alias*, scilicet *res:* quam nec Wyttenbachio probatam fuisse, ex hoc ipso loco recte colligit Lindemannus.

P.

P. 212. *Oxonium transmittere festinabam, antequam cet.*] Cf. ad hunc et proximum locum Vita Wyttenb. p. 153 et 154 sq.

P. 213. *Dura calidave — consilia*] Ne quis, quod mihi aliquando accidit, *callida* corrigendum arbitretur; *calida* consilia, ductâ translatione a propria significatione *caloris*, Latinis dicuntur temeraria, ut docuit J. F. Gronovius Not. ad Terent. p. 55. Similiter *homines calidi*, infra p. 256.

Ibid. *Illo tam distracto agitatoque tempore*] *Tempus distractum et agitatum* Latinis dicitur illud, quo variis curis ac sollicitudinibus distrahuntur et agitantur homines. Sic supra plenius p. 43, *tempus curis negotiisque distractum occupatumque:* et p. 124, *imminutum distractumque multorum necessitate officiorum.* Huc pertinet Ciceronis de Orat. III, 2, *vita distracta* vel, ut alii legunt, *districta:* nec minus egregia Cl. Mahnii animadversio Epicr. Bibl. Crit. p. 33 sq. Cf. et allatus a Lindem. Velleji locus.

P. 214. *F. A. Wolfii Homeri editionem ei publice dedicantis*] *Dedicare* quum apud Latinos significet *diis consecrare*, idcirco potius dicendum *inscribere:* sed vulgarem loquendi consuetudinem, et hoc et aliis locis, perspicuitatis causa, Wyttenbachius retinuit. Wolfio quid rescripserit Ruhnkenius, legitur Opusc. T. II. p. 911. et cum h. l. conferre operae pretium est.

P. 215. *Dolebat suis doctoribus orbatas cathedras, Juris Publici, Graecarum Literarum, Physices et Mathematum*] Hanc quidem, defuncto qui eam ornaverat, Nieuwlandio, de quo supra dictum: illam, munere moto Pestelio, cujus in locum mox eodem anno 1795 successit Joannes Valckenaerius, magni illius Valckenaerii filius; teste Te Watero Nar-

Narrat. laud. p. 52, 227 et 244. Graecae Linguae et Historiae patriae Professor, Jo. Luzac, hujus docendae potestate ineunte anno 1796 spoliatus, illam quoque brevi post ultro deposuit provinciam: proximo anno de eo restituendo actum. Vid. Te Water. l. c. p. 52 et 239. Quod deinceps factum anno 1802. Wyttenbachio quid causae fuerit oblatae cathedrae repudiandae, legitur in ejus Vita p. 155 sq. Sed haec quidem breviter attigisse sufficiat, et quantum satis est ad hujus loci intelligentiam, ne longius persequentes, ut ille apud poëtam, *infandum jubeamur renovare dolorem.*

P. 216. *Age — subjiciamus*] Simile dictum Ciceronis, pro Sext. Rosc. 37, *age — consideremus*, recte contulit Lindemannus: nec Wolfius Anal. Lit. P. II. p. 487, in verbis Ruhnkenii ex Praef. ad Muret. Opusc. T. II. p. 682: *caussas, quae nos impulerint, ut Mureti Opera — ederemus, age, breviter explicemus:* id sibi voluit ut reprehenderet postrema haecce *age — explicemus:* sed longe aliud, nimirum in istis *impulerint — age — explicemus*, sibi non constare temporum consecutionem, ac scribendum videri *impellant.* Verum et hoc perperam judicavit, si quidem probanda sunt, quae de hoc argumento supra disputavimus.

P. 216. *Graphices*] Graecum est ἡ γραφική, scil. τέχνη. unde *Graphice* Plinio Hist. Nat. XXXV, 10, ex codicibus restituendum judicat Facciol. in Thes. Lat. V. *Diagraphice.* Latine *linearem picturam* dixit idem ib. c. 3. et Ruhnken. in Elog. p. 40.

P. 218. *Veluti oleum*] Platonis locus affertur item in Epist. ad Heusd. Opusc. Wytt. T. II. p. 3.

Ibid. Not. (77). *Illam ad Stiglizium*] scil. *Praefationem*, quae vox e contextu, quocum arcte cohae-

haeret annotationis argumentum, facile subauditur. Ergo prorsus inepta est Lindemanni animadversio, scribendum censentis: *Quam ad St. inscripsit, Dedic. caet.* in quo tamen ipso ejusdem vocis suppressio est. Similia certe videntur apud Ciceron. Tusc. Quaest. III, 22: *eadem illa de Andromache;* et de Rep. I, 18: *illa de Iphigenia;* quibus formulis, per breviloquentiam accipiendis pro *illa quae sunt feruntur*ve *de* vel *ex Andromache* et *Iphigenia*, significantur sententiae ex poëtarum fabulis Andromache et Iphigeniâ petitae: id quod recte vidit praeclarus Academiae nostrae alumnus Y. D. van Dam in Spec. Liter. in Ciceronis Orat. pro P. Sextio, nuper edito, pag. 47 in fine. — Cf. supra Elog. Hemsterh. p. 34 et 61.

Ibid. *Duplex — Critices munus, — corrupta emendare, — spuria discernere a germanis, cet.*] Vulgo sic distinguuntur *Critica inferior*, quae dicitur, et *superior* sive *altior*. Illa in singulis locis, dictionibus, verbis, ceteris versatur: haec ad integros libros, librorumque locos, pertinet. Illa *emendandi* est, haec *judicandi* facultas: cf. p. 225. Ex illo genere multae sunt multorum emendationes, eaeque eo probabiliores, quo magis sua sese commendent facilitate ac simplicitate, idest, quo propius emendatio ad vulgatam quae dicitur lectionem accedat, eique, quantum fieri potest, literarum ductibus simillima sit. Hujus, ejusque quo illustrioris, eo etiam difficilioris generis, praeter allatos Ruhnkenii aliorumque locos ac judicia, exstat una in primis acuta simul et elegans Wyttenbachii nostri Disputatio de spuria auctoritate libelli Plutarchei de Puerorum educatione, Opusc. Wyttenb. T. I. p. 463—515. in compendium redacta Philom. L. I. p. 15—63.

P.

P. 219. Not. (78) *De his assentior: de Orationibus non item*] De spuria auctoritate Epistolarum Ciceronis ad Brutum doctis Anglis assensus est Wyttenbachius Biblioth. Crit. P. VII. p. 78. et Ruhnkenius Praef. ad Scheller. p. III. Opusc. T. II. p. 701. De Orationibus, Marklandi animadversiones, novorum accessione argumentorum auctas, Latine edidit praeclarus Criticus F. A. Wolfius, Berolini 1801. Cf. Epp. Sodal. Philom. p. 335 sq. Wyttenbachius quidem sese adhuc dubitare significabat: et est omnino in hoc genere magna cautio adhibenda, ne nimia disputandi subtilitate Scriptor de Scriptore, Homerus v. c. ex Homero, Cicero ex Cicerone tollatur. Sed nos judicium aliis relinquere malumus, quam in audaciae reprehensionem incurrere. Ceterum, pro *dubia moverat*, quae dictio a nonnullis merito improbari solet; fortasse rectius legatur *dubia*, seu *dubitationem*, *attulerat*, vel *injecerat*, ut fere locutus est Cicero de Off. I, 41. pro Cluent. 28.

P. 220. *In Stobaeo*] Quod si, ex frequenti illa personae ac rei enallage, qua *Homerus*, *Plato*, *Demosthenes*, *Cicero*, alii, dicuntur de eorum scriptis, *in Stobaeo* accipiatur pro *in Stobaei libro*, sive *Florilegio* sive *Eclogis;* non opus erit, cum Lindemanno, corrigere *apud Stobaeum.* Est hoc quidem Ciceronianae consuetudinis, de Divin. I, 26. Leg. II, 26. Fin. V, 10. alia apud Facciol. Sed non minus recte dicitur *in libro*, ad Att. IX, 9. de Fat. 1.

Ibid. *Sardi venales*, *alius alio nequior*] Cicero ad Div. VII, 24. Cf. Erasm. Adag. p. 100. et laudatus Lindemanno Gronovius de Pecun. Vet. C. 10.

P. 222. *De Festis Dionysiorum*] supra p. 130.

P. 123. *In Orientalibus Literis*] De Ruhnkenii studiis, in Philosophia, Mathematicis, Jurisprudentia positis, supra suo loco dixerat Wyttenbachius: non item de studio Literarum Orientalium, quas tamen eum non plane intactas reliquisse, certe leviter degustasse, credibile fit cum ex Theologiae discendae consilio, nisi ex animi voluntate suscepto, matri saltem obsequendi causa non penitus repudiato; tum ex more illius temporis, quo in plerisque Academiis hae Literae cum Graecis conjungebantur: quibus de caussis conf. supra p. 18. Tum vero etiam aderat exemplum Praeceptoris Hemsterhusii, in Orientalibus Linguis egregie versati, de quo vidimus supra ad Elog. p. 19. et multa nobis narravit Geelius noster: nec deerat simile, amici et condiscipuli Valckenaerii, illarum gloriam non modo intra privatos parietes alentis, ut solebat Hemsterhusius, sed edendis eruditionis speciminibus in publicam lucem prodentis. Quo in genere ejus duae exstant de Ritibus Jurisjurandi a veteribus, Hebraeis maxime et Graecis, observatis Disputationes doctissimae, Praes. E. L. Vriemoetio, Ling. Or. Prof. Franequerae defensae, 1735. 4°.

P. 224. *Materiae veluti cum pulvisculo exhaustae*] Migravit in hunc locum ex illo Elogii Hemsterh. p. 65. ubi de Hemsterhusio dicitur, eum quamcumque rem sibi tractandam sumsisset, eam *excutere et cum pulvisculo exhaurire* studuisse: nisi quod addiderit Wyttenbachius *veluti*, translationis mitigandae causa. Fluxit dictio e consuetudine Plautina, cujus loca attulit Lindem. De re ipsa, conf. supra similis locus p. 39. et Praefatio Animadv. ad Plutarchi Moral. Opusc. T. I. p. 452. Nec alia fuit Valckenarii ratio, quem *nihil edere*, *nisi quod* om-

omnibus numeris absolutum sit atque perfectum, vere judicavit Bernardus in Ep. ad Reisk. p. 236.

P. 225. *Nulla — Inscriptio, nullum — eruditae Antiquitatis monumentum*] Speciminis loco, adhibeatur Censura libri Ignarriani de Palaestra Neapolitana supra memorata: et videatur Praefatio ad Rutilium Lupum, Opusc. T. I. p. 306 sq. Cf. et supra allata ad p. 71. Mittimus alia indicia, Ruhnkenii scripta legentibus passim occurrentia.

P. 226. *Literatae civitatis una est communis lingua Latina*] Dignae sunt quae animadvertantur dictiones *Literata civitas*, ut est h. l., *erudita civitas* supra p. 93. et Biblioth. Crit. P. IX. p. VI. item *respublica literaria*, ibid. P. V. p. IV. earumque similes aliae, passim apud recentiores Latine scribentes obviae. Quae omnes, tametsi in veterum neque usu, neque auctoritate positae, vel sic tamen adeo non sunt repudiandae, ut contra insignem habeant elegantiae significationem, iis quidem locis ubi eruditi homines tamquam cives considerantur unius ejusdemque civitatis, iisdem legibus et institutis viventes, ac per plures quamvis regiones, urbes, et loca dispersi, communi invicem Latinae linguae societate conjuncti: qualis est hic locus et reliqui quos attulimus. Quibuscum conferantur quae de voce *civitas* egregie disputavit Heusingerus Obss. Antib. p. 394. Stoïcorum quidem illud *unam esse eamque communem Deorum hominumque civitatem mundum*, etsi alio sensu dictum, potest tamen et huc referri. Contra prorsus repudianda est barbara dictio *vulgus eruditorum*, Wyttenbachio notata Philom. L. I. p. 119.

Ibid. *Hanc facultatem quum perfecte tenuerit Ruhnkenius*] De cujus Latine scribendi facultate, cum

h. l. conf. supra brevius disputata pag. 5, 10, 42 sq. 56, 73, 75, 90, 137, alibi.

P. 227. *Bene Latine scribere, cet.*] Classicus omnino de hoc argumento locus, quocum operae pretium est conferre quae eâ de re ex Wyttenbachii scholis relata leguntur in Epp. Sodal. Philom. p. 111—115. Vid. et Vita Wyttenb. p. 36 et 139.

P. 228. *In Ernesto item notare poterat, si — voluisset*] Utinam fecisset Ruhnkenius, multo profecto aequior et prudentior censor futurus Latinitatis Ernestinae, quam qui post eum in istam censendi provinciam involarunt, ipsi a bene scribendi facultate minus instructi. Cf. quae paucis notavit Mahnius Epicr. Biblioth. Crit. p. 46 sq.

P. 230. *Ad hunc Mureti locum, et in Praefat. ad ejus Opera*] Opusc. Ruhnken. T. II. p. 742 et 681.

Ibid. *In Praefat. ad Appulejum*] Ibid. p. 654. Cf. Sciopp. Suspect. Lect. V, 7, apud Lindemannum.

P. 231. *Quod initio diximus*] Supra p. 1, et 137.

P. 232. *Privatim multos juvit, sive praesentes sermone, sive absentes epistolis*] Classicus locus de Ruhnkenii cum aliis Viris eruditis, tam nostratibus, quam exteris, commercio literato: de quo nos item paucis egimus in Praefat. ad Opusc. Ruhnken. T. I. p. LI sqq. et nunc nonnulla addemus, a futura Epistolarum Ruhnkenianarum editione, quam dudum sibi propositam habet Cl. Mahnius, uberiorem singulorum notitiam avide exspectantes. Ergo ad *nostrates* quod attinet, de *Albertio*, *Piersono*, *Lennepio*, *Koenio* partim pluribus locis supra dictum est, partim constat ex nostra, quam diximus, Praefatione. De *H. Eldikio*, cujus non nisi breve exstat Suspicionum specimen editum Zutphaniae 1765, facta passim honori-

rifica Ruhnkenii mentione, plura nondum cognovimus. His autem alii accedant, inque iis *Wesselingius*, de quo supra p. 86, et *P. Burmannus* minor, de quo notavimus in Praef. cit. p. XXXIV. ac ne de *Reitzio*, *Dorvillio*, *Hultmanno*, *Koppiersio*, *Medenbachio Wakkero*, *Vaassenio*, *H. Bosschâ*, *Weselio Scholteno*, *H. Boschio*, *Santenio*, et ipso *Valckenaerio* ac *Wyttenbachio*, repetamus alibi dicta, insuper iis addatur *J. Ruardius*, Groningae quondam decus, rarissimum antiqui Grammatici de Synonymis Ciceronianis libellum, auctore Ruhnkenio, si per vitam et alia negotia licuisset, aliquando editurus: de quo, praeter Wassenberghium in Orat. Euchar. p. 27. testis est germanus Ruardii discipulus, Peerlkampius noster in Praefat. ad Xenophontem Ephesium p. 59. idem praesens operae Ruardianae possessor, et futurus, ut speramus, editor. De *H. Tollio*, Ruhnkenii discipulo, ut vocatur p. 170 sq., viro doctissimo, Wyttenbachii quondam in Athenaeo Amstelodamensi collega (vid. supra p. 163. not. 60), nuper in hac Academia Linguae Graecae Professore, luminis instar sensim deficientis, valde sene placide exstincto a. 1822, relicta omnibus, qui ejus suspexerunt doctrinam et humanitatem cognoverunt, grata sui memoriâ; de Tollio igitur pauca diximus in Praef. laud. p. XL. et habemus testem, qui senis Laudationem ipse senex item et ultimum opus, per lucida extremae aetatis intervalla, paucis ante obitum mensibus conscripsit, Vener. noster Te Waterus, insertam Operibus Societatis Literarum Belgicarum Lugduno-Batavae. Utrum vero necne Ruhnkenii ad eum adhuc supersint literae, aut quales eae sint, quamvis sedulam operam dantes, nondum cognoscere potuimus. — In *exterorum* numero eruditorum qui

fuerunt, et a Wyttenbachio memorantur, *Gesnerus*, *Ernestus*, *Heynius*, *Heusingerus*, *Musgravius*, *Toupius*, *Villoisonus*, *Brunckius*, *Schweighaeuserus*, *Matthaeus*, *Burgessus*, *Wolfius*, *Spaldingius*; de iis supra et aliis locis dictum est. De *Herelio* Noribergensi, et *Hottingero* Turicensi, utroque jam supra commemorato p. 163; de *Rossio*, illo ut videtur Variarum Lect. in Vet. Test. editore; de *Edwardsio* denique, Plutarchi de Puerorum educatione commentatore, nobis quidem haud plura nec certiora constant. *J. H. Vossius*, celeber ille Homeri, Virgilii aliorumque poëtarum, oratione ligatâ in Germania interpres, Ruhnkenio sese probavit Latina interpretatione Hymni Homerici in Cererem, ipso auctore Ruhnkenio in Praefatione, Opusc. T. II. p. 565. *J. Morellius* significatur doctissimus Bibliothecae Marcianae Venetiis Praefectus, cui multa multis locis passim accepta retulerunt Ruhnkenius et Wyttenbachius, ille in Praefat. ad Muretum Opusc. T. II. p. 688 sqq. hic cum in Praefatione Plutarchea, tum in exordio animadversionis ad Platonis Phaedonem. *Porsonus* literarum commercium iniit cum Ruhnkenio, anno circiter 1783, Aeschyli post Schutzium Germanum editorem novis curis ornandi causa, et nonnulla ei debuit inedita ad illum Tragicum pertinentia, omnia vero deinceps infausto absumta incendio: ut refert Cl. Kidd ad Porsoni Miscellanea Critica (*Tracts and Miscellaneous Criticisms*, *London*. 1815.) Praefat. p. XXXVI—XXXIX, auctores adhibens Saxium Onom. Lit. P. VIII. p. 461. et Wyttenbachium Bibl. Crit. P. VIII. p. 140. ubi quae commemorantur Porsoni specimina, ea fore sperat ut adhuc subsistant inter schedas Ruhnkenianas, cum iisque aliquando in lucem proferantur. Cum *Musgra-*

vio

vio denique, ut supra p. 71, conjungatur *Tyrwhittus*. Postremi, praeter alios complures nobis minus adhuc cognitos, commemorandi sunt *Ritterus*, *Retzerus*, *Heerenius*, de quibus ex Praefat. nostra constat, et hic ipse testatur in Ep. de Vita sua, Germanice scripta et Belgice a Geelio versa, pag. 44.

P. 233. *Se ad eum applicarent*] i. e. eum sibi patronum eligerent, in ejus sese tutelam ac disciplinam traderent. Sic Cicero in Bruto C. 90: *meque*, inquit, *ad Molonem applicavi*. Usum proprium verbi *applicare*, post Ernestum in Clave hac voce, recte ostendit egregius juvenis, Consult. P. C. Massé, in Disputatione Literario-Juridica de Ciceronis Orat. in Verrem de Jurisdictione Siciliensi, paucis antequam haec scripsimus diebus, ad Academicam disceptationem proposita ac publice defensa, p. 35 sq.

P. 236. *Fuit aliquis ipsius Valckenariique discipulus*] Similiter pag. seq. *Erat*, *qui libellum conscriberet*, cet. et aliis item locis alios non nominatos tanquam testes in judicium, aut tanquam actores in scenam, adhibuit et produxit Wyttenbachius; nonnunquam certos quosdam homines sua aetate cognitos respiciens; nonnunquam etiam fortasse, ubi commodum ipsi videbatur, eos de suo fingens; non ille ea in re veritatem deserens, sed eam presse sequens, ejusque illustrandae, non item obscurandae causa. Quos h. l. homines significaverit, nec facile dixerim, nec sedulo inquirere tanti est.

P. 237. *Dixi — in Animadversionum Plutarchearum praefatione*] Opusc. T. I. p. 454: „ Illa, inquit, aetate subinde Criticos libellos edere gestiebam; ne scilicet animadversiones publica luce, ut „ putabam, dignas, praesertim in locos a claris Cri-

„ ticis frustra tentatos, in tenebris continerem. „ Quem meum morbum et maturior aetas sanavit, „ et Ruhnkenii admonitio. Hic meum studium ab „ istiusmodi libellorum editione ad Plutarchum con„ vertens, *His tuis emendationibus*, ajebat, *locum* „ *dabis in editione operum Plutarchi.* Cui ego: *Quid* „ *vero, si quis illas mihi interea praeripit?* Tum „ ille: *Pauperis est numerare pecus: et vel praerep*„ *tas tu ut tuas prodes emendationes: certe, praestat* „ *magnum opus agere, quam in levibus opusculis tem*„ *pus perdere.* Ergo postea, neque in Bibliotheca „ Critica, ubi hujus negotii locus videbatur esse, „ illas emendationes vulgavi; nisi forte ad eos Au„ ctores referrentur, quorum in editionibus censen„ dis versarer. Neque etiam reliquas omnes in his „ Plutarcheis Animadversionibus prodam; certe non „ nisi eas, quas Animadversionis cujusque argumen„ tum postulare videbitur." En hîc illum, de quo modo ante agebatur, prudentem materiae delectum.

P. 240. *Versus facere neminem hortabatur*] Latius hoc argumentum tractavit Wyttenbachius in Ep. ad H. Boschium Biblioth. Crit. P. XI. p. IX sqq. s. Opusc. T. II. p. 47 sqq.

Ibid. *Ingenium, cet*] Horat. Serm. I, 4, 43.

P. 244. *Vanos esse illos admonitores, qui de pulcri causis dissererent in animadversionibus ad Auctores, eosque aestheticis — editionibus interpretarentur*] Vere enim Musgravius in Praefat. ad Exercit. Euripideas, id agens, ut imprudentiae arguat eos, qui unice in poëtis spectandam esse operis oeconomiam, non singulos locos Critice expediendos dicant, pag. 11: „ Ubi, inquit, de comparatione venusta, aut „ magnificâ descriptione, aut morum affectuumque „ imi-

„ imitatione agitur, ecquis est cultioris paulo inge-
„ nii, qui non suos sensus consulere malit, quam a
„ Grammatico tanquam ad plaudendum- sibilandumve
„ excitari? Itaque totum hoc genus annotationum
„ (*aestheticarum*) merito jam ab eruditorum com-
„ mentariis exsulat, neque ab ullis fere expetitur,
„ nisi qui supra magistrorum dictata non sapiunt." Omnino tota haec Musgravii Praefatio, quae versatur in defensione Critici studii, argumento Elogii Hemsterh. simili, digna est, quae hodie etiam intento animo legatur et expendatur, cumque illo Elogio pluribus locis comparetur.

P. 246. *Villoisonus: — oportebat eum ad nos venire, meaque et Valckenarii disciplina uti*] Quominus quidquam in hoc dicto superbiae quaeratur, faciunt similia, quae privatim scripsit Wyttenbachio, in Germania degenti, Vit. Wyttenb. p. 88: „Sed unum ad-
„ huc annum necesse est, paterna liberalitate Leidae
„ sustenteris, tum ut interea linguam et mores Belga-
„ rum cognoscas, *tum ut aliquam ex lectionibus*
„ *nostris* (i. e. meis et Valckenaerii) *utilitatem ca-*
„ *pias*." De Villoisono cf. supra p. 163.

Ibid. *Jac. Gronovium et Jo. Schraderum cet.*] Hoc loco perperam abusum, et Graevium cum Gronovio stulte permutantem, semidoctum quemdam jure castigavit Mahnius Epicr. Bibl. Crit. p. 58.

P. 247. *Laureolam in mustaceo quaerens*] Proverbiale, apud Ciceron. ad Attic. V, 20. Vid. Erasmi Adag. p. 61, 66.

P. 249. *In novis Professoribus vocandis, Ruhnkenii — valuit judicium*] Conferantur supra exempla Ritteri Lugdunum, Heynii Goettingam, et Wyttenbachii Amstelodamum vocati, p. 87 sqq. 113 et 153 sq.

sq. aliorum item p. 170 et 215. Similiter Wyttenbachii, in novis Doctoribus Academicis vocandis, multae eaeque magnae partes fuere: ut constat ex ejus Vita p. 193 sq.

Ibid. *Qui venusti esse vellent, eum (Ruhnkenium) Epigrammatibus petebant, — Herculis cum Omphale negotium in eum accommodantes*] Cf. supra p. 119 sq. Feruntur adeo adhuc quaedam istiusmodi famosa carmina, rabiei et mordacitatis plena, neque obscuro eorum auctore. Sed, ut Bentleji verbis utar alicubi allatis, *nolumus hominem immortalitati tradere.*

Ibid. *Poëtastros*] *Poëtaster*, minus Latine dictum, ne attulit quidem Facciolatus, et post Matthiaeum recte notavit Lindemannus. Praestat *versificator*, quem a *poëta* distinxit Quinctil. Inst. Or. X, 1, 89. et ipse Ruhnken. Elog. Hemst. p. 51. Ferendum tamen h. l. videtur *poëtaster*, utpote in familiari sermone et cum contemtionis significatione dictum.

Ibid. Not. (103) *Ubi plura adferemus*] Ista plura dedit Vir Cl. in editione Plutarch. Oxon. T. VI. p. 309. formâ quartâ. T. VI. Part. I. p. 629 sq. formâ octavâ. Notarunt ad h. l. Editores Opusculorum Wyttenbachii, T. I. p. 761.

P. 250. *Quid ei cum Burmanno, Schradero, Klotzio cet. — supra diximus*] Vid. pag. 92 et 160.

Ibid. *Reiskius — aliquo in libello Ruhnkenium Valckenariumque duos Hemsterhusii simios vocaverat*] Quis significetur libellus, et quo loco haec scripserit Reiskius, indagare operae pretium sit. At nobis quidem tam felicibus esse nondum contigit.

Ibid. *Ruhnkenius — in Antiphontea dissertatione eum (Reiskium) infelicem conjectorem nominavit*] Cap. III. Vid. Opusc. T. I. p. 172: „verum, inquit,

quit, ut est *infelicissimus conjector*, hic quoque — aberravit."

P. 250. *Alludens ejus sepulcrali elogio*] id est, *per jocum significans* vel *afferens* ejus sepulcrale elogium; prouti apud Valer. Max. III, 7, ex. ext. 4: *Phidias — Homeri versibus egregio dicto allusit;* et jocandi significatio, quam et h. l. sequentia indicant *serio tamen contendens*, inest Ciceroniano loco de Orat. I, 56, et Virgiliano Aen. VII, 116. ut mittamus Senecam de Tranq. An. 10. et Sueton. Caes. 22. Alioquin enim *alludere*, simpliciter positum pro *significare*, *indicare*, *ad aliquid respicere*, minus Latinum est, notatum Wyttenbachio Biblioth. Crit. P. XI. p. 97. ejusdem generis ac verbum *innuere*, de quo agitur Opusc. Ruhnk. T. II. p. 734.

P. 256. *Postea dicemus*] Vid. infra p. 271 sq.

Ibid. *Eas quas supra diximus*] Pag. 182 et 213.

P. 260. *Erat cui faveret*, *cet.*] Quis fuerit, non est obscurum. Nimirum nullus alius, nisi ipse Wyttenbachius, Amstelodami luculentiore conditione fruens, quam quâ in cathedram Lugduno-Batavam vocari posset. Vid. infra dicenda ad p. 277. Nec fefellit Ruhnkenium liberalis hominis animus, qui vere Creuzero suo scripserit: „*Et si haec est virtus*, *ut Stoïci volunt*, *quorum est ὁ σοφὸς χρηματιστὴς*, *hac me virtute carere lubens fateor.*" Cf. Vit. Wytt. p. 247 sq.

P. 262. *Philosophiae Doctor et Liberalium Artium Magister*] Hoc nomine ad publicam disceptationem proposuerat Disputationes illas de Galla Placidia, de quibus supra dictum p. 14. quarumque cum h. l. comparandi sunt inscriptionis tituli, relati Opusc. Ruhnk. p. 1 et 52. et Praef. nostra p. LII.

P. 264. *Unus ex multis*] Conf. supra p. LII.

P.

P. 265. *Wyttenbachium meum in Plutarcho edendo imitatus*] Vid. Vita Wyttenbachii p. 147 sqq.

Ibid. *Curatores Academiae — Senatui Reipubl. Bat. persuadentes, ut Ruhnkenii literatam supellectilem — vindicaret — Bibliothecae Lugdunobatavae*] Ruhnkenii Bibliotheca quam egregie libris fuerit instructa cum editis, tum ineditis, constat ex iis quae supra narrata sunt p. 68 et p. 255. De toto autem hoc negotio, Wyttenbachii inprimis voluntate consiliisque et suscepto et ad felicem exitum deducto, praeter Cl. Te Wateri Narrationem Saecularem p. 78. operae pretium est conferre Vitam Wyttenbachii pag. 159 sqq. Curatorum illa ad Senatum Reip. Batavae caussam deferentium Epistola, Senatorumque qui de ea cognoscerent ad ipsum facta relatio, auctore amplissimo et eruditissimo Viro H. van Royen, utraeque vernaculo sermone scriptae et lectu dignissimae, sed et longiores et minus accommodatae, quam quae huc referantur, integrae exstant in Diario Actorum illius Senatus (*), unde reliqua item huc pertinentia petantur.

P.

(*) Diarii, Belgice conscripti, hic est titulus: *Dagverhaal der Handelingen van het Vertegenwoordigend Lichaam des Bataafschen Volks.* Videantur ibi, *Missive van Curatoren over 's Lands Hoogeschool te Leyden*, 5 Dec. 1798. Vol. III. No. 268 et seq. p. 360 — 363. *Rapport van van Royen*, 17 Dec. ibid. No. 282. p. 468 — 471. *Deliberatien daarover, en consideratien van Leemans, Vitringa, en van Hall, conform het Rapport geconcludeerd*, 28 Dec. ibid. No. 288 et seq. p. 520 — 522. *Besluit deswegens gesanctionneerd*, 11 Jan. 1799. ibid. No. 295. p. 584. et No. 303. p. 643. Conferatur insuper *Algem. Kunst- en Letterbode*, 1798, 21 Dec. No. 260. p. 195.

P. 270. *Iis in perpetuum valedixit*] id est, iis ultimo *vale* dicto, iis semel valere jussis ac salutatis, discessit, nunquam postea reversurus: quemadmodum h. l. de sessiunculis ironice dictum omnino accipiendum est; et, si ita accipiatur, caret omni reprehensione verbum *valedicere;* quo usus est Ovidius Trist. I, 8, 21. et Seneca Ep. 17. quum Suetonius in Tiber. 72 scripserit *valere dico;* Cicero autem, cujus hac in re maxima auctoritas esse debet *valere jubeo*, ad Att. V, 2. de quo monuerunt Viri doctissimi, Borrichius de Ling. Lat. Aet. p. 285. et Cellarius Cur. Poster. p. 68. et Antib. p. 137. in eo tamen dissentientes, sitne conjunctim una voce *valedico*, an potius separatim *vale dico* scribendum: de quo nos quidem etsi non statuimus, parum tamen interesse putamus. Similiter in malam partem legitur apud Ciceron. de Nat. Deor. I. exeunte: *si maxime talis est deus — valeat.*

P. 271. *Venationem*] Classicus hic et praecipuus de hoc Ruhnkenii studio locus, Latinae orationis et perspicuitate, et facilitate, et vero etiam elegantiâ insignis: quocum conf. supra brevius relata p. 30, 44, 253, 256. Nec negligatur, quae huc pertinet, utriusque, Wyttenbachii et Ruhnkenii, comparatio Vit. Wyttenb. p. 234.

P. 272. *Sclopeto, seu tubo ignivomo*] Postrema recte addidit Wyttenbachius: est enim, ut res ipsa, sic vocabulum etiam *sclopetum*, recentioris demum aetatis. Vid. Ducangii Glossar. in voce.

P. 273. *N. G. Oosterdykium, Medicinae Professorem*] Mortuum anno proxime praeterito 1817. d. III. Sept. Cf. Te Wateri Narrat. laud. p. 234. et Annal. Acad. illius anni.

P. 276. *Optimi senis, mihi patris instar colendi*] Haec de sua in Ruhnkenium pietate Wyttenbachius: similiter Hemsterhusium Ruhnkenius colere solebat, ut supra vidimus pag. 21.

P. 277. *Haec unica fuit conditio, qua Amstelodamo abduci possem: nec, nisi ea confecta, abductus sum*] Haec quam vere fassus sit optimus Wyttenbachius, nuper in ejus Vita ostendit Cl. Mahnius p. 161 sq. et jam antea exposuerat Epicr. Biblioth. Crit. p. 51—54. et ad Epp. Sodal. Philom. p. 338 sq.

Ibid. *Johannem der Kinderen*] Ejus honorificam mentionem alibi fecit Wyttenbachius, cum obiter in Annot. ad Sel. Princ. Hist. p. 456. tum datâ operâ in Parentalibus, Philom. L. III. p. 211. sive Opusc. T. II. p. 329. unde de eo uberius cognoscitur.

P. 279. *Quod de Gorgia fertur, eum frater fratri, somnus morti tradere*] Apud Aelianum V. H. II, 35. ἤδη με ὁ ὕπνος, inquit Gorgias, ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. Vid. J. Geelii Hist. Crit. Sophist. in Nov. Act. Liter. Rheno-Traj. P. II. p. 31.

Ibid. Εὐθανασίας] Cf. Paradysii, V. Cl. Oratio de hoc argumento, in ejus Opusculis Academicis a Tollio editis.

AD-

ADDENDA ANNOTATIONIS.

AD ELOG. HEMSTERH.

Typis jam descripta Annotatione nostra ad hunc Ruhnkenii libellum, accidit ut nobiscum nil tale exspectantibus communicaretur parva schidula, tremulâ Ruhnkenii senescentis manu scripta, atque in ipso, quod Ruhnkenii fuit, Elogii ex altera edit. exemplari, in Biblioth. publica servato, forte fortuna ab amicissimo Geelio deprehensa. In illa schidula notata invenimus pauca quaedam ad Latinitatem pertinentia, partim alia, partim ea quae cum Censoris ejus Germani, de quo ad p. 34. diximus, animadversione propemodum convenirent, ex eodemque fonte ducta viderentur; quorumque adeo quo magis nobis in Annotatione conscribenda usus aliquis esse potuerat, eo magis hoc loco, interpositis aliis nonnullis supra perperam omissis, eorum mentionem adjiciendam putavimus, committendumque ne nostrâ culpa vel levissimum quidquam desideraretur eorum, quae a politissima Ruhnkenii manu profecta essent. Sunt igitur in his sequentia:

P. 8. *Ad vivum*] Adscripserat Ruhnkenius: „*dubitat Vavassor.*" Similiter fere Censor Germanus,

cu-

cujus animadversionem ad oram exemplaris sui excerpserat Cl. Te Waterus, unde nos ejus hausimus cognitionem, notaverat haec: „*damnatur a Vavassore.*" Vavassoris autem, dubitantis potius quam damnantis, verba haec sunt de Vi et usu Verb. p. 2: „*Ad*
„ *vivum exprimere*, *tirer au vif*, *au naturel.* Non
„ memini alias me legere apud ullum veterem proba-
„ tum scriptorem, id quod vulgo nunc omnes lo-
„ quuntur, *exprimere ad vivum.*" De qua reprehensione quidquid statuatur, ad eamve diluendam afferatur, Ciceronis certe desideratur auctoritas, qui potius dicturus fuisse videtur *ex vero*, *ad verum*, *ad veritatem*, etsi ne haec quidem ipsa, certe non eodem plane modo habet. Sed habet Tuscul. Quaest. V, 5: *animum a p i c t u r a imaginibusque virtutum ad rem v e r i t a t e m que traducere.* Omnino *verum* et *veritas* sunt naturae, *imitatio* artis est, picturae, statuariae, sculpturae, poëseos, eloquentiae, ceterarum: unde *fictis* exercendi gratia *causis*, sive declamationibus Rhetorum, opponuntur causae *verae*, i. e. revera in foro actae. Quo pertinet ipsius Ruhnkenii annotatio ad Rutil. Lup. p. 92. Et sic Graecis item τὸ ἀληθὲς et ἡ ἀλήθεια passim opponuntur τοῖς κατὰ φύσιν μεμιμημένοις, vel κατὰ μίμησιν ἐκτετυπουμένοις. Verumtamen ubi de rebus animatis agitur, ut in hoc Elogii Hemsterh. loco, nihil impedire videtur, quominus *imitationi* et *fictae imagini* opponantur *vita*, *vivum*, et *viva*, dicaturque adeo illa *ad vivum expressa.*

Ibid. *Quorum vix singuli*] Ad *quorum* „ forte *qui*" adscripserat Censor, et Ruhnkenius item notaverat, neutram in partem quidquam decernens. Omnino sententiae accommodatius videtur *quorum*, i.

i. e. è quibus: et *singuli* nonnunquam cum Genitivo pluralis numeri ponitur. Cicero de Legg. II, 12: *singuli singulorum (deorum) sacerdotes.* De Nat. Deor. I, 28: *e gregibus epheborum vix singuli (formosi) reperiebantur;* cujus loci non alia fere, quam Ruhnkeniani, ratio est.

Ibid. *Praecipuum locum*] Ruhnken. „*praecipuum quendam locum.*" Revera *quidam*, post nomina adjectiva positum, in his etiam post *praecipuus*, eleganter redundare solet. Cicero ad Div. IV, 3: *in communibus miseriis praecipuo quodam dolore angi.* De Fin. II, 11: *nam sunt in animo praecipua quaedam.* De Offic. I, 4: *ingeneratque (natura) in primis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt.* Adeo ut haud fere dubitemus, Clar. Elogii auctorem sic emendaturum fuisse in tertia editione, cujus eum consilia agitavisse colligitur ex Vita Ruhnken. p. 273.

P. 10. *Si quando — vocata sit*] „*Vocata est*" adscripserunt Ruhnken. ejusque Censor. Nobis, hoc quidem loco, Conjunctivus modus alteri praeferendus videtur, ut in hoc Ciceronis Brut. 93: *nemo (erat), qui memoriam rerum Romanarum teneret, ex qua, si quando opus esset (non erat), ab inferis — testes excitaret.* et de Orat. I, 33: *atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur.* Contra, locis de Invent. II, 19: *si quando incidunt;* de Amic. 15: *si quando — disputabunt;* et ibid. 7: *si quando aliquod officium exstitit;* nescio quomodo melius convenire videatur Indicativus. Talia saepe sensu et auribus percipiuntur potius, quam certa ratione et arte dijudicantur.

Ibid. *Cujacius, aliique*] *Gothofredi* nomen apposuerat Censor: nihil Ruhnken. neque etiam opus erat.

Ibid. *Obscuris s. r. s. v. lumen affundat*] Altera usus dictione, *locis depositis ac prope desperatis et lucem et medelam afferre*, scripsit Ruhnken. Rittero, Opusc. T. II. p. 770. Sed ibi cum altero *medelam* minus bene conveniret *affundere*. Quod priore loco secus est.

P. 12. *Licetque adeo, cet.*] Non omittenda erat h. l. egregia simul et, licet nullo testimonio munita, verissima Ruhnkenii de voce *adeo* animadversio ad Terent. Andr. II, 5, 4: *Ipsum adeo* „Vis, inquit, quae est in hujus particulae usu sane eleganti, vix potest *uno verbo* explicari, quod in *omnia loca* conveniat, sentiturque facilius quam exprimitur; interdum significat aliquam *consequentiam*, interdum *explicationi* vel *narrationi* [f. l. *enarrationi*] servit."

P. 14. *Mentis acies multo miranda magis*] Ad duo illa postrema: „*Dura ellipsis verbi erat*" adscripsit Ruhnkenius, incertum utrum e sua, an e Censoris persona, quamquam nobis quidem probabilius videtur posterius: nostras certe aures nil duri, neque ingrati offendit: et habet vocis omissio, quo latiorem sententiae vim tribuat; nec enim mentis illa acies tunc temporis miranda magis *erat*, quam etiam nunc miranda *est*. Et sunt ejusmodi ellipses haud infrequentes, quamquam nunc quidem nulla satis apta exempla nobis occurrunt: nisi forte versui Lucretiano, III, 37, *Et metus ille foras praeceps Acheruntis agendus Funditus* —, similiter adscribendum sit: *Dura ellipsis verbi est.*

P. 15. *De conjectura*] Ruhnken. „*melius ex.*" Nec de hoc nobis satis liquet, cum utriusque praepo-

positionis usus bonorum Scriptorum exemplis comprobetur. Cicero ad Att. VII, 5: *Quid sentis igitur? inquis. nihil scilicet nisi de sententia tua*, i. e. secundum eam; ad Div. II, 7: *feliciter et ex mea sententia rem gessimus*, id est, ut ego opinatus eram, exspectaveram, optaveram. Quid quod adeo frequenter sine praepositione ponatur Ablativus *conjecturâ* cum pluribus verbis, veluti *conjecturâ assequi*, *consequi*, *explicare*, *judicare*, *reperire*, *prospicere*, *providere*, aliis: quorum omnium e Cicerone aliisque exempla dabunt Nizolius et Schellerus. Vel sic tamen h. l. melius convenire judicem *de*, i. e. secundum, in primis propter priorem illum Ciceronis locum. Ad proxima autem illa *divinando restituerat*, modo minus perspicuam Ruhnkenii manum recte assecutus sim, pertinere videtur alia glossa *divinaverat*, de ejusdem fortasse censoris arbitrio profecta. Sed *divinando restituerat*, h. l. ut alias saepe fieri solet, accipiendum pro *divinando restituere voluerat*, *restituenda divinaverat*. Ergo ne hac quidem correctione opus est.

P. 16. *Grammaticam*, *non vulgarem istam*, *sed altiorem*, *percipias*] *Grammaticam percipias* ex h. l. enotavit Ruhnkenius, ita ut de duabus illis vocibus alteram illuc transpositam voluisse videatur, sic: *Gramm. percipias*, *n. v. istam*, *s. altiorem*. In quo fortasse et sententiae perspicuitati melius consuletur, et aptior efficietur verborum collocatio, praesertim cum, ut nunc est, post *percipias* mox sequatur aliud verbum *habites in Poëtis*, *cet.*

P. 18. Not. *Natus est* — 1. *Febr. cet.*] De dissensione Laudatoris Gallici, Hemsterhusium 9 *Jan.* natum contendentis, quod supra diximus, contuli-

 mus

mus inscriptum Hemsterhusianae effigiei, quae in tabula picta servatur in Aedibus Academicis, elogium. Id autem revera sic se habet: TIBERIUS HEMSTERHUIS, *Groninganus. primum Philos. et Mathes. Prof. Amstelaed. ab a.* 1705. *dein Franeq. ab a.* 1717. *tandem Leidae Ling. Gr. et Hist. Patriae Prof. ord. ab a.* 1740. *natus* $\frac{9}{1}$ 1685. *obiit* $\frac{7}{4}$ 1766. Unde quid sequatur, facile unusquisque videt, nec nobis declarandum est. Sed juvat insuper adscribere sequentia ex D'Orvillii Orat. in Centes. Natalem Ill. Athenaei Amstel. a. 1732. p. 29: „ His successit — *Tiberius Hemsterhusius*: illum autem Musae Atticae, „ quarum rore a teneris unguibus enutritus erat, ut „ sibi praesidio et decori esset, Franequeranam in „ Academiam transtulerunt, totumque suo sibi jure „ vindicaverunt: nam et hic una cum philosophia „ easdem Literas ornarat, quando et mihi egregia „ ejus eruditione frui licuisse laetor atque gratus ad„ gnosco."

P. 19. *Socrates apud Platonem*] Ex eadem, quam Annot. p. 311 in Platonis Phaedro exeunte animadvertimus, enallages specie, explicandus etiam hic alter locus, isque paulo obscurior, Sympos. p. 214, D: Ἀλλὰ, φάναι, ὦ Ἐρυξίμαχε, τὸν Ἀλκιβιάδην, καλῶς μὲν λέγεις· μεθύοντα δὲ ἄνδρα παρὰ νηφόντων λόγους παραβάλλειν, μὴ οὐκ ἐξ ἴσου ᾖ. pro μεθυόντος ἀνδρὸς λόγους, hoc sensu: *Vide ne non consentaneum sit ebrii sermones cum sobrii dictis conferre*, eodemque illos atque hos loco habere. Neque aliam rationem sequitur Scriptor Ep. ad Hebr. XII, 24: αἵματι ῥαντισμοῦ κρεῖττονα λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ, i. e. παρὰ τὸ αἷμα τοῦ Ἄβελ. Cf. Genes. IV, 10. Id quod hac opportunitate obiter animadvertere liceat.

P.

P. 20. *Atque haud scio, an multum fallamur*] Minime praetermittenda erat ad h. l. in paucis egregia Vorstii, de Lat. mer. Susp. Cap. XXVIII, disputatio, qua praeter omnem dubitationem conficitur, formulas *nescio an*, *haud scio an*, *dubito an*, tametsi nulla alia sequatur negandi particula, omnino negandi significatione a Latinis Scriptoribus usurpari: et quod vulgo recentiores dicere solent *nescio an non*, *haud scio an non*, *dubito an non*, illis plane non videri in usu fuisse. Quod si verum est, Ruhnkenii illud *haud scio an multum fallamur*, ex constanti veterum loquendi consuetudine, omnino accipiendum erit pro *credo nos non multum falli*, idque modestius positum pro *plane nego nos falli.* Quem sensum postulat universae orationis et argumentationis nexus.

P. 23. *Propertii — Aristophanis amorem, salutarem deinceps utrique poëtae*] Ad Aristophanem quod attinet, diu anteaquam Plutum ederet Hemsterh., salutaris fuit ejus huic Poëtae amor tempore recensionis Kusterianae, Amstelodami 1710. editae, in qua nonnullas etiam Hemsterhusii partes fuisse, cum aliunde liquet, tum ex Valckenaerii annotatione ad Herodotum p. 264, a. Quod quale sit, disertius declarant haec Kusteri in Praefatione verba: „ Fabulam *Aves* novâ „ interpretatione Latinâ donavit, vir perelegantis „ ingenii et doctrinae *Tib. Hemsterhuisius*, Philos. „ et Mathes. in Ill. Athen. Amstel. Professor, a quo „ praeter ea, quae jam cum insigni laude praestitit, „ multa alia praeclara Orbis eruditus exspectare po„ test." Unde quid sibi velit Bernardus ad Reisk. p. 477. ejus interpretationis tanquam ineditae mentionem faciens, plane non capio.

Ibid. *Hac — velut contagione*] Recte adeo in malam partem, non addito *velut*, translata significatione, scripsit Wyttenb. Vit. Ruhnk. p. 15: *a compositionis istiusmodi contagione integrum intactumque praestare.*

P. 25. *Hoc si alteri evenisset*] *Alteri* ambiguum judicans Censor, *alii* maluisse videtur, haud animadvertens ad alterum de duobus, Bentlejo et Hemsterhusio, idest ad illum referri posse, atque adeo de sententia Ruhnkenii omnino referendum videri. Sic in ipsa illa, quam sibi finxit, ambiguitate inest, quod nullo cum sententiae detrimento aliâ aliave ratione dictum accipiatur.

P. 28. *Progrediaris*] Ruhnkenius adscripsit *progrediare*, quod nescio quomodo aliquanto gratius auribus accidere videatur. Eligant sibi legentes, quid ipsi velint.

P. 32. *Hemsterhusii exemplo, cet.*] Ad Hemsterhusii Orationes quod attinet, de quibus ad h. l. diximus, nuper eas in Germania repetiit Friedemannus, Viteb. 1822. Sed hunc librum adhuc non nisi nomine et ex censuris cognovimus. Panegyricae illius obiter meminit Bernardus Ep. ad Reisk. p. 250. Defuncto a. 1750 Alb. Schultensio, amico, Hemsterhusium parentaturum fuisse, ibidem significavit p. 380: quod an revera necne fecerit, dicere non possumus. In fine autem annotationis nostrae addendum erat, non aliunde, certe e simili fonte petita videri, quae de *Programmate Tiberii Hemsterhusii*, in elogio Jo. Regii, scripsit Vriemoetius Athen. Fris. p. 674.

P. 34. *In eo de moribus*] Cum Censore *in eo qui est de moribus* scribente convenit Ruhnkenius, probans

„ riatus est? aptior hic, digniorque erat, qui notas „ ad modum Minellii, aut Junkeri scriberet, quam „ qui opus a tanto artifice susceptum, imperfectum „ autem relictum, perficeret. Miseret me ejus no- „ tularum jejunarum, sterilium, utque vero dicam „ nomine, puerilium. In multis locis videor mihi „ observasse, Reitzium ne indolem quidem Graecae „ linguae cognitam habere. Et tamen is partes ab „ Hemsterhusio derelictas suscipere et agere susti- „ nuit? Debuerat illum sapiens ista timiditas picto- „ rum illorum deterrere, qui Veneris imaginem a „ Zeuxe inchoatam, imperfectamque postea derelic- „ tam, perficere noluerunt. Sed in multis, quod „ ingenii, doctrinaeque deëst, supplet nimia sui „ ipsius confidentia. *καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.*" — Ad illam autem, quam ad sequentem deinceps pag. 66. locum significavimus, mutuam Hemsterhusii et Gesneri in edendo Luciano aemulationem quod attinet, operae pretium arbitramur afferre, quae in Censura Biographiae Gesneri Academicae, auctore Eyringio, proditâ in Klotzii Actis Liter. Vol. VI. P. IV. summâ aequitatis significatione relata leguntur p. 403: „ Interpositum est *Commercium Litterarium Lu-* „ *cianeum*, quod complectitur litteras, ab Hemster- „ husio, Gesnero, Reitzio, Fabricio et Wetstenio „ de nova Luciani editione adornanda scriptas. Hic „ profecto exosculamur summam humanitatem, qua „ Hemsterhusius atque Gesnerus ita certaverunt in- „ ter se, ut fere, uter amabilior sit ignores. Nem- „ pe is fuit Hemsterhusius, qui vere de se dicere „ posset: *Hoc et credere te gaudeo et maxime cupio*, „ *me quam longissime semper abfuturum ab eorum* „ *moribus, qui litteras humanissimas ita tractant*,

„ *ut pulcerrimos earum fructus, ipsamque humanitatem abominari paene videantur; nec committam, ut per me stet, quo minus ingenui juvenes tantum doctrinae decus cane pejus et angue oderint.* Nil vero dignius humanitatis doctore legi potest eâ epistolâ, quam Gesnerus ad Burmannum filium scripsit, de Patris minis atque injuriis, Gesneriano nomini intentatis."

P. 67. *Franc. Hemsterh. unus ex tribus filiis superstes*] Siquidem duo reliqui ambo immaturâ morte perierant, alter major Jacobus procul a patria, Hemsterhusio adhuc Franequerae degente, ut est infra p. 74: alter minor variolarum morbo obiit Leidae a. 1749, ut scribit Bernardus ad Reisk. p. 317.

P. 88. *Haud contentus — persolvere*] Addatur Ovidius Met. I, 461, *contentus — irritare.* Ergo nihili est Lindemanni notula ad Vit. Ruhnk. p. 177.

P. 89. *Experieris an — poterit*] De futuro exacto pro subjunctivo habendo, si qui dubitet, conferatur Perizonius ad Sanctii Minerv. I, 13, ann. 6.

P. 112. *Rationem consilii tui nondum perspicio*] Quae diximus ad h. l. de Hemsterhusii curis secundis Polluci destinatis, augenda sunt sequentibus, ex Bernardi literis a. 1753. ad Reiskium datis p. 472 sq. „ In Hesychio pergit itidem Cel. Alberti: neque desinit summus Hemsterhusius praeclaras suas ad hunc Grammaticum observationes editori largiri. Miratus sum saepe numero, quonam pacto Vir summus tam elaboratas observationes tam ocius possit ex adversariis suis depromere: sed desino jam mirari, si quidem verum est, quod mihi nuper fuit relatum, eum fassum esse, dum cum amicis confabularetur et *Pollucis* fieret mentio, se

mul-

bans necne, non liquet: nisi forte reminiscendi tantum gratiâ sibi enotaverit. Cicero de Divin. I, 3: *Chrysippus — totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraculis, uno de somniis.* An vero ibi quoque supplendum fuerat: *uno, qui est*, vel et *uno eam, quae est* de oraculis, de somniis, sententiam? — Haud facile credam.

P. 35. *Sint — possis*] Quod Censor voluit *essent — posses*, etiam Ruhnken. adscripsit: eodemque modo, pro *existat — pellatur*, mox *existeret — pelleretur*: non alia, ut videtur, de causa, quam ut ejus sibi correctionis servaret memoriam.

P. 49. *Sacco fundi*] Locis allatis addatur ex Vita Wytt. p. 113: *pleno, ut ajunt, sacco effundere.*

P. 53. *Sumsit*] *Sumsisset*, ut Censor, ita quoque Ruhnken. de illius admonitione, ut videtur, in posterum severius dijudicandâ.

P. 64. *Hesychium*] Hemsterhusii in eum Annotationes non tantum Auctario, ut diximus, insertae leguntur; sed etiam pluribus passim in utroque Tomo locis: ejusdem de hoc Grammatico judicia, cum reliquis aliorum testimoniis, praemissa sunt Tomo I. Atque huc pertinent haec Albertii, e Praef. p. XXXVI, verba: „ Ceterum ornant Editionem nostram prae „ primis plurimae Summi *Hemsterhusii* Notae, quas „ ex amplissimo reconditioris doctrinae penu mecum „ saepius communicare voluit Vir Amicissimus." De ejus porro, ibidem commemorata, navata *Thomae Atticistae* opera, praeter laudatam Oudendorpii Praefationem, testis accedat Bernardus in Epp. ad Reisk. p. 400, 428, 435, 442. quorum locorum primo: „ Tradidit, inquit, jam summus Hemsterhusius quae ad Thomam olim observavit, quae

„ praeclara omnino sunt ac elaborata." Altero loco ipsis adeo corrigendis speciminibus typographicis invigilasse dicitur. De aliis Scriptoribus, in his de *Aristaeneto*, haec sunt ejusdem Bernardi ibid. scripta p. 375: „ Narrat Cl. Abresch in Praefat. ad Aris-„ taenetum, se plura adminicula ad illum scriptorem „ expectasse, unde ex ipso quaesivi, undenam illa „ sperarat, quae ab Hemsterhusio subministranda „ fuisse in novissimis significavit." Quod cujusmodi fuerit, nobis nondum liquet.

P. 64. *Coam Venerem, Lucianum*] Nefas omnino sit ad h. l. silentio premere Krebsii verba, non illius quidem Ruhnkenio paris gravitate judicis, at judicis tamen, cujus indoctae multorum aliorum levitati longe anteponenda auctoritas est. Is igitur a. 1759 scripsit ad Reiskium l. c. p. 615: „ De Lucia-„ no, non dicere satis possum, quantum e divi-„ nis illis *Hemsterhusii*, τοῦ πάνυ, notis profece-„ rim. Bone Deus! quam multa antea plane inco-„ gnita, et inaudita iste Thesaurus graecarum lite-„ rarum mihi ostendit? quam rudis et quodammodo „ infans mihi ipse in graecis literis videor, cum „ hunc Doctorem audio? Quo majus autem, prae-„ stantiusque beneficium et munus est, quo Hem-„ sterhusius, quidquid vere literatorum est, sibi „ immortali quadam ratione obstrinxit, eo acerbius „ profecto dolendum est, quod infelix quoddam fa-„ tum Viri summi consilium in ipso operis cursu „ felicissimo impedivit, quominus caetera hujus „ festivi scriptoris opuscula curâ suâ perpolita orbi „ literato impertiret. Fecimus sane jacturam, quae „ nescio an unquam resarciri possit. Nam quid „ dicam de *Reitzio*, qui summo illi Viro succentu-

„ ria-

„ multum in illo auctore praestitisse post novissi-
„ mam editionem, et adpariturum post obitum suum,
„ quid ad illum conferre instituerit, adeo ut illa,
„ quae ad Hesychium aliosve protulit, *ἀποσπασμά-*
„ *τια* sint eorum quae Pollucem aliquando ornabunt."

AD VITAM RUHNKENII.

P. 3. *Neptis*] Scioppio l. l. addantur Vossius de Vit. Serm. p. 117. et Cellarius Antibarb. p. 193.

P. 10. *Socratica ratione — ad nascendum eliciant, cet.*] Conf. cum h. l. Fonteinii et Wyttenbachii similis ratio et exemplum, Vit. Wytt. p. 97 et 140.

P. 13. *Jo. Dan. Ritterus*] Scriptoribus laudatis addantur Hauboldus Inst. Jur. Rom. Lit. P. I. S. IV. n. CCXIX. T. I. p. 172. Hugo Elem. Jur. Rom. §. 436. et hoc Reitzio judicium, relatum apud Ruhnken. Opusc. T. II. p. 786: „*Ritterum, qui vel solas ejus in Cod. Theodos. praefationes perlegerit, nec magni faciat, aut inter eruditissimos humanissimosque JCtos, et cum antiquis comparandos non collocet; cerebro me hercle caret.*"

P. 14. *Puritatem*] Scriptorum locos attulit Cellar. Cur. Post. p. 136, eosdem quos Lindem. infra ad p. 229. Nisi ipsum vocabulum sit antiquum, vulgarem certe loquendi consuetudinem, ut in aliis bene multis, sequi licet.

P. 28. *Secutum et assecutum esse*] Verborum discrimen cernitur in hoc Ciceronis de Off. I, 31: *neque enim attinet repugnare naturae, nec quidquam s e q u i, quod a s s e q u i nequeas.*

P. 31. *Saeculis decimo quinto et decimo sexto*] Similiter infra p. 164. *saeculo decimo sexto.* Utrumque

que locum spectat eadem Lindemanni reprehensio, de qua diximus ad Elog. Hemst. p. 19, auctore Prisciano contendentis dicendum esse aut *quintodecimo* et *sextodecimo*, aut *decimo et quinto*, *decimo et sexto*. Prisciani verba haec sunt de Fig. Numer. ed. Putsch. p. 1352: „Ante *decem* vero minorem (nu„merum) ponunt, quando composita accipiuntur, „et sub uno accentu proferuntur. Nam licet disso„luta compositione, diversis accentibus ea profe„rentes mutare ordinem, quomodo et apud Grae„cos, et dicere, *decimus et septimus* pro *septimusde„cimus*." Video id sibi velle grammaticum, ut aut conjunctim scribatur *septimusdecimus*, aut disjunctim *decimus septimus*: video quoque, interpositâ copulâ *et*, exempli loco afferri *decimus et septimus*: non item video, de Grammatici sententia, necessario addendam esse copulam *et*. Nihil decerno: quamdiu vero nulla gravior auctoritas allata sit, haud temere reprehendam Wyttenbachium, non his tantum locis, sed aliis permultis, disjunctim scribentem *decimus quintus*, *decimus sextus*, *decimus septimus*, cet. nec tamen alterum ignorantem *septimus decimus*, Bibl. Crit. P. II. p. 133. Videant alii hac de re diligentius.

P. 38. *Antiquitates*] Et hic et alibi ex vulgari loquendi usu scriptum. Veteres potius singulari numero *Antiquitatem* vocasse, vel et *Antiquitatis notitiam*, *doctrinam*ve, Graece ἀρχαιολογίαν, nunc quidem satis inter omnes constat, nec data opera ostendere attinet. Sed dandum aliquid consuetudini.

P. 45. *Succrescebat*] Eodem verbo similiter usus est Wytt. infra p. 157: *duae — festivissimae filiolae ad praeclaram maturitatis spem succrescentes*.

P. 58. *Brunckio*] A cujus de Timaeo Ruhnkenia-

no sententiâ, *unum esse libellum simul et brevissimum et doctissimum*, parum differunt Bernardi ad Reisk. haecce p. 509: „Timaei Lexicon Platon. prodiisse scire Te puto: *est libellus exiguae molis, sed boni commatis*."

P. 65. *Hos libros doctis Batavis sponte et gratis venire*] Lecta animadversione mea, haec mecum communicavit Cl. Bossius, ad veram hujus loci rationem perspiciendam in primis facientia: „*Sponte et* „*gratis venire*. habet hic locus aliquid difficultatis: „nam *sponte crescere* et *gratis vendi* recte dicun„tur; sed *gratis crescere* non magis intelligo, quam „*sponte vendi*. Videtur Wyttenbachius, de utraque „dictione cogitans, per scriptionis festinationem, duo „adverbia posuisse, et ex duabus dictionibus unam „fecisse: cujusmodi quid Xenophonti accidisse vi„detur ex annot. Wyttenb. ad Selecta Hist. Gr. „p. 414. Est etiam Heusingeri huc spectans admo„nitio, de duobus diversae sententiae nominibus „eidem verbo junctis, ad Cicer. de Offic. I, 9. quem „locum egregius meus discipulus Dammius non omi„sit, sed plures etiam addidit, in Specim. Liter. in „Cicer. Orat. pro P. Sextio p. 53."

P. 74. *Haud dubio*] Eandem locutionem infra denuo habet Wyttenb. p. 258: *eos haud dubio solos ceteris praeferre*. Ac tuetur sese fortasse alterâ simili *procul dubio*, Livio XXXIX, 40, et aliis usitata.

P. 86. *Si quae forte inde nata esset disjunctio*] Similiter legitur infra p. 258: *Si quae alia exsistit — patrona ac propugnatrix*. Et alibi exstat *si qui*, pro *si quis*, ut apud Cicer. pro Rosc. Am. 38.

P. 127. *Rhetorum omnium, certe plerorumque*] De discrimine adjectivorum *plurimi* et *plerique* quod dixi-

diximus, videtur idem esse quod in Graecis cernitur loquendi formulis πλεῖστοι et οἱ πλεῖστοι. Quod si verum est, ut ista Wyttenbachii verba Graece vertamus, sic fere dicendum erit: Ἁπάντων τῶν ῥητόρων, ἤγουν τῶν πλείστων, i. e. *plerorumque*, nec simpliciter sine articulo πλείστων, i. e. *plurimorum*, μία ἔκδοσις ἐστιν, κ. τ. λ. Unde quid de ista reprehensione statuendum sit, magis etiam perspicue apparet.

P. 128. *In Diario, cet.*] In Longini loco, è Scholiaste Hermogenis allato Annot. nostrae p. 449, verba uncis inclusa spuria judicavit Cl. Editor Opusculorum Ruhnken. Londin. Nobis germana videntur, et cum praecedentibus cohaerere, sed in postremis pro οὗτος legendum οὕτως, ut omnia sic accipiantur: μόνης τῆς λέξεως εἶναι λέγει τὰ σχήματα, αὐταῖς λέξεσι φάσκων οὕτως· ὅσα κ. τ. λ. hoc sensu: *solius dictionis*, sive solorum verborum propria, *esse dicit figuras, ipsis verbis loquens ita: quaecunque, cet.* Agitur enim de pervulgata illa apud eloquentiae magistros distinctione inter *schemata*, sive *figuras*, *verborum* et *sententiarum*, τῆς λέξεως καὶ τῶν ἐννοιῶν. Hanc sibi non probari distinctionem ait Longinus, iis ipsis verbis, quae deinceps ex ejus Arte Rhetorica afferuntur. Sed judicent peritiores.

P. 144. *Prosae scriptione*] Ex vulgari usu dictum. Rectius scribatur, vel *prosâ scriptione*, vel *prosae orationis scriptione:* siquidem proprie adjectivum esse, supra ostendimus ad pag. 55.

P. 161. *Erudire — docere*] *Doctos* et *eruditos* conjunxit Cicero de Offic. II, 2: *occurritur autem nobis, et quidem a doctis et eruditis;* ubi licet iidem homines significentur, qui simul et *docti* sint, et *eruditi*, discrimen ita statui potest, ut illi σοφοὶ, vel

et

et φιλόσοφοι, hi πεπαιδευμένοι Graece dicantur. Philosophos Ciceronem *doctos* vocare solere, satis constat: at sunt alii, qui etsi philosophi munus et nomen sibi non arrogent, vel sic tamen et sint et habeantur πεπαιδευμένοι *eruditi*, i. e. artium liberalium et humanitatis studiis exculti, quam Graeci παιδείαν vocabant. Ut autem Graecum παιδεύειν, quippe productum a nomine παῖς, proprie est *pueros instituere* vel *educare*, i. e. eos omnium rudes erudire; ita h. l. exquisite scripsit Wyttenbachius *erudire tirones*. Nam quod sequitur *docere*, Graece διδάσκειν, iis etiam convenit qui jam non amplius rudes sunt, atque adeo ipsis *veteranis*, quorum nemo est, quin ad se ipse quotidie referre queat Solonis illud: γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Sed ipsius referamus Wyttenbachii verba, cujus hanc ad Cicer. Parad. V, 1, animadversionem mecum communicavit Bossius: „ *Doctus* proprie est qui multa didicit, „ *eruditus* qui è rudi factus est politus et excultus. „ *Doctissimi* et *eruditissimi* viri a Cicerone dicebantur philosophi, quia philosophia definiebatur complexu omnium reliquarum doctrinarum et perspicientia causarum. Ergo etiam si quis grammaticus, aut aliarum doctrinarum peritus, dicitur *doctissimus* aut *eruditissimus*, propterea ei hoc nomen „ adjungitur, quia, secundum veterum sententiam, „ sine philosophia nemo ulla in disciplina excellere „ poterat. Proprie tamen differunt haec nomina: „ nam *doctus* dicitur qui vel se ipse docuit aut ab „ aliis doctus est: *eruditus*, qui doctrinarum studio „ omnem ingenii ruditatem, asperitatem, ignorantiam, sordes deposuit. Eâdem metaphorâ dicitur „ homo *doctrinâ politus*, item *politior doctrina*."

P.

P. 270. *Adolescenti qui fuerit habitus supra significavimus*] Vid. pag. 29 et 30. Et ad hunc locum, non minus quam ad superiorem p. 140, pertinent duo illa in effigiem Ruhnkenii carmina: quae quamvis notissima, tamen quominus h. l. denuo ederemus, iisque afferendis totam hanc annotandi operam clauderemus, nobis temperare non potuimus. Et alterum quidem, ab H. Bosschio auctore profectum, hoc est:

IN EFFIGIEM

DAVIDIS RUHNKENII

non minus omnibus doctrinae laudibus
quam animi candore insignis.

RUHNKENII *artifices tentarunt pingere vultum,*
Pingere at artificum non valuere manus;
Nec mirum; ut non ipsa valet facundia Tulli
Ingenium ac docti scripta referre viri;
Sic, qui divinos spirantia lumina mores
In tabula posset ponere, nullus erat.

Alterum, T. Woordhouderi, sic se habet:

RUHNKENII *haec facies, doctus quem suspicit orbis:*
Deliciasque aevi, prodigiumque vocat:
Ingenium cujus cunctas amplectitur artes,
Quas Latium antiquum, prisca vel Hellas habet.
In quo tanta viget placidae facundia linguae,
Non alio ut cuperet Tullius ore loqui.
Major at hinc certe est, quod secula candidiorem
Nulla tulere virum, secula nulla ferent.

I N-

INDEX.

A.

B.

C.

D.

E.

Εἶναι

F.

G.

H.

I. J.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Πλευ-

Q.

R.

Jo.

S.

T.

V.

W.

X.

Z.

CORRIGENDA.

Pag. 32.	vs. 16.	sacrificandam	*lege*	sacrificandum
— 36.	— 7.	ducit. ˘ΑΝΩ	—	ducit, ˘ΑΝΩ.
— 37	— 29.	Τῆς	—	Τῆς
— 40.	— 3.	fidas, neque	—	fidas; neque
— 46.	— 13.	ἐστι	—	ἔστι
— 51.	— 7.	ἂ	—	ἄ
— 55.	— 24.	῾Ως	—	῾Ως᾽
— 56.	— 3.	*triticea.* ἐξ.	—	*triticea*, ἐξ.
— 56.	— 19.	δῆτ᾽ ἀλλ᾽	—	δῆτ᾽, ἀλλ᾽
— 56.	— 27.	sequente, *μαx.*	—	sequente. *μαx.*
— 89.	— 3.	renatas, Lit.	—	renatas Lit.
— 104.	— 21.	praecantes	—	precantes
— 117.	— 29.	vicina	—	vicinia
— 108.	— 11.	seculo	—	saeculo (ut alibi scripsit Wyttenb.)
— 118.	— 29.	et Latin.	—	ac Latin.
— 122.	— 22.	suppellect.	—	supellect.
— 137.	— 13.	suppellect.	—	supellect.
— 17[illegible].	— [illegible].	disputationem qua	—	disputationem, qua
— 185.	— 6. a f.	veterum	—	veterem
— 194.	— 3.	measque no-	—	measque
— 203.	10.	ut praefect.	—	in praefect.
— 205.	— 26.	seorsim	—	seorsum (vid. Annot. p. 413.)
— 276.	— 10.	seorsim	—	seorsum (vid. Annot. p. 413.)
— 211.	— 24.	sanitani.	—	sanitati

Pag. 213. vs. 5. vitium esse *lege* vitium admissum esse
— 224. — 3. publica cont. — publica bibliotheca cont.
— 240. — 24. Academiae — Academicae
— 242. — 21. Physices Math. — Physices et Math.
— 243. — 15. quosque — quasque
— 287. — 2. sapientes — sapientem
— 303. — 3. *not.* Wyttenhach. — Wyttenbach.
— 305. — 32. caet. *lege* cet. — Et sic porro in Annot. nostra pro *caeterus* ubique legatur *ceterus*, ortum, ut videtur, a Graeco ἕτερος, ut ab ὑπέρ, fit *super*, ab ὑπό, *sub*, ab ἕδος, *sedes*, alia.
— 309. — 28. T. I. p. 141. *adde* et Vit. Ruhnk. p. 131.
— 313. — 23. etsi — ediderit *lege* etsi — edidit. — Frequentior certe est Indicativus, auctore Facciol. v. *Etsi.* Cicero tamen de Off. I, 24, in f. *etsi* — *sit:* nisi ibi legendum *etiamsi.*
— 331. — 4. Vol. VII. p. 325. *lege* Vol. VII. T. III. p. 317 — 328.
— 333. — 19. 1. A. *adde* et ad Phoen. p. 351.
— 350. — 28. verius. — Cf. Vit. Wytt. p. 140.
— 364. — 4. *Ernestius* lege *Ernestinus.* — Sed ad h. l. a nobis non erat praetermittendum, quod scribit F. A. Wolfius, Anal. Lit. P. II. p. 281, *Ernestum*, quâ nominis formâ fere nos utimur Batavi, ipsum Virum Clar. sese appellari maluisse, quam *Ernestium*; ne videlicet confunderetur cum Prof. Lipsiensi paene aequali *Jo. Henr. Ernestio*, de quo vid. Saxius Onom. Lit. P. V. p. 622. Quo magis, quamvis invitis aliis et ipso Wolfio, retinendam arbitramur veterem illam nominis terminationem *Ernestum.*
— 367. — 24. *nobile.* Sic in fragmento Ciceronis diserte legitur ap. Charis. ed. Putsch. p. 111. l. ult. sed in Fragm. ap. Gronov. ed. 8vo. p. 4238. et Ernest. p. 1091 ad f., nescio unde, editum est *nobili.* Id quod obiter notandum erat.
— 398. — 18. Dubio loco Ciceronis ad Div. II, 16, ubi in aliis libris *fortassis*, in aliis *fortasse* legitur, substituantur certiora ex Or. pro Sext. 56. extr. et de Off. II, 6. med. quorum utroque diserte exstat *fortassis.*
— 405. — 32. et 232, A. *adde* Cf. et Wyttenb. Bibl. Crit. P. II. p. 75.
— 411. — 14. Mortuo enim — Amstelodami *vel* in Amstelodamensi Athenaeo.
— 445 — 28. *cognitae* *lege* *cognitae*
— 462. — 24. *disciplinaram.* — *disciplinarum.*

Alia, si quae supersunt, levioris momenti, quae tamen non ita multa fore speramus, humanae imbecillitati condonet benevolus Lector.

pag. 102. Timaei Lexicon a Ruhnk. edit. Iterum novam Editionem, eamque multis partibus auctam curavit Aenoth. Kochius. Lips. 1828. 8.
Vid. Stallbaum Prolog. ad Plat. Ed. pag. lxiii.
(Vol. I)